BIBLIOTHECA
Soc. Jesu.
LOVANII.
Lect. can.

Periodica de re morali, canonica, liturgica

ARTHURUS VERMEERSCH e Soc. Iesu

DOCTOR IURIS ET IURIS CANONICI, LOVANII IN COLL. MAX. S. I. PROFESSOR
THEOLOGIAE MORALIS ET IURIS CANONICI

DE RELIGIOSIS

ET MISSIONARIIS

SUPPLEMENTA ET MONUMENTA

PERIODICA

TOMUS SEXTUS 1912

(continuans ***De Religiosis Institutis****, etc. t. 2)*

ALMA COLLEGE
P
LIBRARY
PDRM
Alma, California

BRUGIS
SUMPTIBUS BEYAERT

ROMAE & RATISBONAE
F. PUSTET

LUTETIAE PARISIORUM
P. LETHIELLEUX

1912

10225

V.6

IMPRIMI POTEST

Aemilius Thibaut, S. I. *Praepositus provinciae belgicae.*

NIHIL OBSTAT

Brugis, 21 octobris 1912.

H. Lahousse, *can. lib. cens.*

IMPRIMATUR

Brugis, 21 octobris 1912.

H. Van den Berghe, *Vic. gen.*

SUPPLEMENTA

SUPPLEMENTUM XVII

DE TEMPORALIUM BONORUM POSESSIONE ET ADMINISTRATIONE IN MISSIONIBUS EXTERIS

Dum accurate inquirere aggredimur ad quosnam pertineat sive possessio sive administratio bonorum ecclesiasticorum quae, in missionibus exteris, tum alendis missionariis, tum fovendae et amplificandae religioni destinantur, ita ut mutua Episcopi vel Vicarii apostolici Instituti religiosi temporalia iura prae cipue definire cogitemus, minime nos fugit quaestionem a nobis attingi quae difficultate non careat, et multis dubitationibus et scrupulis locum dare consueverit. Nihilo minus, cum simul cognitu utilissima esse perspiciatur, et aliqualis etiam explicatio dilectis Evangelii praeconibus iam adiumento esse possit, rem, neglecta difficultate, pro viribus tentare quam difficultati cedere potius habemus.

Ut nostra disquisitio ordine procedat, prius pauca disseremus de positivis Ecclesiae fontibus, ut ipsum deinde argumentum, secundum principia iuris naturalis atque ecclesiastici, prout copia dabitur, tractemus.

I. De monumentis ecclesiasticis

I. **Monumenta quaenam sint.** — Argumentum nostrum ex professo versavit Leo XIII, C^e^ *Romanos Pontifices*, 8 maii 1881. Constitutio ista, quae pro Anglia et Scotia data est, postquam ad Foederatos Americae septemtrionalis Status, ad Americam latinam, ad regiones Indiarum et quotquot Propagandae Fidei subsunt formaliter extensa est, et a Romanis Congregationibus pro norma perpetua haberi coepta est, potissimum profecto iuris positivi fontem efficit, ex quo conclusiones nostrae hauriendae erunt.

Accedunt deinde responsa S. Congregationis Propagandae Fidei. In ipsa Constitutione *Romanos Pontifices*, bina responsa allegantur, 10 maii 1868 et 19 aprilis 1869, sed quid, praeter exscriptos ibi locos, contineant ignoramus, cum in

utraque Collectaneorum S. C. Prop. Fidei editione, rescripta ista praetermissa sint.

Possumus autem ex iisdem Collectaneis afferre rescriptum 1 aprilis 1816 (n. 1634[1] vel 712[2]) ; instructio 27 maii 1881 (n. 1634[1], 1553[2]) ; responsum 18 ian. 1886 ad 5 (n. 1651[2],[5]) et instructio 18 oct. 1883, V,[3] (n. 1606[2]) ubi laudantur sanctiones synodi Santchinensis, in Sinis, quae habentur n. 2288[2], II, inter appendices.

Consulendae etiam sunt litterae Eminentissimi Praefecti Propagandae Fidei, si quae habeantur vel vulgentur, quibus praesens colligi potest mens eorum a quibus Sacra ista Congregatio dirigitur.

II. **De Constitutione « Romanos Pontifices ».** — De bonis temporalibus versus finem Constitutionis *Romanos Pontifices* agitur a n. 23 ad 26 nostrae editionis in t. 2 *De religiosis institutis et personis*, n. **7** n. 277.

1. Hac sua constitutione, S. Pontifex generalem regulam traditam a S. C. Prop. Fidei 19 aprilis 1869, in primis confirmat ; id est ; « 1. Missionarii regulares bonorum temporalium ad ipsos *qua regulares* spectantium rationem episcopis reddere non tenentur. 2. Eorum tamen bonorum quae missioni vel regularibus *intuitu missionis* tributa fuerunt, episcopi ius habent ab iisdem missionariis regularibus, aeque ac a parochis cleri saecularis, rationem exigendi. » Deinde accuratius definire satagit quid *intuitu missionis* oblatum censeatur. Atque, in hac re, approbat tum imperatas collationes Concilii II Westmonasteriensis tum eiusdum concilii interpretationes seu praesumptiones.

2. Ex ista autem Constitutione hanc brevem summam conficere licet :

a) In primis voluntas offerentis consideranda est. Sic enim habet : « Receptum est in hac re spectari primum oportere quid largitor voluerit. » Quod principium hac una exceptione temperatur, qua observandae dicuntur leges quae, in bonum commune, modum et finem in quem certae oblatae stipes erogandae sint praefiniverint. Hac v. g. ratione, fideles iuri Ordinariorum in temporales parochiarum rationes, suis liberalitatibus derogare non possunt.

b) Commissa regularibus vel religiosis bona alia ad ipsos qua religiosos spectant, de quibus rationes episcopis reddere non tenentur ; alia intuitu missionis ipsis tributa sunt. Ac de his bonis episcopi rationem a regularibus non minus quam a saecularibus sacerdotibus poscere possunt.

Et quia dicta Constitutio bona sane non excludit quae ipsis Ordinariis omnino tradita sint, ideo triplex diximus [1] esse

---

[1] *De religiosis institutis et personis*, t. 1, n. **533**.

suo genere regimen bonorum temporalium quae missionibus deputantur : a) « Alia... *plene ad religiosum Institutum pertinent*, ita ut ad Ordinarium nulla eorum spectet cognitio. b) Alia Instituto vel religiosis *sunt concredita*, ab ipsisque procurantur (administrantur), ita tamen ut Ordinario reddendae sint rationes..... c) Alia denique bona *plene* sunt *Ordinario* commissa ab ipsoque etiam immediate reguntur et partiuntur. »

Ipsa ceterum Constitutio quaedam de modo reddendae rationis statuere non omittit.

c) Si de largitoris mente non per se constet vel ex aliquo certo documento, regulae quibus de tali voluntate recte iudicari possit, secundum probatam definitionem Concilii II Westmonasteriensis, servandae sunt.

Hic itaque statim oboritur quaestio non levis momenti. C. *Romanos Pontifices*, dum statuit « hac in re religiosos ad leges Westmonasteriensis synodi se affatim accommodare oportere », estne annon, quatenus ad alias regiones extenditur, ita stricte intellegenda ut ubique *verbalem* istarum indicationum observationem imponat ? Quod omnino negandum videtur. Angliae enim et aliarum regionum adiuncta ita facile differre possunt ut verbalis istarum indicationum observatio aequitati et menti Patrum Westmonasteriensium pariter repugnet, et in supremum canonem de sequenda largitoris voluntate omnino impingat. Prudens ergo ad omnes istas regulas accommodatio, non autem indiscreta, imperatur.

Quid autem potissimum intersit inter adiuncta Angliae, pro qua Constitutio effecta est, et adiuncta missionum exterarum ad quas traducta est, sic proponi posse videtur.

a) Pecunia et dona missionibus Angliae destinata, sunt Anglorum pro Anglia : localis tunc consideratio est pro benefactore multo principalior quam quando agitur de longinqua regione in quam nullus specialis affectus, nullum speciale vinculum praeter communis caritatis christianae quempiam propensum efficit.

In Anglia (ne nomine decipiamur) missiones sunt quasi-paroeciae quae aequo, immo potiore iure saecularibus sacerdotibus obtingunt. Exterae contra missiones moraliter omnes Institutis religiosis commissae sunt. Inde duplex rursus discrimen. Quod ad bonorum administrationem, seu munus procurandi ut largitiones spirituali proximorum saluti addicantur, Congregatio religiosa, cuius hierarchia et regulae sunt ab Ecclesia probatae, longe maiorem spem dat sapientis usus et distributionis quam singularis persona parochi saecularis ; quod autem ad ipsam dominii acquisitionem, fideles religiosis communitatibus quam singulis sacerdotibus liberalius dare praesumuntur. Quod enim, dempta congrua sustenta-

tione, sacerdoti saltem ex adventiciis fructibus, superest, per se in privatum eius transit patrimonium, quod, sicut quilibet saecularis, honeste possidet ; dum bona a religiosis possessa ecclesiasticum patrimonium constituunt, piis usibus ex toto addictum.

Quare si largitoris voluntatem intuearis, haec religiosis missionariis, apud infideles multo saepius quam iis qui christianorum Angliae missionibus praeficiuntur, administrationem immo ipsam possessionem addicere censenda est.

III. De responsis Sacrae Congr. Propagandae Fidei

1. Responsum 1 aprilis 1816, sacerdotibus Foederatorum Statuum Americae septemtrionalis bonorum quae intuitu ecclesiae data sunt dependentem tantum ab episcopo non reluctante administrationem agnoscit.

2. Instructio 27 maii 1851, ad Praefectum apostolicum Norvegiae, eleemosynas intuitu Missionis collectas, in ecclesiasticis bonis ponendas esse confirmat.

3. Responsum 18 ian. 1886, de regimine missionum Societatis Iesu, liberam ad Superiores regulares administrationem addicit redituum collegiorum, stipendiorum missarum, iurium stolae, fructuum industriae personalis ; permittit autem ut Vicarius apostolicus solvendum sibi cathedraticum statuat antea a Sacra Congregatione approbatum ; proventus denique missionum in operibus missionis impendendos esse declarat.

N. B. a) Secundum idem responsum, quidquid ex capellanorum militarium pensionibus supersit totum Vicario Apostolico tradendum est. Sententia ista peculiari et a nobis ignorata rerum condicione explicanda videtur. Sin aliter, quo pacto cum C. *Romanos Pontifices* componi possit? Haec, secundum ius commune, fructus beneficii (cuius pensiones ministris sacris solvendae locum aliquo modo tenent) omnes monasterio tribuit.

b) Triennalem de impendiis istis rationem Sacrae Congregationi reddendam idem responsum iubet : haec tamen in usum transiisse non videtur.

4. Regulae Synodi Chansinensis, anni 1880, iuribus Vicariorum valde favent. Sed potius respectu singulorum sacerdotum seu missionariorum, quam Instituti religiosi, Vicariorum potestatem ac iura definiunt.

(Continuabitur)

QUAESITA VARIA

I. De numismate quod pro scapularibus gestari permittitur

Secundum decretum 16 dec. 1910, quod in PERIODICA, t. 5, n. 468 describitur, numismatis quod pro scapulari gestari permittitur, pars *recta* SS. D. N. I.-C. suum sacratissimum Cor ostendentis, *aversa*, B. Virginis Mariae effigiem referre debet. Hinc quaeritur, utrum condicio ista accurate ad valorem observanda sit, an satis esse videatur ut alterutra parte alterutram imaginem habeas.

Resp. P. 269 rationem dedimus cur recta numismatis pars Christi effigiei servanda videretur. Quia tamen, sicut addebamus, distinctio rectae et aversae partis saepe difficilis est, necessitas eam observandi minui videtur. Ac certe, sicut comperimus, satis in Urbe recipitur interpretatio benigna quae contenta est ut altera parte effigies D. N. I. C. cor suum ostendentis, altera autem B. M. V. habeatur.

II. De decreto « Sacrosancta », 1 ian. 1911, de laic's Ordinum (Cfr. PERIODICA, t. 5, n. 471, p. 274.)

In Ordine quodam regulari, fratres conversi habitum post duos vel tres menses induebant ; deinde, facta annua probatione, vota faciebant temporaria quattuor annorum, tum vota perpetua simplicia, quibus, per tres annos servatis, denique ad vota sollemnia perducebantur.

Quid iuris itaque, 1. De *postulantibus* qui nondum noviciatum inchoarunt ; 2. De *noviciis* ; 3. De iis qui *votis temporariis* tenentur : 4. De iis qui, servatis votis temporariis per quattuor annos, iam simplicem sed *perpetuam professionem* fecerunt ?

Resp. Ad 1. Postulantes, ut validam deinceps professionem facere queant, noviciatum inchoare non possunt antequam per duos annos postulatum fecerint, sicut nova lege praecipitur.

Ad 2. Novicii vero postulatum repetere non debent, et, peracta annua probatione, valide simplicem professionem facient, quae viam ad sollemnem sternere queat. Lex enim ita a sua promulgatione obligat, ut tamen actus praeteritos non respiciat. Postulatus ergo eorum qui 16 ian. iam noviciatum inchoarant, priore non praesenti iure regitur.

Quamnam autem simplicem professionem facere debent, perpetuam an temporariam, quae usu in dicto Ordine erat recepta ? Die 5 decembris anni 1905, S. C. episcoporum et regularium similem causam hoc modo diremit. Post decretum

3 maii 1902 *Perpensis*, quo moniales iussae sunt simplicem professionem sollemni praemittere, et in quo etiam statuebatur, n. V., vota ista perpetua esse ex parte voventis, dubium motum est de monialibus quae, promulgato iam decreto *Perpensis,* simplicia quidem per tres annos vota servarant, non tamen perpetua, sed triennalia, secundum receptum Instituti sui morem. Quaesitum si quidem est utrum necne quae in simplici professione versabantur vota simplicia perpetua facere deberent, et quae, post triennalem professionem, sollemnem fecerant, aliqua sanatione indigerent. Ad utrumque S. Congregatio negative respondit, existimans sane, temporaria ista professione finem legis abunde obtineri. Nonne eodem modo in praesenti casu ratiocinari possumus ? In Ordine de quo loquimur, per septem annos simplex professio sollemni praemitti consuevit. Intenta ergo a legislatore cautio omnino habetur. Quia tamen nova lex sexennalem praecipit professionem simplicem, nec addit, « nisi diuturnior Constitutionibus iniungatur », ideo satius videtur ut res tota cum S. Sede componatur. Haec, ni fallimur, facile concedet, ut vota prius fiant per tres annos annua, quibus succedat perpetua quamvis simplex professio per tres annos, ut ita demum qui dignos se exhibuerint sollemnem professionem emittere permittantur.

Ad 3. Qui votis temporariis iam tenentur possint, per se, secundum Instituti morem perpetuam et dein sollemnem facere. Melius tamen erit si etiam de iis res cum S. Sede transigatur.

Ad 4. Qui perpetuam iam fecerunt simplicem professionem, ad sollemnem admitti poterunt, dummodo aetatis trigesimae explendae condicioni satisfecerint.

III. De facultatibus a S. Congr. Propagandae Fidei ante C. *Sapienti* tributis Ordinariis vel religiosis regionis quae nunc eius iurisdictioni est erepta

Quaeritur num dictae facultates robur suum servent.

Resp. Quamvis ex C. *Sapienti,* S. C. Propagandae Fidei regionibus quae ipsi non subduntur nullas facultates concedere possit, quae ante concessae sunt permanere censentur, donec revocatione vel adveniente die ad quam tributae erant, valore suo destituantur.

IV. De modo quo Consiliarii generales suffragium suum dare possint

In Ordine quodam religioso, ubi Consiliarii cum Generali Superiore habitare non consueverunt, negotia quaedam, quae

sine Consiliariorum assensu vel voto definiri nequeunt, composita sunt requisitis singulorum consiliariorum suffragiis separatis, sine ullo convocato coetu vel facta communi deliberatione. Quaeritur de valore istarum definitionum.

Resp. Definitiones istas valore carere arbitramur, ita ut sanatio impetranda sit. Dum enim Consilii vota exquirenda dicit, vult legislator ut possint, deliberatione facta et communicatis consiliis, maturius de re decernere. Nec extra Consilium proprie Consiliariorum munus habent, sicut extra Parlamentum deputati nullam legem suis suffragiis firmare queunt.

V. De personali et territoriali Superioris religiosi potestate

Institutum religiosum, quod per se in singulis provinciis noviciatum habere debet, variis adiunctis coactum est plurium provinciarum novicios in domum probationis unius provinciae congregare. Hinc **quaeritur**: 1. Utrum novicii istius Instituti validum in alienae provinciae noviciatu noviciatum peragere possint, an beneplacitum requiratur S. Sedis, quae approbationem domorum probationis sibi reservare solet. — 2. Quomodo iura Provincialium Superiorum in suos subditos componenda sint cum territoriali potestate Superioris domus noviciatus et Provincialis in cuius provincia domus posita est?

Resp. Ad 1. Quia, ut supponimus, domus ista quo novicii convenerunt, tamquam domus probationis talis Instituti a S. Sede approbata est, nisi approbatio diserte ad novicios unius provinciae sit contracta, novicios variarum provinciarum recipere per se potest. Accedit usus. Ob varias causas fit ut in Ordinibus religiosis novicii extra suam provinciam noviciatum peragant.

Ad 2. Res hoc modo definiri posse videtur. a) Superior localis suam iurisdictionem eodem modo in omnes suae domus novicios exercet. b) Mediatam suam in domum et eius incolas Superior provincialis provinciae ad quam domus pertinet pari modo servat et exercere potest. Sunt autem quidam actus pro quibus Provincialis est immediatus Superior, ita ut localis Superior nullam in iisdem partem habeat. Pro his actibus, nisi directe ipsam domum afficiant, novicii a suo quisque Provinciali dependere pergunt.

Quod exemplis istis facile illustrari potest. a) Sine auctoritate Provincialis loci nullus novicius domum istam ingredi et in ea permanere potest. b) Canonica visitatio domus, et consequenter suorum incolarum, ad loci Provincialem pertinet. Alii Provinciales non possunt, nisi accepta Provincialis loci facultate, subditos suos in ipsa ista domo visitare. c) In ipsum autem Institutum, sive ad probationem faciendam sive ad vota emittenda, personas Provincialis personalis

admittit. d) Uterque demum Provincialis, tam personae quam loci, competens est ad novicios e domo ista dimittendos.

N. B. Pro noviciatu alienae Provinciae, non repugnat ut in alienae Provinciae territorio erigatur domus propria alicuius Provinciae v. gr. dispersae, saltem si Loci Superiores illi erectioni assensum dederint. Ac possit etiam noviciatus stricte communis erigi, qui sub mediata potestate plurium Provincialium sit constitutus. Communi tunc consensu Superior localis (si Provincialis locales Superiores instituere solet) nominatur; atque in suos quisque subditos singuli Provinciales omnes potestatem exercent, quasi in sua Provincia domus sit posita.

VI. De communione infirmi non ieiuni, ex privilegio decreti « Post editum », 7 dec. 1906

Potestne facultate ista uti infirmus qui interdum cubiculum egredi potest?

Resp. Si per paucas tantum horas, favente sole, id admisimus, Periodica, t. 2, n. **161**, p. 181.

Ibidem, p. 183, addebamus, aegrotum non posse simul, eadem hebdomada, communiones quasdam, superata difficultate, facere ieiunum, et bis communicare non ieiunum, vi praesentis gratiae. Quia tamen, praeter eos qui nobis suffragantur, probati sunt doctores qui benignius sentiunt, (De Smet, Coll. Brugenses, t. 13, p. 474, Noldin, *De Sacrament.* p. 177 et ipse Card. Gennari, Monitore ecclesiastico), donec res authentice non definiatur, ad horum sententiam se accomodare practice licebit. Sic etiam Besson, Nouv. Rev. Théol. t. 43 (1911) p. 306.

VII. De licentia episcopi quae domibus religiosis condendis est necessaria

Potestne, nullo requisito consensu episcopi, Congregatio religiosa in aliam eiusdem loci partem sedem suam transferre, aut discipulos externos ad domesticas scholas frequentandas admittere?

Resp. Ex ipsa C^e^ *Romanos Pontifices*, Leonis XIII, novae externorum scholae sine episcopi licentia aperiri non possunt.

Prius autem quaesitum ex modo quo facultas sedem habendi in aliquo loco concessa est iudicandum videtur. Si enim certa loci parte licentia expresse vel tacite erat circumscripta, mutatio novum assensum requiret. Si autem de huiusmodi limitatione non constiterit, integrum erit religiosis sedem, in eodem loco, mutare, salvo tamen iure episcopi avertendi aequo modo, etiam impediendo translationem, quorundam speciale praeiudicium. Cfr. fontes citatos, *De religiosis monumentis et personis*, t. 1, n. **115**.

QUAESITA VARIA

VIII. Casus matrimoniales, mixti etiam aliis sacramentis, in colonia Congolensi

Casus primus. — Iter faciens Missionarius, obvium habet christianum barbarum, qui in concubinatu vivit cum muliere quam sibi in uxorem assumet, statim ut copia dabitur.

Cum mulier nondum baptizata sit, copia nunc desideratur. Cupit tamen ut missionarius ipsius confessionem audiat. Quo meliore modo se geret confessarius?

Responsum. Missionarius triplicem agendi rationem inire potest.

Vel, data dispensatione ab impedimento disparitatis cultus, paenitentem statim absolvere et concubinae suae legitimo matrimonio iungere potest. Obstat tamen inconstantiae periculum. Mulieres enim nondum baptizatae facillime maritum deserunt.

Vel ipsum simpliciter absolvere potest, contentus promissione servandae continentiae donec mulier baptizetur. Obstat moralis certitudo inefficaciae talis promissionis. Cum enim a muliere ista separari nequeat, nulla spes est futurum esse ut ambo eodem tecto caste utantur.

Vel denique recusare potest ipsam confessionem seu absolutionem, donec, remota occasione proxima, barbarus maiorem vitae purae spem offerat. Contra tamen est diuturna confessionis salutaris dilatio, quae homini non ita male disposito imponitur.

Age porro, regulariter loquendo, id est plerumque, tertium consilium sequendum erit. Etenim, in difficilibus huiusmodi adiunctis, in quibus damnum quoddam necessarie sustinendum est, bona et mala comparanda sunt, et hac parte standum est quae minoribus incommodis obnoxia videtur.

Cum autem serio timendum sit ne christianus iste a muliere pagana deseratur, quis non videt multas ac saepe inextricabiles difficultates quibus via muniretur si matrimoniale foedus cum huiusmodi muliere ante baptismum contraheretur?

Paenitentia autem hominis barbari, qui concubinam apud se servat, potest ne exspectari vera, seria, talis cui absolutio impertienda sit? Id parum veri simile videtur. Praeterea autem, in istis regionibus, ubi ministri sunt protestantes et europaei parum pii, valde timendum est ne sacramenta nostra deridiculo habeantur, et confessio exhibeatur tamquam facile medium componendi vitam christianam cum pessimis moribus.

Restat itaque ut missionarius, pia monitione atque amicis verbis, animum homini erigat, atque ipsum hortetur ut quan-

tocius se in istis adiunctis sistat in quibus sacramenta frequentare possit.

Si tamen, in casu particulari, probabilis spes habeatur vere obtinendi ut carnale commercium saltem per aliquod tempus abrumpatur, iam perspicitur tunc expedire ut barbarus, bene dispositus, absolutione confirmetur.

Alter Casus. — In urbe quadam Congi inferioris versantur plura millia nigritarum utriusque sexus quos vel legis necessitas vel spes melioris fortunae a variis, etiam remotissimis Congi Superioris (Haut-Congo) districtibus, huc adduxit. Qui plerique, pro religioso Congolensium animo, « orare volunt », ut aiunt, et in religione christiana institui cupiunt. Multi advenerunt soli, alii stipati muliere quadam quam obviam habuerunt ; feminae ipsae, aliae concubinae fuerunt alicuius europaei viri, dum aliae marito suo valedixerunt : cuius mariti possunt esse prima uxor vel aliqua ex posterioribus uxoribus. Hinc non pauca dubia oriuntur.

1. Possuntne baptizari et ad nuptias admitti quotquot affirmant se omni vinculo coniugali esse solutos ? Notandum est, sermones nigritarum ingenti propensione ad mendacium corrumpi, ita ut dixeris moralem ipsorum veritatem non esse nisi conformitatem verborum cum existimata utilitate propria vel cum cupiditate et studio interrogantis.

Responsum. — Causa *baptismi* a *matrimonii* causa separanda est.

Baptismus enim adulti nemini iniuriosus esse potest. Valide, etiam indisposito confertur. Obligatio vero repetendi domicilium derelicti coniugis saepe alia causa vel saltem ipsa difficultate excusatur, nec in conscientia a nigritis apprehenditur. Malitiae falsi responsi non minus ignari sunt. Quare timor vel suspicio falsae declarationis baptismo apte recipiendo plerumque obstare nequit.

Aliter autem res se habent cum de novo matrimonio iungendo agitur. Hic, tertiae personae, id est coniugis fortasse alibi exsistentis iura observanda sunt. Nec alia dubiae coniunctionis incommoda mentem nostram fugere possunt. Quocirca dicendum videtur hoc modo :

a) Cum declarationi etiam iuratae nigritarum tam modica fides adhiberi queat, status liber huiusmodi declaratione non satis probatur ut ob solam istam affirmationem nuptias permittere possis. Saepe quidem missionarius istud persuasum habere poterit : « Etiam si gentilicio more nupta fuerit persona quae se liberam declarat, ob plures nullitatis causas nuptiae istae facile infirmantur. » Sed generalis ista dubitandi ratio sufficere nequit, nisi de singulis matrimoniis dicere possis : « certo nullum vel saltem dubii valoris est. »

b) Nisi ergo aliae adiunctorum rationes fere demonstrent hanc particularem personam esse omni obligatione contraria

solutam, necesse est ut personas noveris quibuscum habitaverit, ut sic possis vel usum privilegii Paulini prudenter suadere, vel ipsam ab interpellatione dispensare (Confer infra). Fieri tamen potest ut satis sit locum novisse unde advenerit. V. g. si propter solam locorum distantiam nulla interpellatio fieri queat, iam causa erit cur personam a facienda interpellatione dispensare rite possis.

c) Qui autem, vix baptizati, carnalia commercia habituri praevidentur, melius non baptizantur, nisi simul ad matrimonium admitti possint. Namque velox ista baptismi profanatio nimium scandalosa est et famae religionis damnosa. Opportunior itaque occasio exspectanda erit. Hanc quandoque civiles nuptiae inter paganos celebratae praestare possunt. Qui enim ob civiles nuptias et vitae consuetudinem veri coniuges putantur, nec ipsi bona fide destituuntur, secluso scandalo baptizari possunt ; et in suo statu coniugali (qui sacramentali vinculo fortasse ob baptismum firmatus est) linqui possunt et debent.

2. Quid de iis faciendum est qui virum vel mulierem quibuscum vixerint indicant, ita ut necessaria sit interpellatio, quae tamen non potest nisi inter plures menses perfici, intra quos menses non se continebunt ?

Responsum. Si causam cernat et facultatem habeat dispensandi ab interpellatione, Missionarius, collato baptismo, sua facultate utatur et novas inter baptizatos nuptias celebret.

Seclusa autem dispensatione, gravis haec difficultas occurrit. Interpellatio suscepto baptismo posterior esse debet. Baptismus autem imminenti profanationis scandalo impeditur. Itaque, in his adiunctis vix aliud remedium suppetit praeter facultatem quam Vicarii apostolici sibi, ad certum numerum casuum, impetrare possunt, faciendi interpellationem antequam baptismus collatus sit.

3. Sponsi etiam christiani, ante matrimonium sponsa sua tamquam concubina uti solent. Quod ipsi mulieri minime displicet, cum sic, ante matrimonii vinculum, consuetudinem et mores sponsi experiri possit. Itaque, Titius christianus cum Bertha catechumena nuptias contrahere proponit. Iam nunc, cum ipsa maritalem vitam agit. Sicut iam monuimus, periculum inconstantiae obstat ne, dispensatione data ab impedimento disparitatis cultus, Titium cum Bertha iungas antequam haec baptismum susceperit, qui nequit nisi satis edoctae et paratae mulieri conferri. Si autem iubeas Titium et Bertham separatim vivere, cum in habitationibus quae Congolensibus istis nigritis designantur ubique viri ac mulieres promiscue vivant, uterque sponsorum cum aliis personis peccare incipiet, ita ut futurae nuptiae exinde minus appetibiles reddantur. Interea tamen Titius velit ad sacramentum paenitentiae accedere.

Responsum. a) Sive a Bertha sua separetur sive cum ea permaneat, Titius in manifesta occasione ita permanet, ut per se non videatur donandus absolutione quae ipsi religioni probrosa esse potest. Regulariter itaque Titius nequit ante matrimonium absolvi.

b) Omnibus perpensis, minus malum esse videtur ut Titius cum Bertha sua vivat quam ut ambo cum aliis personis peccent. Toleretur itaque, vitata tamen omni approbatione, contubernium istud Titii cum Bertha, dum haec in religione eruditur. Completa ista institutione, procuretur saltem ista separatio quae sinat baptismum sine religionis dedecore administrari. Tunc, baptizata Bertha, Titius eam uxorem ducat.

4. Barbari qui ante baptismum civiles nuptias fecerunt saepe postea declarant sibi animum contrahendi defuisse, vel coactos tantum assensum dedisse. Non raro etiam ipsi civiles administri essentialem aliquam sollemnitatem prae neglegentia sua omittunt. Ibi tamen, in civitate ubi lex satis promulgata est, civiles sollemnitates sunt a non baptizatis observandae ut valide coniungantur coram ipso Deo. Cum haec ita se habeant, **quaeritur** :

a) Nonne recepto baptismo, ii qui antea civiles nuptias fecerint, consensum suum renovare debeant ?

b) Quid de catechumenis paganis qui narrant se sine animo contraxisse, vel sine testibus lege requisitis ?

c) Quid de christianis qui in infidelitate vitiatum, ut narrant, consensum dederint quem post baptismum non renovarint ?

Responsum. Ad a) Si alteruter tantum baptizetur, Missionario non licet suadere consensus renovationem quae vel efficacia destitueretur, vel incommodis non careret. Cfr. nostram expositionem casus apostolici, n. **35**.

Si vero ambo baptizentur, conandum per se est ut matrimonium dubium novo consensu, in forma decreti « Ne temere », renovetur. Quae renovatio efficax est et omni caret incommodo. Etenim, post utriusque baptismum, usus privilegii Paulini iam est exclusus.

Ad b) Catechumeni qui simul vivere pergunt, si vitii contractus conscii sint, matrimonium suum confirment sive renovato privatim consensu, si exteriores sollemnitates rite celebratae fuerint, sive adhibitis sollemnitatibus civilibus, si prius adhibitae deficientes esse apparuerint.

Ad c) Si expediat ipsos simul manere, consensum renovent in forma decreti « Ne Temere ».

Tertius casus — Titius quidam paganus, decem ab hinc annis, civiles cum Lucia pagana nuptias fecit quarum authenticum documentum exhibet. De nuptiis istis mulier haec refert : « Titius miles, in Lusambo profecturus, viro europaeo

declaravit se velle me secum ducere. Vir iste, qui civiles contractus celebrare poterat, dum ego agro excolendo operam dabam, coram testibus, me absentem civiliter cum Titio iunxit. Quem cum sequi nollem, europaeus vir me, circumducta collo catena, coegit ut proficiscerer. A Lusambo Titius missus est in Boma ut ibi sex mensium carcere delictum quodpiam expiaret. Interea vixi cum alio viro, unde etiam filium concepi. » Deinde, Lusambo redux, Titius cum Lucia in civitatem ubi nunc sunt venit, atque ambo catecheticae institutioni nomen dederunt. Mox ortae sunt discordiae inter ambos catechumenos. Titius a iudice civili, tamquam suum obtinuit puerulum quem ex alio viro Lucia susceperat, nullum tamen divortium postulavit. Lucia autem, nolens iam cum Titio cohabitare, contubernalem se fecit alius viri christiani, unde etiam puerum concepit. Accidit autem ut Lucia, gravi morbo correpta, a missionario qui haec omnia ignorabat, in mortis periculo baptizata sit. Titius ipse catechumenus, factae sibi interpellationi respondit se paratum esse rursus Luciam recipere, cum eam semper amore prosequeretur. Dicta autem a Lucia de modo quo civiles nuptiae corruptae sint, omnino negat. Simul, cum in eo sit ut natalem suum vicum repetat, instat ut baptizetur. Timet autem missionarius ne, Titium baptizando, ambos, Titium et Luciam ad necessariam et simul impossibilem continentiam redigat, cum Lucia de reditu apud Titium nihil audire velit. Quo itaque pacto tam Titio quam Luciae consuli possit ?

Responsum. Si Titius et Lucia certo validas nuptias fecerunt, Lucia baptizata nullatenus iuvari potest, cum vir eius catechumenus eam recipere velit ; neque ipsi Titio remanet nisi vita caelebs ducenda. Cum enim uxor eius iam sit baptizata, si et ipse baptismo regeneretur, nullus superest privilegio Paulino locus. (Cfr. nostram de casu Paulino dissertationem, n. **43**.) Dummodo itaque bene dispositus sit, et legem christianam observare velit, baptizari potest, sed sine ulla nuptiarum spe, nisi fortasse S. Pontifex voluerit in matrimonio rato et post baptismum non consummato, propter iustam causam, quae hic non desideratur, dispensare.

Facile autem fieri potest ut nuptiae istae vere dubiae sint. Narratio enim mulieris ex iis est quae falsae difficile excogitari possunt, ita ut multo magis veri similis sit quam contraria Titii negatio. Authentica autem documenti civilis exhibitio celebrationem aliquam demonstrat, non autem observatas sollemnitates vel mulieris praesentiam. (Cfr. quae supra, p. (12), diximus de officialium incuria.) Postea, de renovato consensu nullus sermo factus esse videtur. Ac praeterea consensus clandestinus defectum civilis sollemnitatis reparare non potuisset.

Conetur itaque missionarius adiuncta explorare, separatim

Titium et Luciam interroget de priore et de posteriore sua cohabitatione. Diligentiam magistratus civilis qui civile documentum tradidit etiam exploret, Quod si, omnibus perpensis, matrimonium dubium esse cognoscat, idem, in fidei favorem prudenter nullum declaret, Luciam cum altero christiano iungat, deinde Titium baptizet eique statum suum liberum renuntiet. *Prudenter*, inquam. Res enim ita componenda est, ut civilis potestas spreto civili matrimonio non offendatur.

IX. De missarum celebratione et calendario sequendo in ecclesiis vel oratoriis.

Primus casus : *De missis defunctorum in oratoriis.*

1. Ex responso S. Rituum Congr. 10 nov. 1906, Ordinis Fratrum Minorum, in oratoriis et ecclesiis publicis seminariorum, collegiorum et communitatum religiosarum, licet « *semel* tantum, in una ex tribus diebus ab obitu usque ad sepulturam decurrentibus, » uti privilegio concesso per decretum *Aucto*, 8 iun. 1896, quo missae privatae de Requie indulgentur pro defuncto cuius corpus physice vel moraliter in domo praesens fuerit.

Quaeritur, utrum dies illa sumi debat dies sepulturae, an libera diei optio permittatur ?

Respondimus, Periodica, t, 3, p. 28, optionem diei esse concessam. Quod ita tamen intellegendum est, ut una eademque dies ab omnibus sacerdotibus eligatur. Indultum enim minus personale est quam locale. Non conceditur singulis sacerdotibus ut apparatu nigro semel celebrent, sed ut in sacello, una die, missae tali apparatu dici possint.

2. Est domus quaedam principalis cui altera, secundaria, adiungitur, ita ut, quamvis bina aedificia mille metrorum distantia separentur, unius tamen censeantur esse communitatis. Soli autem domui principali coniungitur ecclesia.

Hinc **quaeritur** : a) Utrum principale sacellum domus secundariae, pro ecclesia an pro privato sacello, quod ad usum dicti privilegii, haberi debeat ? b) Utrum, si corpus iaceat in domo principali, privilegium oratorio domus secundariae prosit, et contra.

Responsum ad 2. a) Ad quaestionem solvendam, videndum est utrum exsequiae tantum in ecclesia domus principalis an etiam in oratorio domus secundariae fieri consueverint. Si in sola domus principalis ecclesia celebrentur, oratorium domus secundariae pro privato, quod attinet ad praesens privilegium, haberi potest. Si vero in ipso sacello domus secundariae iusta funebria fiant, sacellum istud ecclesiae locum tenere dicendum est. Quare regulam hanc proferre possimus : Ubi exsequiae, ibi ecclesia.

b) Ob communitatis unitatem, dici posse videtur corpus defuncti, quod in altera domo physice praesens est, moralem in altera praesentian habere. Moralis autem corporis praesentia sinit uti privilegio, una tantum ex diebus qui ab obitu decurrunt, usque ad biduum a sepultura. Cfr. PERIODICA, t. 3, n. **166**, p. 28.

Alter casus. *De calendario Ecclesiae et regularium privilegiis.*

1. Quamvis nullae in Belgio sint paroeciae regulares, solent Episcopi, aequitatis rationibus ducti, paroecias quasdam regendas tradere parochis desumptis ex canonicis Praemonstratensibus vel Patribus Cisterciensibus. Hinc quaestio mota est de calendario secundum quod in istis ecclesiis missa dicenda et officia divina peragenda sint.

Responsum. Cardo rei versatur in hac altera quaestione: Sunt ne ecclesiae istae ipsi monasterio, an tantum privatis regularium personis commissae ? Hanc enim manifestam distinctionem facit decr. 15 dec. 1899 (n. 4051) *Urbis*, iubens ut in ecclesiis quae familiae religiosae concreditae sunt, non autem in ecclesiis quae mere alicui personae privatae, ad eandam familiam pertinenti, commissae sunt, omnes proprium Ordinis calendarium adhibeant. Idem confirmatum nuper est responso 11 febr. 1910 [1] ubi, ad II, in municipali ecclesia, S. Rituum Congr. calendarium canonicorum Lateranensium admisit, dum modo ecclesia ista Congregationi Canonicorum Lateranensium concredita esset ; et responso 22 martii 1910 [2] ubi clarissimas has regulas tradidit : « Si paroecia sit monasterio vel domui religiosae incorporata, aut eiusdem monasterii seu domus curae in perpetuum vel indefinitum tempus concredita, cel communitas apud ipsam parochialem ecclesiam divina peragat officia, in missis calendarium Religiosorum semper adhibeatur ; secus item in missis calendarium dioecesanum semper servetur. »

Nec obstat responsum in Ratisbonem. ubi S. R. C. sequendum declaravit calendarium Regularium in ecclesiis quae « licet in possessionem Regularium haudquaquam transierint, et a iurisdictione Ordinarii minime exemptae sint, ab episcopo tamen sacerdotibus regularibus ad tempus concreditae sunt. » Etenim S. Rituum Congr., dum nos remittit ad decr. 15 dec. 1899, manifesto supponit ecclesias istas ipsi familiae religiosae commissas esse.

Age porro, istae Belgii ecclesiae, si eas fortasse excipias quae monasterio contiguae sunt, Ordini ipsi minime concreditae sunt. Sic existimat VANDER STAPPEN, I. q. 99.

Et res probatur eo quod iisdem paroeciis episcopus ali-

---

[1] PERIODICA, t. 5, n. **406**, p. 140.
[2] PERIODICA, t. 5, n. 411, p. 144.

quando regularem, aliquando saecularem sacerdotem praeficit, vel parocho saeculari regularem sociat vicarium. Quocirca, secundum nuperrimum decretum 22 mart. 1910 in Secovien. dicemus : « Calendarium regularium adhibendum est in ecclesiis quae ad monasteria adiacent, in quibus etiam communitas religiosa divina officia celebrat ; dioecesanum autem calendarium viget in aliis paroeciis, quamvis parochum habeant Cisterciensem vel canonicum Regularem. »

2. Decreto 2 dec. 1891, *possunt* Regulares in oratione *a Cunctis* fundatorem nominare [1].

Habent ne hanc facultatem in solis suis ecclesiis, an etiam in ecclesiis ubi dioecesanum calendarium vigeat ?

Responsum. Privilegium istud ubique ipsis prodesse censemus. Nulla enim in decreto fit locorum circumscriptio ; privilegium autem non reale sed personale esse videtur, simile alius privilegii quo plures religiosi in *Confiteor* suos Patronos appellant : quod in omni ecclesia ubi celebrant facere consueverunt. Consequenter vero dicemus, ab aliis sacerdotibus qui in regularium ecclesiis celebrant, fundatorem nominandum non esse.

3. Episcopi solent in pluribus Belgii dioecesibus praecipere, ut, dum exercitia spiritualia clero dioecesano traduntur, collecta de Spiritu Sancto recitetur. **Quaeritur** utrum necne oratio ista sit etiam in regularium ecclesiis dicenda ?

Responsum. Res ista in episcopi arbitrio posita est, qui omnibus collectam imponere potest, et etiam ad certum personarum genus vel ad certa loca obligationem contrahere. Quod enim episcopus potest per modum legis, videtur etiam per modum praecepti per se posse ; vel, ut magis generale principium appellemus : qui potest plus potest minus. Considerandus itaque est modus quo oratio ista sit praecepta. In dioecesi Mechliniensi, putamus orationem istam soli clero dioecesano imperatam esse. Promulgatur enim calendario dioecesano, quo regulares non utuntur, dum orationes omnibus imperatae encyclicis episcopi litteris denuntiari consueverunt. Atque, ex ipsis verbis, agitur de iuvandis confratribus, quales minus stricte sunt clerici regulares exempti. Sic enim sonat praeceptum : « Clerici omnes pro congregatis Confratribus universoque dioecesis clero, Deum specialiter deprecabuntur ; a die 7 augusti ad diem 22 septembris in Missae sacrificio sacerdotes (non dicitur omnes) addent collectam de Spiritu Sancto. »

---

[1] Cfr. *De Religiosis domibus et personis*, t. 2, n. **218**, ed. 4.

SUPPLEMENTUM XVII

DE TEMPORALIUM BONORUM POSSESSIONE ET ADMINISTRATIONE IN MISSIONIBUS EXTERIS

(Continuatur [1]*)*

II. De possessione et administratione bonorum secundum iuris naturalis principia

1. Utilis in primis est haec consideratio. Quamnam condicionem temporalia bona in missionibus obtinerent si nulla iuris positivi indicatio haberetur.

Et re quidem vera, humanarum legum lator, dum alto suo dominio utitur ad socialem possessionum rationem perficiendam, omnia suis ordinationibus complecti non potuit, ita ut plura semper supersint quae ex solo naturali iure definienda sint. Censetur etiam quam minime a naturali rerum condicione recedere voluisse, ita ut quae hanc condicionem mutent stricte interpretanda sint, atque in dubio secundum hanc condicionem responderi debeat.

2. Age porro, si iure naturae stemus, haec fere erit naturalis bonorum partitio.

a) Quod *ad subiecta* a quibus bona ecclesiastica haberi possunt,

Antistiti et sacerdotibus seu ministris sua erunt cuiusque propria bona.

Alia bona ab Instituto religioso communiter possidebuntur.

Alia demum bona ad religiosam fidelium societatem pertinebunt, sive haec una sit omnium istius regionis fidelium societas, sive in plures societates seu ecclesias fideles dispertiantur, sive, praeter communem omnium fidelium societatem, plures aliae minores in finem spiritualem minus universalem conflatae sint.

b) Quod ad bonorum *originem*,

Alia bona iam antequam missio exsisteret vel saltem sine ullo missionum respectu a personis ecclesiasticis vel ab Instituto religioso possidebantur.

Alia bona, reditus seu fructus sunt bonorum possessorum.

---

[1] Cfr. PERIODICA t. IV, p. (1) ss.

Inter quae bona, ipsi industriae personalis fructus profecto reponendi sunt, cum nihil tam proprium quam vires et industriam suam homo habeat. Observes tamen paupertatem ab *omnibus* religiosis ita voveri, ut fructus propriae ipsorum industriae Instituto religioso addicti existimentur. Quare regularis vel religiosus non pro se sed pro suo Instituto, episcopus autem regularis vel religiosus pro sua ecclesia fructus istos acquiret [1].

Alia bona ex imperata quadam collatione vel ex ultronea aut libera saltem liberalitate cuipiam subiecto idoneo adveniunt. Auctores rursum istarum largitionum ipsi missioni extranei esse vel ad eandem qua moderatores, qua missionarii, qua religiosi, qua fideles pertinere possunt. Praeter enim europaeos donatores, possunt antistites varia religiosis vel ecclesiis dare, possunt ipsa religiosa Instituta plura ex reditibus suis in subsidium missionum conferre, vel ipsi Antistiti possidenda tradere.

Quae simplex numeratio satis manifestum iam facit potissimas difficultates seu dubietates a tertio isto bonorum genere, id est, largitionum, proficisci.

Per se autem, seu stando naturae iure, qui bona possidet eadem etiam, salvis susceptis obligationibus, administrat.

Saepe tamen expressus vel tacitus possidentium assensus bona communia uni vel paucis selectis personis in finem communem administranda committit.

c) De bonis autem donatis, haec regula pro suprema, ex iure naturae, haberi potest, quae ipsa C. *Romanos Pontifices* memoratur : *Largientis voluntas in primis consulenda est.*

Haec porro voluntas rursus varia esse potest.

Potest quispiam intentione sua mere aut ad Institutum religiosum aut ad missionis ecclesiam seu coetum fidelium et catechumenorum respexisse, ita ut vel Praefecto missionis tamquam canali usus sit ad largitionem Instituto faciendam vel Superiore aut missionario religioso ad bene faciendum missioni. Nulla tunc in ipsa voluntate ambiguitas deprehenditur quae causa esse possit dubitandi de subiecto cui donum factum sit.

Plerumque vero, benefactor mixta quadam voluntate fertur ut simul Instituto religioso benignum se exhibere atque evangelico dilatandae fidei operi prodesse voluerit.

Praeter causam motivam impulsiva tunc habetur propter quam facilius dat, immo sine qua fortasse non daret. Sicut

[1] Sic de episcopo dicimus, quia, ex iure canonico, Ecclesia est episcopo regulari vel religioso instar monasterii vel Instituti cui acquirat. Cfr. *De Religiosis Institutis et Personis* I, 498.

enim in nostra regione mihi petenti committi potest eleemosyna tradenda definito pauperi cui, nisi petiissem, subsidium negatum esset, sic persona vel instantia missionarii necessaria esse potuit ut donum quodpiam missioni conferretur. Quocirca errarit profecto missionarius qui sibi vel Instituto factam largitionem putaret, quia id testari posset : Nisi petiissem, nihil datum fuisset. Potest tamen etiam largitor missionum consideratione impelli ut ipsum Institutum in possessionem quorundam bonorum venire velit. Quocirca falleretur etiam qui fidelium societati non autem Instituto addicta putaret quaecumque hoc modo data sint ut nisi Institutum Sinenses missiones haberet, nulla largitio facta esset.

Itaque benefactor qui Instituto religioso donum dat pro eius Sinensibus missionibus, quamvis utraque consideratione Instituti vel missionum simul moveatur, alterutrum tamen principaliter ante oculos habere potest. Id est, fieri potest ut rem potius Instituto quam missionibus, vel contra potius missionibus quam Instituto, vel moraliter aeque Instituto et missionibus deputet.

Quid iuris in singulis casibus ?

Qui, pro certo fine, pecuniam vel alia bona in manibus ponit personae quae de fine isto sollicita esse videtur, huic certe bona ista administranda tradit. Dominium autem eorum esse vult quorum principalem respectum habet. Si enim Instituto favere vult, eidem dando pro missionibus donationem sub onere facere videtur. Qui autem sub onere donatarius est, rem tamen vere possidet. Contra autem, si, medio Instituto, rem missionibus destinavit, Institutum tutori similis est qui rem alienam, hic missionum, procurat. Quod si, denique, aeque Instituto ac missionibus bene facere voluerit, donum suum inter Institutum et missiones quasi commune reddit.

Quamdiu autem Institutum praefinitum finem revera procurat, distinctio tanti momenti esse non videtur. Sed si causa quaepiam Institutum a fine isto procurando avocaverit, utputa si missionibus istis valedixerit, valde refert rescire in cuiusnam dominio bona sint quae ab Instituto administrantur. Discedens enim Institutum sua bona secum auferet, dum Missioni linquere debebit quae missioni a donatore addicta erant. Quod si de principali voluntate non constiterit, res in binas partes dividenda videtur, quarum altera Instituto, altera missionibus cedere debeat.

d) Restat nunc ut de intentionis interpretatione agamus, cum donator mentem suam expresse non significaverit.

Age porro regula universalis tradi posse non videtur, sed ex affectu dantis, ex finis designatione vel aliis praesumptionibus diiudicanda est.

Ex *affectu* dantis, qui specialiter in missiones quasdam fovendas, quia patriae sint vel maxime indigentes, vel in Institutum ferri potest.

Ex *finis designatione*. Quo minus finis definiatur, eo magis res Instituto data videtur. Sed contra, quod pro definito missionum loco vel opere erogatur ad illum locum vel ad illud opus pertinere dicendum est.

Quaeres undenam de missionum bonis partiendis difficultates oriantur quae in nostris regionibus ignorantur. Commoda enim divisione, largitiones religiosis factae Instituto religioso addictae manent, dum Episcopus dioecesanis operibus dona a se recepta libere etiam tribuit. Et quod de Episcopo dicitur valet etiam de parochis et de clero saeculari.

Verum duplex est discriminis ratio. Hic Instituta religiosa non solent nisi opera in sua potestate posita procurare, cum paroeciis administrandis sacerdotes saeculares sufficere possint. Quare quod Instituto traditur, traditur pro finibus qui intra Instituti provinciam comprehensi sunt, ita ut sub omni respectu res ad Institutum pertineat. In missionibus, contra, cum saepe desint clerici saeculares, religiosi, praeter sua specialia opera, etiam ea sollicite curare debent quibus Ordinarius (Episcopus, Vicarius, seu Praefectus apostolicus) praeficitur. Duplicem quasi personam induunt, ut simul religiosi sint, suis Praelatis subditi, et missionarii, qui sub Ordinarii regimine dilatandae fidei operam dant. Ipsi rursus largitores probe hic norunt esse bona quae ad religiosos et alia quae ad dioecesim vel paroecias pertineant, dum confusa tantum ratione regimen missionum cognoscunt.

Sed in nostris ipsis regionibus, si regulari viro paroecia regenda committitur iam de recta bonorum partitione difficultates moventur quae exsistere nequeunt ubi non duae causae piae, Institutum et ecclesia, sed una tantum, ecclesia, habetur.

3. Hactenus de *bonorum* divisione et possessione. Quid autem de *oneribus* seu de *sumptibus*.

Brevis hic sermo noster esse poterit.

Mens tam donatorum quam Ecclesiae profecto est ut in territorio missionum missionarii religiosi et Antistites non minus opes suas, pro viribus suis, quam operas suas ad sublimem finem assequendum conferre studeant. Quare qui divitior fuerit magis inopem fraterno auxilio iuvet.

Stricte autem loquendo, suis quisque operibus providere debet, ita ut sumptus pro scholis elementaribus, catechismis, quae Antistiti addicuntur, ab Antistite faciendi sint. Et cum ipsum ministerium sacrum erga fideles sub Antistitis auctoritate penitus constitutum sit, missionarios quos in ministeriis occupat ipse alere debet.

4. Verum cum multa in incerto esse debeant, res vix componi bene poterunt nisi ex aequabili pactione quae ad varia adiuncta mutuas rationes clare accommodet.

(Continuabitur.)

QUAESITA VARIA

X. De dispensatione a ieiunio et abstinentia, ex facultate episcopali

In Belgii et pluribus aliarum regionum dioecesibus, Episcopi solent Confessarios a se approbatos habituali facultate munire paenitentes ob iustam causam a ieiunii et abstinentiae lege dispensandi. Hisce positis, iam **quaeritur** :

1. Titius, regularis exemptus, confessarium habet regularem qui simul ab Episcopo approbatus est. Potestne confessarius iste, delegata Episcopi facultate, paenitentem suum regularem a lege ieiunii et abstinentiae dispensare ?

2. Idem Titius si, in itinere, apud parochum vel confessarium saecularem confiteatur, potestne ab isto confessario eandem dispensationem obtinere ?

3. Caius ad Institutum religiosum pertinet quod, quamvis exemptum sit, sinit, ex ipsis approbatis Constitutionibus, alumnos suos apud quemlibet saecularem Confessarium confiteri. Potestne Caius iste a confessario saeculari in ieiunio et abstinentia dispensari ?

Resp. Memorandum in primis est generale istud principium. Quamvis Episcopus suas dispensandi facultates in Regulares vel religiosos exemptos per se explicare nequeat, nec ipsi Regulares suam exemptionem, qua ipsa S. Pontificis auctoritas commendatur, neglegere possint, nihilo minus satis communis sententia concedit fieri posse ut regularis exemptus ab Episcopo dispensetur, dummodo proprius religiosi Superior id permittat. Cfr. *De Religiosis Institutis et Personis*, t. 1, n. **382**.

Ut iam ipsos casus solvamus :

Ad 1. Cum Titius regularis a suo confratre absolvatur ex delegata non ab Episcopo sed a proprio Praelato iurisdictione, non est paenitens sui Confessarii quatenus is est dioecesanus et suam dispensandi facultatem ab Episcopo accepit. Quare cum paenitente regulari sua dispensandi facultate uti nequit, etiamsi proprius Praelatus usum istum permittat. Quamquam ipse regularis Praelatus suam facultatem confessariis suorum delegare non prohibetur.

Ad 2. Etiam in itinere, vel cum alieno seu dioecesano confessario regularis confitetur, iurisdictione non episcopi

sed Ordinis absolvitur, ita ut iterum a confessario isto saeculari in ieiunio vel abstinentia dispensari nequeat.

Ad 3. Tertium autem casum aliter solvendum putamus. Ex ipsis enim Constitutionibus, religiosi isti quoslibet Confessarios adire permittuntur. Quocirca iidem propria Confessarii iurisdictione absolvi videntur. Cur hic non possit in foro interno cohaerentem iurisdictioni facultatem exercere, id minime perspicitur.

Tacitus Superioris assensus desiderari non videtur. Is tamen positiva sua voluntate facultatem dispensandi cum suis in legibus ieiunii et abstinentiae, ad se et ad suos delegatos revocare minime prohibetur.

XI. **Delegatio ad assistendum matrimonio, ex decreto « Ne temere »**

In regione quadam solent parochi, cum per unam alteramve hebdomadam ferias agere proponunt, Superiorem cuiuspiam religiosi Instituti scriptis litteris rogare ut quempiam e suis subditis, ab ipso eligendum, in eorum paroeciam mittat qui universali ratione, dum absunt, eorum vices suppleat. Cui designando vicario omnes facultates, etiam ad matrimonia celebranda, iisdem litteris delegare non omittunt.

Sunt etiam qui, antequam iter arripiant, scriptam schedulam praeterea linquunt quam adventans religiosus inveniat ut in ea confirmatam sibi delegationem etiam ad matrimonia reperiat.

Quaeritur itaque utrum necne religiosus a Superiore missus matrimoniis celebrandis valide delegatus sit?

Resp Manifestum est omnem difficultatem seu dubitandi causam repetendam esse ex articulo VI decreti *Ne temere*, 2 aug. 1907, quo delegatio *sacerdoti determinato ac certo* committenda esse dicitur.

Et invalida quidem pronuntianda foret delegatio specialis ad matrimonia celebranda, quae his verbis redderetur : « Delego subditum religiosum quem tu elegeris. » Quamvis enim persona sic delegata indirecte sit determinata, non est tamen certa.

Immo, nisi fallimur, iam tunc cum actu delegatur, persona certa esse debet, id est, in certam personam actus delegandi tunc cum fit cadere debet. Sin minus, lex facillime eluderetur ita ut frustra condicio delegati *certi* praecepta esset. Posset enim parochus cuilibet, v. gr. alterutri sponsorum, committere ut sibi quaereret sacerdotem benevisum, cui traderet schedulam sic a parocho in antecessum inscriptam : « Te electum a Titio delego ut eius matrimonio intersis. » Quod Pontifex nova sua lege impedire voluit.

Quare, quod discedens parochus schedulam istam affuturo vicario paratam linquat vel non, id satis parum referre arbitramur.

Verum illud etiam considerandum venit, in casu proposito delegationem matrimonialem quasi partem esse deputationis universalioris ad vices absentis parochi gerendas, quae universalior deputatio modo supra descripto valide fieri potest. Huc itaque redit sermo : Quod de speciali delegatione edictum est, num valet de delegatione quae in generaliore est contenta ? Rationes profecto diversae sunt. Et cum correctio iuris odiosa habeatur, exceptio qua delegandi potestas circumscribitur stricte profecto interpretanda est. Immo nonne possis religiosum istum qui sic per aliquot dies omnia in paroecia agit aliquo pacto parochis assimulare ?

Quocirca, ob generalem rationem qua religiosi a Superiore designati parochum supplent, formam istam delegandi etiam quod ad matrimonia valere arbitramur. Quia tamen res agitur quae tutiorem agendi modum postulat et facile in controversiam fori exterioris desinit, suadendum putamus ut parochus designato iam religioso delegationem suam confirmare non omittat.

XII. De confessario religiosorum vel regularium

Titius bona fide professionem fecit propter occultum vitium invalidam. Factis votis, inter professos versari coepit eosque confessarios habere quos novicius adire non potuit. Num, si ceterae adsint condiciones, a confessariis istis valide absolvitur ? Et quid, si ipse de valore professionis suae dubius fuerit ? Quid si conscius nullitatis, ita tamen ut sine gravi peccato manifestationem vitii differre et bene dispositus interea confiteri possit ?

Resp. Ipsa nullitas quae dubitandi locum praebet vel solam professionem vel ipsam cooptationem in novicios afficere potest.

Si plenior nullitas fuerit tam noviciatus quam professionis, obvia haec responsio plerumque dari poterit : Sic invalide receptus saltem pro familiari habendus est. Possunt autem familiares a confessariis regularibus absolvi. Nisi itaque magister noviciorum novicios tantum absolvere permittatur, Titium saltem qua familiarem valide absolvit. Ac de aliis confessariis perinde dicendum est.

Quid autem si sola professio valore caruerit, ita ut professi species novicium, non mere familiarem, celet ?

In hoc etiam casu de valore absolutionis ambigendum non est. Cum enim ad externas rerum species actiones nostras accommodare cogamur, et professionem occultis quandoque

vitiis infirmari non ignoretur, voluntas Superiorum qui confessarios deputant, talis rationabiliter esse debet ut omnes qui externe professis adiungantur a professorum confessariis valide absolvantur. Quamquam qui se novicium esse noverit proprium noviciorum confessarium etiam adire non prohibetur.

XIII. De Religiosis dispersis

Recenti procellae cedens, religiosa Sororum communitas in alienam regionem se contulit ubi secundum constitutiones suas vivere perrexit. Non nullae tamen Sorores in Gallia dispersae manserunt, quibus, dum indigebant, communitas providere non omisit. Verum Episcopus dioecesis unde discessit contendit suam auctoritatem in praefatum conservatorium intactam mansisse. Civili enim iniuria, sic ipse, nihil de iuridico communitatis statu detrahi potuit. Quocirca pecunias quasdam ipse, tamquam Superior, et servare se et administrare posse contendit, ita ut suo arbitratu sororibus quae in Gallia singulatim vivunt ex istis pecuniis opitulari possit. Communitas, contra, contendit se, ipsa migratione, una Episcopi in cuius dioecesi sedem posuit auctoritate regi.

Quid iuris, in casu.

Resp. Propter iniuriam iura non mutari, per se quidem verum est, quatenus ipse iniuriae auctor iniuste ditescere nequeat. Saepe tamen iniuriae causa sunt cur iura mutentur. Sic haeres legitimus bona personae occisae iuste acquirit; sic qui iniustum aggressorem repellit a persona quam tuetur rationabiliter promissam mercedem iure suo exigit. In praesenti porro casu, iniusta quidem lex iustam dedit Sororibus discedendi facultatem et sedem in alia dioecesi ponendi. Verum tunc C. *Conditae* 8 dec. 1900, cum generali modo statuat Sororum domos in illius Episcopi potestate esse in cuius dioecesi constitutae sunt, id efficit ut communitas ista hoc Episcopo tamquam Superiore uti coeperit. Qui Episcopus nullo pacto iniustus fuit dum annuit ut Sorores in sua dioecesi novum domicilium sibi eligerent. Restat itaque ut omnia iura Episcopi localis in istam communitatem exercere incipiat, immo illis sororibus quae communitati adiungi renuerunt in religiosa ipsarum vita, si quam servent, praeficiatur. Specialem enim oboediendi Episcopo obligationem feminae istae non habent nisi quatenus ad communitatem pertineant. Qui autem communitatem etiam eius membra pari potestate regit.

Potuerat quidem Episcopus unde sorores profectae sunt, speciali pactione cum altero Episcopo suam sibi auctoritatem servare. Verum de nulla peculiari pactione in mota Quaestione sermo habetur.

XIV. De matrimonio et cooperatione, in missionibus

1. Titius, christianus, in sua possessione habet, secundum leges barbaras, neptem paganam. Potestne a pagano pecuniam accipere seu dotem, qua is eam in uxorem acquirat?

Resp. Ob maximum perversionis periculum quod in coniugiis istis ineundis curritur, debet profecto Titius, ex stricto caritatis et pietatis debito, nepti suae occasionem offerre institutionis christianae. Neptem iam nubilem et adultam supponimus. Haec si recuset, cogi nequit, nec iure coniugii privanda est. Quare si conatus conversionis frustranei cesserint, Titio haec duo curanda restant, ut matrimonium validum fiat, ac neptis maritum quem ipsa amet obtineat. His praestitis curis, cum nuptiae etiam inter paganos honeste contrahantur, Titius consuetam pecuniam sine scrupulo accipere potest.

2. Idem Titius aliam neptem habet quae pagano quidem nupsit, sed facto divortio plenam secundum barbarorum persuasionem libertatem recuperavit. Potestne, accepta dote, eam alteri viro nubendam tradere?

Resp. Non potest, sive priores nuptiae certo validae fuerint sive saltem probabilem valorem habeant. Etenim etiam in dubio de priore vinculo, novae nuptiae illicitae sunt, quibus proinde positive assentiri nefas est.

Fieri tamen potest ut Titius malitiam istam non apprehendat et, omnibus perpensis, a bona sua fide deturbandus non videatur.

3. Titius christianus puellam paganam in sua possessione habet. Potestne, sine gravi peccato, sinere ut in vico pagano sicut aliae paganae instituantur?

Resp. Positivo officio, a quo grave omnino incommodum solum excusare potest, tenetur ut christianam puellae institutionem procuret. Unde per se graviter peccat dum sinit ut puella pagana ratione instituatur. Multo gravius peccarit si ipse eam paganis positive tradiderit.

XV. De baptismo in missionibus

1. Titius, adulescens, tamquam perpetuo amens baptizatus est. De eius amentia nunc valde dubitatur. Debetne, potestne sub condicione rursus baptizari?

Resp. Si, pro modulo suo, adulescens priori suo baptismo assensum dedit, nullum tunc de valore baptismi rationabile

dubium habetur. Assensus enim vel non requirebatur vel datus est. Quare nihil tunc faciendum est.

Si autem nullatenus in baptismum suum consensit, instruatur quantum fieri possit, et tunc, postulato assensu, excitata contritione vel attritione de peccatis propriis, sub condicione baptizetur. Ipsi renovato baptismo nulla confessio praeponi debet. Utiliter tamen praeponitur, dilata post baptismum absolutione, ut Titius certiore paenitentia iuvetur, et simul ad alia sacramenta praeparetur. Dubie enim amentes ab aliis sacramentis, praesertim a s. eucharistia sumenda repellendi non sunt.

2. Caius, puer, in periculo mortis, baptizatus est sine caerimoniis. Nunc adultus factus est, nec satis instructus videtur ut baptismo recipiendo (si baptizatus non fuisset) dignus existimetur. Debentne caerimoniae suppleri ?

Resp. Ex sacramenti dignitate et religionis decore solutio repetenda est. Iam vero decori isti magis consulitur si caerimoniae tunc tantum suppleantur cum baptizatus adultus satis in religione edoctus sit. Quare melius differentur.

Porro, observes, cum caerimoniae ad baptismum accedant et baptismus in aetate puerili a Caio receptus sit, caerimonias non baptismi adultorum sed infantium supplendas esse.

3. Sempronio adulto baptismus validus sed sine caerimoniis, in periculo mortis, collatus est. E quo periculo incolumis evasit; antequam tamen caerimoniae supplerentur, morbo contagioso affectus, oratorio visitando prohibetur. Debentne extra oratorium caerimoniae suppleri ?

Resp. Si morbus periculum faciat ne sine suppletis caerimoniis moriatur, hae suppleantur extra oratorium si sine notabili incommodo fieri possit.

4. Sufficitne causa rationabilis an gravis requiritur ut baptismus cum caerimoniis extra locum sacrum conferatur ?

Resp. Novimus, pro causa ob quam baptismus extra locum sacrum conferatur, leges de adhibendis caerimoniis variare. Si enim ob periculosum morbum, caerimoniae quae baptismum praecedunt adhiberi non possunt, quae vero sequuntur adhiberi possunt, sed non debent. Convalescente deinde aegroto, omissae caerimoniae in ecclesia supplentur.

Sed si propter difficultatem adeundi ecclesiam baptismus puero extra locum sacrum ministratur, tunc vel spes est fore ut postea in ecclesiam deferatur : quo casu baptismus conferetur sine caerimoniis, quae deinde in ecclesia supplebuntur, — vel huiusmodi spes non habetur : quo casu baptismus domi cum caerimoniis debitis administrabitur.

Ut iam propositam quaestionem solvamus : vel in regione ista exstat ecclesia proprie talis, et tunc, gravis causa neces-

saria est ut caerimoniae extra ecclesiam adhibeantur; vel non est ecclesia sed mere oratorium quodpiam semipublicum. Quamvis etiam tunc opportunum sit ut baptismus in oratorio cum caerimoniis conferatur, cum tamen locus minus stricte sacer sit, in quo, per se, baptismi fontes non habentur, omnis rationabilis causa nimiae distantiae, nimiae dilationis, etc. sufficit ut baptismus cum caerimoniis extra locum sacrum dispensetur.

5. *De procuratore* qui *patrinum* vel *matrinam* repraesentet. Non ita raro contingit ut benefactor europaeus puerum quempiam barbarum e sacro fonte levare velit. Quod per procuratorem vel mandatarium obtinebit. De quo procuratore quaeritur: a) Num debeat esse christianus; b) Num eiusdem sexus cuius est persona quam repraesentat; c) Num unus amborum (patrini et matrinae) vices simul agere possit; d) Num ab ipso patrino vel matrina designandus sit.

Resp. a) Procurator baptizatus esse debet. Quamvis enim agendi capacitas ex mandante potius quam ex mandatario aestimetur, ita ut proxima capacitas (quae positiva lege definitur) procuratori deesse possit, quaedam tamen radicalis capacitas in ipso mandatario necessaria est. Sic, in ordine civili, minor natu potest quidem pro alio actus agere ad quos ipse civiliter inhabilis est; naturalis tamen contrahendi capacitas seu ratio satis evoluta in ipso inesse debet. Iamvero patrino incumbit, praeter praesentem fidei professionem, cum dicere debeat *Credo*, quaedam institutionis christianae cura cuius infidelis incapax demonstratur. Quare per huiusmodi incapacem repraesentari nequit. Accedit quod si iam vetita in sacris communicatio impedit ne ipse haereticus pro procuratore adhibeatur, fortior decoris ratio infidelem arcere debeat.

b) Nullo pacto exigitur ut procurator eiusdem sexus sit cuius est persona repraesentata.

c) Res ista manifesta non est. Nihil per se prohibet quin in actu iuridico plures personas sustineas.

Quod tamen uno baptizandi contactu pro duabus personis condicioni satisfacere possis levandi puerum e fonte (quod essentiale est) hoc merito ambigi potest. Certe a nostris usibus plane alienum est ut patrinus v. gr. simul absentis matrinae vices agat.

d) Nec per se nec iure aliquo positivo exigitur, ut procurator sit a mandante directe electus. Potest itaque mandans missionario vel viro fido committere ut sibi eligat aptum procuratorem qui pro ipso puerum suscipiat.

N. B. Ipse baptizans patrinus esse potest, dummodo procuratorem eligat qui pro ipso baptizatum tangat.

XVI. De iuridica condicione Instituti votorum simplicium quod a S. Sede decretum laudis impetravit

Ex Const. *Conditae*, 8 dec. 1900, qua Instituta votorum simplicium communem et fundamentalem suam legem habere coeperunt, bina Institutorum genera distinguuntur, alia *dioecesana*, quae in manu sunt Episcoporum, alia quae Apostolicae Sedis comprobatione sunt aucta, « seu quod ipsarum leges ac statuta recognoverit, seu quod insuper commendationem ipsis approbationemve impertiverit ». Itaque, non sola approbata sed etiam commendata Instituta iure pontificio fruuntur. S. deinde Congregatio Episcoporum et Regularium, normis suis quas 28 iunii 1901 condidit, laudem intentionis et finis a laude Instituti accurate distinxit, ita ut ob hanc posteriorem non autem propter priorem laudem Institutum mere dioecesanum esse desinat, et altero capite C. *Conditi* regi coeperit.

Quod tamen, ob laudis decretum, Instituta sub pontificio iure iam constituantur, id, quando Leo XIII suam Constitutionem promulgavit, satis ignorabatur et mirum videri potuit. Inde factum est, ut Instituta quaedam quae, teste Bizzarri, a pluribus annis decretum laudis consecuta erant nec dioecesanum regimen mutarant, etiam post C. *Conditae* una Episcopi auctoritate regi perrexerint. De quibus Institutis iam **quaeritur**, quid iuris statuendum sit?

Resp. In iure receptum est rationabili consuetudine iurisdictionem acquiri et iuri communi derogari posse. Cfr. C. Duo simul, 9, De officio iudicis ordinarii (I, 31), Cum contingat, 13, De foro competenti (II, 2), C. Cum tanto, 11, De consuetudine (I, 5). Quam consuetudinem post decem annos vigere probabiliter affirmari potest. Cfr. v. gr. REIFFENSTUEL, *Ius canonicum universum,* in l. 1, t. 4, n. 102-109.

Quod autem Institutum votorum simplicium regimine episcopali uti pergat in cuius pacifica possessione a multis annis exsistebat, id nihil continet quod rationabile non sit.

Quare, cum a lata C. *Conditae* iam undecim anni elapsi sint, auctoritatem episcopi in praedicta Instituta consuetudine firmatam esse censemus, ita ut donec S. Sedes, cuius ius sane manet, vel sponte vel rogata statum iuridicum mutaverit, possint simpliciter pro dioecesanus haberi. Itaque, ut vim conclusionis paucis exemplis demonstremus.

a) In votis Episcopus dispensare poterit. Quid autem de votis quae ante decennium, praescribendae consuetudini necessarium, ab ipso relaxata fuerint?

Per se quidem vota S. Sedi reservata erant, ita ut Episcopus iurisdictione caruisse dicendus sit. Sed propter erro-

rem communem et titulum coloratum quem Episcopus possidebat, ius commune necessariam iurisdictionem supplevit, ita ut nullus scrupulus de istis dispensationibus habendus sit.

b) Domos non tantum admittere sed etiam supprimere Episcopus poterit.

c) Ipso contradicente, postulantes ad noviciatum vel professionem admitti non poterunt.

d) De temporali administratione rationem exigere poterit.

e) Ipsius assensus requiretur ut Institutum in alia dioecesi domum habere incipiat. Quam diu autem in una dioecesi exsistat, constitutiones, salvis iuribus quaesitis, mutare ipse poterit.

f) Superior vel Superiorissa Instituti triennali ad S. Sedem facienda relatione non tenetur.

XVII. De cooptatione in Institutum dioecesanum

Instituto quodam dioecesano recipi velint duo iuvenes qui ex alio Instituto vel ex schola apostolica dimissi sunt. **Quaeritur** num S. Sedis beneplacitum exquirendum sit?

Resp. Quod de similibus decretis iam scripsimus v. gr. de decreto *Inter ea*, 30 iul. 1909 quod ad temporalem administrationem [1], huc etiam transferendum esse duximus. Menti quidem S. Sedis consentaneum est ut ad normas Instituti quod pontificio iure utitur, Episcopus Instituta dioecesana, mutatis mutandis accommodet, sed, nisi clare generalior dispositio sanciatur, romanae leges Institutis quae pontificio iure utuntur circumscribendae sunt. Quod ipsa prudentiae lege commendatur, cum quae de pontificiis Institutis sapienter decernuntur, Institutis dioecesanis valde nocere possint.

Itaque satis erit si Superior praefati Instituti de cooptationibus istis agat cum Episcopo. Id enim ipsi menti decreti *Inter ea* consentaneum videtur, ut episcopalis licentia pro Instituto dioecesano, sicut pontificia pro aliis Institutis petatur.

XVIII. De novis reformati breviarii ac missalis rubricis

N. B. Praeter consuetas annotationes quas, a R. P. PAUWELS *S. I. confectas, inter Monumenta Lector reperiet, varias de tam praesenti argumento conclusiones, quae ceterum in controversiam venire possunt, a R. P.* H. DEGRELLE *S. I. lucubratas hoc loco exhibere placuit.*

---

[1] Cfr. PERIODICA, t. 5, n. 331, p. 11 ss.

I. Ad T. I, n. 4.

I. **De Lectionibus ad Matutinum in I Nocturno.** — 1. Iuxta numerum 4^{um} tituli I, Lectiones non sunt de scriptura occurrente, si quod Festum « Lectiones habeat proprias, non vero de Communi ». Versaturne in hoc adiuncto Festum quod Lectiones habet de Communi quidem, sed non de *suo respectivo ?* ; v. g. suntne servandae (etiam ubi Festum fixe reponitur extra Quadrag.) Lectiones « *Laudemus* » S. Benedicto, cui quamvis sit Confessor non Pontifex tribuuntur Lectiones de Communi Pontificum ? Putamus huiusmodi Lectiones Festi, desumptas de Communi *non suo*, dicendas esse proprias, seu ex hoc signo apparere eas fuisse huic Festo ab Ecclesia *appropriatas*. Alius est casus lectionum *Fidelis sermo* pro SS. Doctoribus, quippe quae desumantur ex eorum Communi qua Confessorum Pontificum, vel *Sapientiam*, quippe quae ex eorum Communi qua Doctorum.

2. Iuxta eundem numerum eiusdem tituli, Lectiones neque tunc sunt de scriptura occurrente quando « agatur de Festo quod..... occurrat in Feriis Lectiones de Scriptura non habentibus, ideoque Lectiones de Communi necessario recipiat ». Estne subaudienda exceptio : « Nisi lectiones de scriptura omissae fuerint aliquae ex praecedentibus, vel futurum sit ut sequenti die impediantur » ? Casus occurrit, v. g. pridie S. Michaëlis Archangeli, cum in diem 7 maii, ubi fit de S. Stanislao, incidit Feria II Rogationum.

Certum est exceptionem abesse a Rubrica ipsa. Probandum ergo esset eam necessario subaudiendam esse. Hunc porro in finem nonnisi duo argumenta afferri possunt, et afferuntur a Cl. Piacenza, cui astipulari in hac re non possumus.

a) « Exceptio summopere sensui Ecclesiae respondet. » R. Hoc dato, non ideo sequeretur exceptionem ideo imponi. Sed neque iste sensus ita certus est. Casus hic aliique similes non possunt non versati fuisse menti S. R. C. Aliqua ergo ratio ipsi fuisse *debuit* cur exceptionem non indicaret. « Quod voluit S. R. C., expressit. »

b) Nec magis efficax est argumentum depromptum ex eo quod vellet Ecclesia legi semper de scriptura, nisi adesset impossibilitas, ut pateret ex eo quod lectiones Dominicarum II, III et IV Quadragesimae legendae sunt postea, quando impeditae fuerunt sua die, quamvis non sint initia. Neque, inquam, hoc argumentum efficacius est: Nam ratio ob quam ita decretum est, non alia est, ut apud auctores legi solet, nisi quod « *insignes* historiae » in his lectionibus continentur. Haec, porro, hic non obtinet.

Quod autem impossibilitas aliter faciendi sola ratio sit ad Commune recurrendi, hoc esse falsum patet v. g. ex eo

quod Lectiones in duplicibus 1ae et 2ae classis ex scriptura occurrente non desumuntur, quamvis et hae ex ea desumi possent. In casu de quo rubrica, aderat, ceterum, aliqua ratio lectiones de Communi servandi, haec, nempe, quod in Breviario exstant, v. g. ad dies 2am et 9am maii, speciales rubricae quibus diversae lectiones indicantur prout festa S. Athanasii et S. Gregorii occurrunt, aut non, in Feriis II aut IV Rogationum. Ob exceptionem supradictam, si introducta fuisset, nova aliqua hypothesis subaudienda fuisset in his casibus. S. R. C. maluisse videtur simplicitati consulere, nihil speciale statuendo pro casu qui, ceterum, non ita frequens futurus est.

II. **De festorum praestantia in occurrentia et repositione vel translatione**. — *De exceptionibus in lege qua,* ceteris paribus, *festum* stricto sensu *proprium praefertur* festis ecclesiae universalis. — Commentans hanc exceptionem, haec habet Cl. Piacenza : « Dominicae enim I classis non cedunt alicui festo etiam Ecclesiae universalis : *idem dicatur* de..... *diebus Octavis*..... et Corporis Christi *in quibus pariter ullum officium etiam I classis celebrari nequit.*» Vis istius asserti temperanda est ex Decreto « *Dubia* », 17 novembris 1911, quo, ad II, declaratur die octava commemorationis sollemnis sanctissimi Corporis D. N. I. C. *non* excludi festum SS. Apostolorum Petri et Pauli. *II. Ad Tit. II, n. 2.*

III. **De omittendis festis duplicibus minoribus aut maioribus Dominicae affixis, praeter festa Domini** — « Dominicae vero minores assignationem excludunt cuiuscumque Duplicis maioris aut minoris, nisi sit festum Domini.» *III. Ad Tit. IV, n. 3.*

Rubrica ista in casu speciali ansam dubitandi praebet. Fac in meo dioecesano directorio approbato assignari festum Puritatis B. M. V. alicui dominicae, in mea parochia perpetuo impeditae ob festum mobile occurrens 2ae classis. Cum festum Puritatis fruatur, in mea dioecesi, privilegio translationis in 1am diem liberam, illo privilegio usus sum, ita ut in mea parochia festum iam non sit alicui *Dominicae* assignatum. Videtur sane, ideo, non debere, immo non posse, illud festum omitti. Sed tamen non fruor isto festo nisi qua dioecesano ; qua dioecesanum autem supprimitur. Quid faciendum ? An illud omittendum ? An illud commemorandum die dominica praecedenti, ut temporanee licet in casu de quo Rubrica ? An illud in die fixa IIa relinquendum ?

Si ipsa commemoratio ritu festi (duplici 1 classis) impediretur, ne ab Ordinario quidem imponi posset ; sed in casu proposito, in Ordinarii arbitrio ponimus ut vel omissionem imperet vel commemorationem quae die dominica temporanee permittitur.

Videtur enim fuisse e mente concedentis Festum ut non

diverso die in tota dioecesi coleretur nisi quatenus hoc necesse esset ad hoc ut ubique in ea coleretur. Iam vero nunc coli potest ubique eodem die ; immo et eodem modo. Item videtur esse e mente eiusdem, cum huiusmodi festa minus frequentia fieri cupiat, ut non alicubi servetur quando in reliqua dioecesi iam non exsisteret.

IV. Ad Tit. V, n. 3. IV. **De Vesperis infra Octavam Nativitatis**. — « Leges quibus ordinantur Vesperae infra Octavam Nativitatis Domini immutatae manent ».

Non sic intellegenda est haec Rubrica, ut patet ex Decreto 23 ian. 1912, quasi *nihil* mutetur (Cfr., in Decreto, « Mutationes in Proprio de Tempore Breviarii »).

Ibi invenies, v. g., in 2is Vesperis SS. Innocentium quorum Festum occurrat Sabbato, fieri prius commemorationem Dominicae (non vero, ut olim, S. Thomae). Quae mutatio consequitur ad n. 2um Tituli III. Si enim, occurrente Festo S. Thomae in Dominica, iam non de S. Thoma fit officium, sed de Dominica, consequens est in 2is Vesperis praecedentis faciendam esse prius commemorationem Dominicae, utpote concurrentis, non vero S. Thomae occurrentis tantum.

Sane non inde fit falsum quod « *Leges* quibus ordinantur Vesperae... immutatae manent », sed falsum fit quod *Vesperae,* in casu, immutatae manent. Mutatio autem, de qua supra, consequens est ad aliquam novam Rubricam, nempe eam quae legitur in no 2 Tituli III.

Patet ex supradictis, in casu de quo modo, fieri, die 29 decembris, mutationes non in I Vesperis tantum sed et in II. In iis nempe fiet ritu semidupl. (non duplici ut olim) ; et, a capitulo, de Dominica, cum comm. sequentis diei infra Octavam Nativitatis, S. Thomae et trium Octavarum (non vero, ut olim, de S. Thoma, cum comm. Dom. et Octavarum).

Item, mutantur 2 Vesperae Festi S. Thomae, quando occurrit Sabbato, quae iam ritu semiduplici (non duplici, ut olim) dicuntur de Nativitate; a capitulo autem de Dominica (non de S. Thoma ut olim), cum commemoratione S. Thomae (non, ut patet, de Dominica, ut olim) et quattuor octavarum.

Ceteras mutationes, quod ad Octavae Vesperas, vide in Decreto, ubi : « Mutationes in Proprio de Tempore Breviarii ». Versantur circa 2 Vesp. Dominicae occurrentis die 30 decembris, circa utrasque Vesperas Dominicae occurrentis die 31 et circa 2 Vesp. S. Thomae occurrentis feria 6a.

V. Ad Tit. VII, n. 2. V. **De Nominando Ordinis fundatore in suffragio**. — Putaverim fundatorem esse nominandum, cum, antea, eius suffragio tenerentur Regulares omnes (Decr. 4043 ad VII), immo, si vis fiat in textu decreti, tenerentur vi *rubricae,* cum

ibidem dicatur : « Praeter commemorationem.... et Regulares etiam de proprio Fundatore, nulla *vi rubricae* facienda est ».

Adde quod « si quis nulli Ecclesiae sit ascriptus,..... » secundum cl. Piacenza, bene exprimere potest nomen Titularis propriae paroeciae ». Porro non videtur cur is cui revera nulla ecclesia aliquo titulo propria esset, et qui Titularis paroeciae suffragium antea facere non poterat, silentio Rubricae ita supplere posset, dum Regulares suum fundatorem reticere deberent, cuius suffragio faciendo antea tenebantur.

VI. **De festis celebratis ex voto vel cum populi concursu** — A. a) Rubrica dicit « si alicubi aliquod festum, *impeditum a Dominica* minori celebratur ex voto vel cum populi concursu » ...Addi ibi nequit : « vel si celebratur officium alicuius festi Domini ritus duplicis maioris, vel de aliqua die octava Domini ». Nam, si officium agitur *alicuius festi Domini,* etc., *ipsum* est, *non vero* Dominica, quod impedit festum hoc celebratum « ex voto vel cum populi concursu ». Adde quod cavetur ne « una Missa de Dominica omittatur ». Cur, porro, celebranda esset, in casu, Missa de Dominica, cum de ea ne officium quidem fiat ? Tandem quomodo non imponeretur, in missis privatis saltem, commemoratio festi Domini aut eius diei octavae quae, in hypothesi, occurreret ? Putaverim ergo agi tantum in hac rubrica de festo impedito a *Dominicae minoris officio.* *VI. Ad Tit. X, n. 3*

b) In errorem induceretur qui assimularet casum in hac rubrica praevisum casui de quo in Rubrica Tit. VI Missalis. Nam hic agitur de Missa festi impediti *quod non transfertur ;* et ideo Missae (omnes praeter unam) de eodem festo impedito celebrari possunt ; in Rubrica vero Tit. VI Missalis, de festo impedito *transferendo,* et de quo, ideo, *unica* missa, et cantata quidem, celebrari potest.

Si in Dominica minore agatur *Festum I vel II classis :* vel alterum festum occurrens *transferendum* est (et tunc unica missa, et quidem cantata, de eo celebrari potest, secundum rubricam Missalis Tit. VI), vel transferri nequit : et tunc *nulla missa* de eo celebrari potest ; versamur enim, si ita est, extra casum huius rubricae, quae supponit festum impediri a *Dominica minore :* quod non verificatur, quippe quod impedimentum sit in Duplici classico.

c) Ex praedictis sequitur non agi in priori parte Rubricae nisi de festis quae transferri accidentaliter non possint et a *Dominica minore* impediantur. In favorem eorum, quando « ex voto vel cum populi concursu » celebrantur, condita est haec rubrica, quae nullatenus supprimit rubricam de festo transferendo, sed quae opportune eidem additur, cum iam ipsa duplicia maiora transferri non possint et Dominica, etiam minor, maioribus quam antea gaudeat praerogativis.

Adverte tandem verba : « sicubi aliquod *festum* impeditum a Dominica minore..... » Neque ergo se exporrigit rubrica haec ad casum *Missae* quae celebretur *extra diem festum* alicuius sancti, v. g. ad Missas, tum sollemnem, tum privatas de S. Ioanne Berchmans, quae, certis cum restrictionibus, concessae sunt, ex indulto 20 sept. 1866, dioecesi Mechliniensi in Dominicam 3am novembris, nec restringendum est indultum, propter novam hanc rubricam, ita ut non possint *omnes* Missae, extra Ecclesias choro astrictas et parochiales, dici propriae de S. Ioanne ut in eius Festo.

Idem dicendum de privilegiis huiusmodi sollemnitatum de quibus agunt Decreta 3918 et 3960.

B. In altera parte huius numeri : « Quotiens extra ordinem officii cantetur vel legatur aliqua Missa, *si facienda sit commemoratio* aut Dominicae, aut Feriae aut Vigiliae, semper de hisce etiam Evangelium in fine legatur ». Advertenda est condicio (subsignata a nobis), qua non purificata, neque condicionato attendendum est. Aliis verbis, Evangelium Dominicae, aut Feriae, aut Vigiliae, non est legendum, in casu, *nisi quatenus* de hisce commemoratio in Missa facienda est.

Hoc praenotato, concludes, v. g. : a) neque in Missa Votiva lecta SSi Cordis Iesu, in Feria quadragesimae, v. g., adveniente, dicendum esse evangelium Feriae, cum in hac Missa nulla, ne Feriae quidem, facienda sit commemoratio ;

b) Neque in Missa votiva SSi Sacramenti quae, etiam in Dominicis minoribus, cantari potest, v. g. in dioecesi Mechliniensi, in die Adorationis perpetuae, quae singulis Ecclesiis et oratoriis auctoritate dioecesana assignatur. In ea enim, ex speciali indulto 11 dec. 1852, quo haec Adoratio assimulatur precibus XL Horarum, omittenda est quaelibet commemoratio et collecta Missae conformis officio tali die currenti, etc.

VII. Ad Tit. II collatum cum Notando II.

VII. **De Titulo II Novarum Rubricarum componendo cum Notando II in Tabellas occurrentiae et concurrentiae.** — Iuxta notandum II, Festa Dedicationis et Tituli *propriae* Ecclesiae et Patroni loci non cedunt nisi Duplicibus I classis primariis universalis Ecclesiae. Unde quaesitum est a nobis quomodo, in duobus casibus quos statim exponemus, hoc Notandum conciliari possit, sive quod ad occurrentiam sive quod ad concurrentiam, cum Titulo II. Fac, v. g. Festum Patroni loci in quo dego, ego Regularis, occurrere simul cum festo alicuius sancti Ordinis mei, patroni iuventutis et qui, qua talis, colitur in collegio cui ascriptus sum a Provinciali meo, cuius festum colitur ritu duplici 1ae classis cum Octava. Ritus ergo idem est ; eadem ratio Primarii ; eandem suppono Dignitatem Personalem. Quod ad sollem-

nitatem externam, Feriatio non favet Patrono, cum haec, ne ex iure quidem, a Motu Proprio 2 iul. 1911, exsistat, favet autem alteri sancto haec sollemnitas, cum sanctus hic, de ordine meo, sit pro me cum octava, festum vero Patroni, pro me, Regulari Kalendarium proprium habente, absque octava (Tit. IX, nº 4.)

Nonne ergo, ex Tit. II Nov. Rubr., Festum Patroni cedere debet, pro me, aliis etiam festis ac Duplicibus I classis primariis universalis Ecclesiae ?

Adde, quod ad occurrentiam, alteram rationem. Nonne mihi magis *proprius* est sanctus ille, ex meo ordine, qui patronus est iuvenum quos doceo, quam Patronus loci ? Nonne hic applicandum decretum 2319 *reliqua dub.* ad I, iuxta quod, ceteris paribus, quando agitur, ut in casu, de festis vere propriis, « primum locum habebit officium Ecclesiae particularis, secundum Ordinis seu Religionis, tertium Dioecesis, quartum Nationis, quintum Ecclesiae Universalis » ? Nota, porro, patronum *loci* de quo ago posse esse patronum sive vici, sive dioeceseos, sive Provinciae, sive Regni. Patet in tribus ultimis casibus proprietatem maiorem esse pro Sancto Ordinis. Exsistit vero et in primo, cum Ecclesia mea propria, in qua lito de S. Aloisio, v. g., sit mihi magis particularis quam ecclesia paroeciae.

Olim quidem ratio erat, *nempe feriatio*, ob quam Festum Patroni loci privilegio gauderet, quod ad Festa particularia, etiam apud Regulares proprium Kalendarium habentes, quamvis neque tunc eius festum cum Octava ab iis celebraretur. Sed iam deest haec ratio. E contra, pro pluribus sanctis particularibus diversarum Religionum militat iam ratio quae, olim, nullius erat roboris ; nempe, quod eorum festum celebratur cum Octava.

Respondeo : Neque ego video modum conciliationis, in casu, inter Notandum IV et Tit. II. Probabile est S. R. C. ad discrimen istud adiunctorum praesentium cum adiunctis praeteritis non advertisse in servanda antiqua regula.

Donec tamen S. R. C. aliquid declaraverit, Patronum loci praeferendum putarim, eo quod Notandum, non minus clarum quam Tit. II, de Patrono loci explicite agat, non vero Tit. II.

b) Ex hac adiunctorum diversitate sequitur etiam, pergit obiciens, non in IIº hoc Notando, sed in Iº quaerendam esse solutionem casus alicuius qui occurrere facile potest, iterum apud Regulares proprium Kalendarium habentes. Fac eadem die celebrari Dedicationem Ecclesiae Cathedralis et Dedicationem Ecclesiae meae Regularis. Militat pro dedicatione Ecclesiae *Regularis* quod ipsa fit *cum* octava, altera *absque* Octava apud Regulares proprio calendario utentes ; prae-

terea, quod prior ipsis est *magis* propria. Ergo festum Dedicationis huius meae Ecclesiae Regularis praeponendum est festo Dedicationis Ecclesiae Cathedralis.

Quid, ob similes causas, de occurrentia festorum Titularium utriusque ecclesiae, quorum Titulares sint eiusdem dignitatis personalis ?

Respondeo: Praeferenda est Dedicatio ecclesiae regularis, sicut Titularis ecclesiae regularis Titulari Ecclesiae cathedralis potior aestimandus est. Nec obstat Notandum II, quippe quod dicat tantum Festa Dedicationis et Tituli propriae Ecclesiae cedere tantummodo Duplicibus I classis primariis universalis Ecclesiae. Porro, in casu, utraque ecclesia est propria.

VIII. **De Notando IV in Tabellas novas.** — In hoc notando aliquid advertendum quod spectat ad regiones ubi viget Decretum Cardinalis Caprara. In iis enim occurrere possunt accidentaliter, infra octavam Dedicationis omnium Ecclesiarum regni, tum festum Dedicationis Archibasilicae SS. Salvatoris (9 nov.), tum festum Dedicationis Basilic. SS. Apostolorum Petri et Pauli (18 nov.). Cum haec festa sint de Domino, sicut et octava Dedicationis omnium Ecclesiarum regni, cumque mysteria non sint diversa, faciendum erit de his festis *sine* commemoratione Octavae.

H. Degrelle, S. I.

XIX. De usu privilegiati altaris, post reformatas rubricas

I. **Generales quaedam notiones praeponuntur.** — Privilegium propter quod altare dicitur *privilegiatum* in plenaria indulgentia consistit quae, ex S. Pontificis indulto, celebrationi Missae coniungitur. Huius modi altaria possunt pro vivis tantum, vel tantum pro defunctis, vel pro vivis et defunctis privilegio isto muniri. Longe pleraque altaria pro solis defunctis privilegio instruuntur, ita ut extra Urbem pauca admodum reperias quae diverso privilegio fruuntur.

De origine huius modi altarium ante XVI^{um} saeculum nihil certum hactenus scriptum est. Monumenta certa habemus Iulii III (1550-1555); post quem Pontificem variae vices fuerunt tum ampliorum tum severiorum concessionum, donec Benedictus XIII Brevi 20 aug. 1724 omnibus ecclesiis cathedralibus privilegiatum altare concesserit, Clemens vero XIII, decreto *Ut erga*, 19 maii 1759, legem posuerit concedendi episcopis septennaria indulta quibus in omnibus ecclesiis parochialibus altare in septem annos cotidiano privilegio ornare possent. Ac similia privilegia liberali manu Institutis religiosis concedi consueverunt.

A saeculo autem XVII, praeter *localia* privilegia, haberi

coepta sunt privilegia *personalia*, quae rursus vel celebrantis personae vel qualitati defunctorum talis Instituti, coetus, familiae coniuncta sunt.

Quae privilegia loco vel celebranti coniuncta sunt, alia cotidiana sunt, alia semel vel pluries in hebdomada obtineri possunt, ita ut dies ista vel dies istae quandoque ipso Indulto definiantur, quandoque vero optioni celebrantis linquantur.

Notissimum est cotidianum privilegium pro defunctis quod a Benedicto XIII, decreto 23 aug. 1728, confirmato a Pio IX, decreto 30 sept. 1852, sacerdotibus concessum est qui heroïcum caritatis actum in defunctorum gratiam Deo obtulerint.

Omissis ceteris condicionibus quae, si locale privilegium fuerit, altaris structuram, si vero non cotidianum, dierum designationem respiciunt, duae condiciones communes hic nobis memorandae sunt :

a) Indulgentia *uni* tantum defuncto in singulis missis applicari potest, atque oportet omnino ut prima intentione ipsa missa *eidem* applicetur. Haec ex positiva Pontificis voluntate quae pluribus decretis declaratur omnino constant.

Quaeres itaque quid iuris si pro pluribus defunctis simul seu coniunctum missam prima intentione celebres ? Age porro, ex rescriptis S. Congregationis Indulgentiorum haec colligi possunt. Copia quidem est lucrandae indulgentiae. — Indulgentia tamen non omnibus in solidum applicatur ; et gratis omnino putaveris eam in partes quae singulae singulis obtingant dividi posse. — Celebrans itaque definire potest cuinam animae, ex iis pro quibus celebrat, per suum privilegium prodesse velit. — Quod si ipse nullam designaverit designatio utiliter divinae Providentiae commissa est [1]. Cfr. Decreta authentica, n. 451.

b) Altera condicione missa debet *apparatu nigro* celebrari. Id tamen non praecipitur absolute et semper, sed iis tantum diebus quibus in ecclesia ubi celebratur ritus iste rubricis non prohibetur.

Haec porro condicio propter novas rubricas paulo pressius consideranda venit. Etenim, ex T. X, 2, « In Quadragesima;... Missae privatae defunctorum celebrari tantum poterunt prima die cuiuscumque hebdomadae libera in kalendario ecclesiae in qua missa celebratur. » Praeterea, ex compositis n. 2 et 5 eiusdem T. X, habemus, missas lectas defunctorum,

---

[1] Quamvis gravissimum in ista declaratione auctoritatis momentum insit, quia tamen infallibilis non est, et de voluntate qua Deus intentionem supplere velit parum constet, satius sane erit ut ipse celebrans animam istam aliquo modo, directo vel indirecto (v. gr. quae maiore indigentia premátur) designet. Pariter melius erit, ut is praesertim qui *personale* indultum habeat, praeter missam indulgentiam defuncto pro quo celebrat positivo actu tribuat.

quae diebus ritus semiduplicis aut simplicis per se permittuntur, numquam dici posse in feriis... « Quattuor Temporum, II Rogationum, in vigiliis et in feria in qua inticipanda vel reponenda est missa dominicae. » Pergit porro rubrica n. 5 his verbis : « Licebit tamen in huiusmodi missis de feria orationem addi pro defunctis pro quibus sacrificium applicatur, paenultimo loco, prout permittit rubrica Missalis. Cum autem, ut applicari possint indulgentiae altaris privilegiati missae defunctorum debuerint hucusque in nigris celebrari, summus Pontifex easdem indulgentias in posterum benigne concedit, licet dicatur de Feria, cum oratione pro defunctis. In reliquis autem feriis per annum..... nec non in semiduplicibus, infra octavas non privilegiatas et in simplicibus, Missae defunctorum..... dici poterunt iuxta rubricas. »

His positis, pluribus quaesitis iam satisfacere conabimur.

1. *De prima die libera.*

a) Utrum quadragesima intellegatur quae a feria IV Cinerum an quae a proxime sequente dominica initium habeat, cum tunc tantum ritus quadragesimalis plene sequendus sit ?

Resp. Procul dubio quadragesima a Feria IV Cinerum computanda est, cum regula Missale non autem Breviarium afficiat.

b) Missa quae in quadragesima apparatu nigro prima die libera *cuiuscumque* hebdomadae permittitur licetne etiam feria II hebdomadae maioris ?

Resp. Id non putamus, cum iam superiore iure omnes istius hebdomadae feriae privatas defunctorum missas excluserint, et exceptio ad novam regulam temperandam posita sit. Praeterea, correctio iuris odiosa est. In dubio itaque, pro priore respondendum est.

c) Num libera in quadragesima dici possit dies in qua nullum quidem sit officium duplex, occurrat tamen feria IV Temporum, quae, extra quadragesimam, privatas defunctorum missas simpliciter excluderet ?

Resp. Affirmandum putamus, cum nullo certo indicio demonstretur exceptio, de qua silet rubrica et quae causa carere videtur, cum intra quadragesimam omnes feriae missas pari iure proprias habeant.

d) Quo pacto primam diem liberam aestimabis, si extra ecclesiam in oratorio non semipublico missam legas ?

Resp Videtur tunc ad Kalendarium tuum personale respiciendum esse.

e) Num, quia in variis locis in quibus dies libera variat celebres, bis vel ter eodem diei liberae privilegio uti fas est?

Resp. Id fas esse ducimus. Facultas enim una tantum die in singulis locis offertur, sed usu unico celebrantium privilegium non circumscribitur.

2. *De oratione pro defunctis quae paenultimo loco addi permittitur.*

a) Cum missa dicitur de Feria, oratio pro defuncto cui indulgentiam altaris applicare velis, estne tamquam condicio requisita ?

Resp. Atque esse quidem videtur in feriis quae *ex nova lege* privatas defunctorum missas excludunt. Uno enim sententiarum tenore Pontifex missas variis feriis excludit, monet licere ut paenultimo loco (non itaque alio) oratio pro defunctis addatur, et statuit ut missa de feria *cum oratione pro defunctis* lucrandae indulgentiae altaris privilegiati sufficere possit.

b) Num in aliis diebus in quibus missa defunctorum dici potest, ut indulgentiam altaris privilegiati applicare possis, satis est ut paenultimo loco orationem pro defunctis subiungas ?

Resp. Hic distinguendum nobis videtur inter dies quibus missae istae iuxta rubricas plane dici possunt : de his nihil innovatum esse perspicitur ; et dies, id est prima feria libera hebdomadarum quadragesimae, quibus missae istae per modum exceptionis permittuntur. In posteriore casu, arbitramur sine ullo indulgentiarum detrimento missas sive apparatu nigro pro defunctis sive de feria cum oratione pro defunctis dici posse. Sin minus summus Pontifex qui « benigne concessisse » aliquid dicitur, re vera nihil concessisset sed mere fecisset leges severiores. Eo ipso enim quod missae defunctorum prohibeantur, missam praeceptam lucrandae indulgentiae plane per se sufficere supra memoravimus.

c) In Quadragesima, quamvis officium de festo duplici recitetur, missa de feria legi potest et cum feriali orationum numero. Cfr. p. 175. Debetne legi, addita oratione pro defunctis, ut indulgentia altaris privilegiati obtineatur ?

Resp. Cum missa ista ex privilegio dicatur, et obligatio ista expresse non imponatur, eam exsistere non putamus. Itaque vel missam de festo sine oratione pro defunctis vel missam de feria, sed addita pro defunctis oratione, utiliter, ad lucrandam indulgentiam celebrare poteris.

d) Hoc anno 1912, cum ad novum vel pristinum missarum ius nos accommodare liceat, ita ut per ferias quadragesimales missae defunctorum minime prohibeantur, possumusne de feria, addita oratione pro defuncto, celebrare ita ut ipse indulgentia altaris iuvari possit ?

Resp. Id, tamquam benignae Pontificis menti consentaneum, prorsus affirmandum esse arbitramur.

Hactenus quae nobis videntur. Paulo aliter Les Questions liturgiques p. 259. Sola autem S. Sedes decretis suis dubia huius modi penitus auferre potest. Hoc unum memorabimus, decreta ista seu responsa saepe esse novae voluntatis significationes potius quam simplices prioris voluntatis declarationes.

XX. De Titulari ecclesiae cathedralis patrono loci, etc., a regularibus recolendo.

Titularis ecclesiae cathedralis ex decreto 3863, II, et ex novis rubricis (Tit. IX) recolendus a regularibus totius dioeceseos titularis est illius ecclesiae quae hic et nunc est cathedralis, nullo modo vero ecclesiae olim cathedralis, licet illa forte adhuc exsistat, uti declaratum est decr. 3041 dub. I. Et re quidem vera titularem ecclesiae cathedralis colere debent quia et ipsis haec ecclesia propria est ratione subiectionis, quod certe dici non debet nisi de actuali cathedrali. A fortiori sic respondendum est, si antiqua ecclesia fuerit destructa; diruta enim ecclesia, cessat ius titularis. (Decr. 2934 ad 1). Insuper animadvertendum est in toto territorio reipublicae gallicanae, ac proin in toto Belgio, per bullam Pii VII 29 nov. 1801 *Qui Christi Domini vices,* et decretum Cardinalis Caprara 9 apr. 1802, titulos ecclesiarum omnium fuisse exstinctos. Unde sequitur, v. g. in tota dioecesi Leodiensi regulares teneri ad recolendum sub ritu duplicis primae classis festum Conversionis s. Pauli titularis hodiernae cathedralis. Idem dic de anniversario dedicationis ecclesiae cathedralis.

Sed insuper animadvertendum est ex novis rubricis (Tit. IX) ipsis regularibus colendum esse non solum patronum principalem loci, etiam si numquam feriatus fuerit, de quo antea dubium movebatur, sed insuper patronum regni et provinciae, et *in tota dioecesi* patronum dioeceseos.

Qui omnes recolendi sunt sub ritu duplicis I classis, et quidem a regularibus qui kalendario dioecesano utuntur, cum octava; a regularibus vero qui kalendario proprio gaudent, absque octava.

Ios. Pauwels, S. I.

SUPPLEMENTUM XVII

DE TEMPORALIUM BONORUM POSSESSIONE ET ADMINISTRATIONE IN MISSIONIBUS EXTERIS

(Continuatur [1]*)*

III. Utriusque puncti enodatio

Indicatis iam monumentis ecclesiasticis quae consulenda sunt, atque interrogato etiam iure naturali de bonorum temporalium in missionibus possessione et administratione, restat nunc ut nos accingamus ad magis definitam argumenti considerationem, ut plerisque casibus qui proponi consueverunt aptum responsum paremus.

Opus sane non ita leve et simplex est ; sed, sicut ab initio diximus, Deo iuvante tentandum et sincere aggrediendum est, ut subsidium et levamen quodpiam afferatur viris apostolicis qui, in media acie constituti, modicam deliberandi copiam, pro immensis quibus obruuntur negotiis habere sinuntur.

Animum simul recreat et solatur haec cogitatio. Quotquot duros et ingratos apostolicae expeditionis labores assumunt profitentur se non sibi sed evangelizandae plebi vivere et agere velle. Quare sive ipsi causae piae quae in partibus infidelium exsistit, id est missioni, sive Instituto religioso quod ibidem operam navat bona adiudicaveris, res tandem aliquando in eosdem conversionis et humanitatis fines adhibebuntur. Et cum non oppositis consiliis sed concordi animo Episcopus seu Ordinarius et religiosi agere et se unius operis socios existimare debeant, unius partis inopiae altera pro viribus libenter auxiliari christiana caritate suadebitur.

Possumus itaque, remota omni sollicitudine, secundum ea quae vera et aequa sunt de bonorum temporalium condicione et regimine liquida mente pronuntiare. Ut autem id faciamus ipsa operis evangelici utilitate monemur. Humani enim mores, quos imprudenter neglexeris, id habent ut suam quisque rem magis curet. Et si, violata quadam aequitatis ratione, ab Ordinario vel a religiosis abiudices quae ad ipsos tamquam fructum suae operae vel industriae pertinere videntur, periculum est ne animo afflicto et minus contento minus sollertes et diligentes homines reperias, ita ut tantum opus maiore pecuniarum penuria premi incipiat.

---

[1] Cfr. PERIODICA t. IV, p. (1) ss. et (17) ss.

Age porro ut de argumenti divisione dicamus, secundum ipsum dissertationis titulum, prius de *possessione* dein de *administratione* bonorum temporalium agendum nobis est. Exploranda tum manebunt pauca puncta quae, e peculiaribus adiunctis enata, utrique parti communia sunt ita ut sub neutra apto loco ponerentur.

A. De temporalium bonorum possessione

Observationes praeviae

Antequam ipsas regulas proponamus secundum quas de possessione bonorum in missionibus iudicandum nobis videtur, haec pauca monuisse operae pretium ducimus.

1. Iam licuit ante, indicare quantum adiuncta Angliae, pro qua ipsa Constitutio *Romanos Pontifices* lata est, et cuius magis propriae etiam sunt praesumptiones Concilii Westmonasteriensis, ab adiunctis missionum exterarum differrent. Cfr. quae p. (3) istius dissertationis scripsimus. Nec S. Sedes, dum Constitutionem *Romanos Pontifices* ad missionum regiones extendit, alium ac prudentem eius usum, qui mutanda mutare novit, nobis commendare potuit.

Iisdem quidem principiis uti conabimur, et in pari causa pari modo iudicabimus. Sed saepe praesumptiones Westmonasterienses potius exemplo nobis erunt quam immediatas conclusiones colligendas nobis praebebunt. Ac re quidem vera, aliae casus respiciunt qui in causa exterarum missionum locum habent v. gr. oblationem pecuniae ad sacellum aedificandum: — et hae magis immediate utendae erunt; non tamen temere, ita ut non neglegas quid intersit inter sacerdotem parochum et religiosos missionarios, inter oblationes ab ipsius loci fidelibus factas et dona extraneorum, inter collectam quae contionem sequitur habitam in ipso loco pro quo pecunia quaeritur, et collectam pro missionibus exteris quam in propria Europae ecclesia religiosi instituerint. Aliae autem praesumptiones casus solvunt qui in missionibus exteris occurrere non solent: puta solutionem nummi definiti pro qualitate loci occupandi; — et hae non possunt nobis nisi exempla offerre ad bene iudicandum. Ac non desunt casus in quos nulla Westmonasteriensis praesumptio cadit. — Restat tunc ut prudentiam Patrum Westmonasteriensium propriis responsis imitari studeamus.

2. Non minus circumspectus esse debet usus *responsionum particularium* S. Congregationis, cum et ipsae, praeterquam quod singulae vim legis universalis non habent, attentis adiunctis maxime variis datae sint, atque etiam modo quo res

expositae sint subiectae maneant. Quare ipsa S. Congregatio interdum caute addidit « quatenus ex expositis constat. »

3. Duas porro personas, quas morales vocare solent, in missionibus distinguemus : *missionem* seu societatem christianorum, sive una sit sive in plures coetus (paroecias aut quasi paroecias) divisa sit, et *Institutum religiosum*. Missio repraesentatur et administratur, sub auctoritate omnimoda Propagandae Fidei, ab Ordinario vel ab illo qui ita delegatur ut quasi Ordinarius haberi possit : itaque ab Episcopo, Vicario apostolico vel Praefecto apostolico. Institutum religiosum a Superiore repraesentatur. Brevitatis causa duo ista subiecta nomine *Ordinarii* et *Instituti* designabimus.

N. B. Conclusiones nostrae in Institutum missionariorum *saecularium* prudenter transferri possunt ; sed tunc sua cuique missionario propria bona etiam attendenda sunt.

Quaeres. Ad quonam momento distincti bonorum possessores in missionibus exsistere incipiunt? — A primo momento quo regio quaedam evangelicae religiosorum actioni subditur, distinctio ista per se exsistit. In ipso enim Superiore, quamvis simul missioni et religiosis praesit, duplex persona distinguenda est. Non a solo Instituto suo sed etiam a Propaganda Fide mandatum accepit, ita ut inchoative praefectus vel Vicarius apostolicus esse coeperit. Aliunde etiam, a primo momento, dona alia intuitu missionis alia intuitu Instituti fieri potuerunt. Idem itaque Superior simul iam tunc ecclesiasticam nomine S. Sedis et religiosam administrationem nomine Instituti sui exercet.

4. Neque illud praetereundem est, plura bona ab Instituto *condicionate* possideri posse. Condicionate, non hac tantum ratione quod largientium intentioni satis faciendum sit, sed etiam hac altera quod si causa aliqua Institutum a missionibus avocaverit, bona non iam in Instituti possessione manere possint, ita ut possessio ab initio hac resolutoria condicione affecta esse perspiciatur.

5. *Civilis* ascriptio *dominii* infallibile possessionis canonicae argumentum non praebet. Fieri enim potest ut lex civilis obstet ne vero domino in civili foro res tribuatur. Verum inquam dominum, quem vel privata voluntas elegerit, vel ipsa lex ecclesiastica fortasse necessarium fecerit.

Scribit enim Leo XIII, Const. citata : lex « illud efficit quoque, ne fideles semper pro arbitrio possint modum et finem designare in quem oblatam stipem erogari oporteat ; nequit enim facere privatorum voluntas, ut quod a legitima potestate in bonum commune praecipitur certo destituatur effectu ».

Nihilo minus, contrarietates istae inter utrumque forum quantum fieri potest vitandae sunt, ita ut ex civili attributione magna praesumptio hauriatur veri dominii in foro conscien-

tiae et in foro ecclesiastico. Hoc ipso ecclesiae bono postulatur, ne suspicio fraudis et dissimulationis civili spoliationi praetextum pariat.

6. De largientium mente et intentione haec praeterea notanda sunt.

a) Qui cuipiam Instituto vel personae donum *pro missionibus* tribuit, minus de subiecto a quo res possideatur quam de fine propter quem eam dat sollicitus esse solet. Quare quicumque intuitu missionis donum conferat, missionibus dare et rem arbitrio illius qui missioni praeficitur seu Ordinario gerendam tradere censetur. Quod ex ipsa C. *Romanos Pontifices* colligere licet. Atque in Anglia et similibus regionibus haec simpliciter valere, seu praesumptionem facto quasi perpetuo confirmari arbitramur.

b) Nihil tamen prohibet doni auctorem quin in alium ius transferat quod in rem suam profecto habet, addita obligatione curandi ut fini designato donum prosit. Quare qui donum offerat pro missionibus optionem habet ut per Titium ipsis missionibus det, aut Titio vere dare voluerit, ut is in finem missionis, libero arbitratu, donum adhibeat. Posterior haec voluntas demonstranda est, sed cum donum dissitis missionibus destinatur eius positiva indicia non ita raro occurrent.

c) Persona cui rem tradit vel committit dator fiduciam quandam et benevolentiam demonstrat, quibus etiam se propensum ostendit ut, salvo fine, in ipsa manu eius cui eam tradit res potius administranda maneat.

Et qui in Europa pecunias vel dona pro missionibus colligunt saepe a largientibus tacite constituuntur donorum distributores qui, salvo fine, dona Ordinario vel Instituto possidenda tradere possint. Sic administratores operis pii *S. Infantiae* vel *Propagationis Fidei* se distributores constitutos esse regulariter existimare possunt.

7. His praepositis, hoc ordine de possessione bonorum dicere visum est ut primo, tamquam exempla, responsiones quasdam ab ipsa *S. Congregatione Propagandae Fidei* de argumento nostro datas ad verbum fere exscribamus. Praeter duas priores, cum nulla facta sit publici iuris, nomina oratorum et ipsum diem consulto dare omittimus. Deinde dicemus quae bona in manu sint *Ordinarii*, ut tandem bona *Instituto* addicenda describamus.

Particularia S. Congregationis Propagandae Fidei responsa

1. Die 16 iulii 1869, declaravit casus dubios communi consensu Episcopi et Superioris regularis solvendos esse, et

cum diversae opiniones conciliari nequeant, ad S. Sedem recurrendum esse.

2. In congregatione generali 28 ianuarii 1886, de Patribus Societatis Iesu, haec statuit : « Administratio redituum collegiorum et convictuum, item retributionum quae singulis cum dispensatione apostolica ex stipendiis missarum et iuribus stolae vel ex industria personali proveniunt, ad Superiores regulares pertinet..... Proventus de quibus dictum est, non extra missionem sed in operibus missionum impendendi sunt. » (Zitelli, *Apparatus*, p. 134).

3. Circa annum 1890, hoc modo quaestiones quasdam solvit.

a) Eleemosynae quae Instituto religioso vel eius Superiori libere donantur pro Instituti missionibus suntne Vicario Apostolico tradendae necne ? — Et quatenus finis in quem insumendae sint a largiente definitus fuerit, cuiusnam est datam missionem determinare (id est, ni fallimur, exsecutionem procurare) ?

Resp. Non sunt tradendae. — Eius est ad quem pertinent eleemosynae.

b) Quibusnam tribuendi sunt proventus 1) ex eleemosynis missarum ; 2) ex donis sodalibus libero usu collatis ; 3) ex eleemosynis a sodalibus quaestu collectis in Europa, intuitu missionis ad quam proficiscuntur ; 4) Ex donis cuidam missioni in generali datis ; et quatenus supra relati proventus in bona mobilia vel immobilia insumerentur, quorumnam erit ea bona administrare ?

Resp. Tribuendi sunt Congregationi, servatis tamen dispositionibus quae continentur in Constitutione *Romanos Pontifices*.

c) Licet ex Constitutionibus Instituti quisque sodalis pro suo statu et officio teneatur rationem reddere de expensis, et residuum pecuniarum remittere in manus respectivi Superioris, patet tamen quod hoc fieri nequit, nisi in domibus regulariter constitutis, non vero in domibus missionum, attenta earum parvitate. Qua propter quaeri potest : 1) Quisque missionarius Congregationis acciperene poterit immediate a Vicario Apostolico pecuniam expendendam in subsidium suorum operum, illam erogando cum licentia praesumpta Superioris, aut debetne eandem a Superiore suo directe recipere ? — Teneturne missionarius Congregationis de pecunia accepta a Vicario Apostolico rationem reddere Superioribus per singulas partes expensarum, vel tantum in globo enuntiando eam pecuniam erogatam fuisse ad mentem Vicarii Apostolici ? — 3. Sufficietne ut quisque missionarius pro suo statu et officio rationem reddat in globo de expensis ?

Resp. Statuet Superior quae in Domino expedire iudicaverit, et, pro licentia praesumpta, consulat probatos auctores.

4. Anno 1894, plurimis quaesitis S. Congregatio sic satisfecit :

a) Ad Institutum religiosum pertinent quaelibet dona et oblationes quae expresse vel personae religiosae vel eidem Instituto dentur.

Missioni contra uti datum habebitur quidquid non explicite personae religiosae vel Instituto donetur.

b) Subsidia a piis operibus S. Infantiae vel Propagationis Fidei Superiori generali tradita inter singulas missiones, prout ipse iudicaverit, ab eodem distribuenda erunt, excepto tamen casu quo huiusmodi subsidia eidem Superiori pro aliqua determinata missione data fuerint. Quando vero haec subsidia Vicario Apostolico largiuntur, tunc ipse libere in bonum suae missionis de his disponere valebit.

c) Reliqua cuiusvis generis dona quae, sive pro missionibus generatim, sive pro aliqua missione determinata Congregationi largita sunt, ab huius Generali Superiore distribuentur ; ast cum huiusmodi bona Vicariis apostolicis dabuntur, hisce tantummodo distributionis seu erogationis facultas reservatur.

d) Superior Congregationis disponendi ius habet de eleemosynis missarum, prout etiam de iis quae singuli missionarii forte percipere possint, sive a iuribus stolae, sive a propriis personalibus industriis, iuxta decisiones ab hac S. Congregatione pluries datas.

e) Optat S. Congregatio ut quotannis singulis missionibus singulisque missionariis allocationes quaedam fiant. Quae cum ex bonis missionis sumantur, a Vicario apostolico determinabuntur, « audito suo consilio et Superiore regulari missionis ».

Quae bona in manu Ordinarii plene constituta sint

N. B. Ex iure canonico, *Episcopus* sollemniter professus non iam Ordini suo sed ecclesiae suae acquirit. Ac praeterea, quod ad bona quae nondum, vi renuntiationis suae, alicui acquisita sunt, renuntiatio ista revocatur. De Episcopis qui ad Instituta votorum simplicium pertinent vel votis sollemnibus non ligantur ius canonicum hactenus tacet. Sed ob similitudinem causae perinde de ipsis dicendum videtur [1]. Et quamvis *Vicarius apostolicus* non sit sponsus missionis quam nomine S. Pontificis administrat, rursus ob manifestam causae similitudinem, aliquid eiusdem generis admitten-

[1] Cfr. AVANZINI, ACTA S. SEDIS, t. 1, p. 466.

dum esse arbitramur. Dispositionem itaque redituum suorum, et si quid de ipsis bonis statuerit quod nondum effectu sit completum, mutare et ad novum statum suum accommodare poterit. Ac praeterea missioni suae acquirere velle censetur. Quod etiam de *Praefecto apostolico* valere putamus.

Age porro, in manu Ordinarii (propter missionem suam) sunt :

a) Quae Ordinarius per se vel per missionarium *nomine ipsius agentem* colligat ; vel ipsi diserte data sint.

b) Quae intuitu eius personae data sint.

c) Quae data sint pro opere quod ipse per se vel per subditum ministrum regat.

d) Quod datum sit ut *in definito suae iurisdictionis loco,* schola pauperum, sacellum, aedificium usibus apostolicis destinatum erigatur, nisi *expressa* declaratio diversam voluntatem probet. Ita habet prima praesumptio Westmonasteriensis. Hoc tamen de aedibus quae ipsis religiosis habitandae sint valere non putamus.

e) Quod tanquam cathedraticum, a S. Sede prius approbandum, sibi solvendum statuerit.

f) Quod ita datum sit ut, omnibus perpensis, largientium intentio *negative* dubia sit. Namque in negativo dubio, pro Ordinario respondendum esse habent ipsa S. Sedis documenta.

In dubio positivo, ubi rationes probabiles utrique parti favent, aequa compositio potius ineunda est.

Corollaria. 1. Hac itaque ratione explicamus et confirmamus quae, anno 1910, Em^us^ Cardinalis Propagandae Fidei Praefectus, cuidam Praefecto apostolico respondit, addendo se ita dicere, « quantum ex expositis constaret ». Plene igitur ad praefecturam apostolici administratione pertinere declaravit :

a) Subsidia quae *praefecturae apostolicae* dantur a pio opere Propagationis Fidei vel Sanctae Infantiae, necnon a Societate pro abolenda nigritarum servitute. Institutis istis respectum missionis esse principalem satis constat. Cum deinde ipsi praefecturae summa data dicatur, non est cur vel de dominio vel de libera praefecti apostolici administratione dubitemus.

b) Subsidium quod minister regius promiserat ad constituendas in definitis Praefecturae locis binas novas missiones seu stationes. Eaedem rationes occurrunt. Minister enim Praefectum apostolicum rogaverat ut stationes istas constitueret.

c) Subsidium quod societas quaedam negotiatorum solvebat ad sustentandas stationes quasdam quibus prius annonam et merces procuraverat. Etenim pactio ista inter Societatem

et Praefectum convenerat; nihil etiam in casus expositione demonstrabat missiones istas ad religiosum Institutum pertinere. Sic autem ratiocinandum est. Pecuniae quae pro mercibus traduntur in manu eadem esse debent in qua merces fuissent. Ac per se etiam ea quae ad alendos missionarios contribuuntur ad praefectum apostolicum pertinere, hinc patet, quod ipse missionarios alere debeat.

d) Donum cuiusdam summae a benefactore collatum, ut missio constitueretur in definito Praefecturae loco. Nihil enim, in casus expositione, specialem aliquem donantis affectum ad ipsum Institutum demonstrabat.

e) Subsidia quae aliquis Praefecturae apostolicae missionarius, durante temporali sua commoratione in Belgio pro eadem missione colligeret. Sed in hac responsione, Em^us^ Praefectus supponere nobis videtur missionarium egisse simpliciter tamquam praefecturae missionarium, nec donum ab amico personali vel ab amico Instituti profectum esse. De quo casu, infra p. (48). (49).

Corollarium. 2. Pecunia quae quotannis in Belgio colligitur pro Congolensibus missionibus in universum, missionis, non religiosorum intuitu collecta et oblata esse cernitur. Salva itaque diversa distribuentium declaratione, in manu Ordinarii per se esse debet. Sed decet, ut pecuniae istae, ex parte, Instituto tribuantur pro missionariis suis instituendis. Pars illa inter Institutum et Ordinarium convenire debet, ita tamen ut sententia Ordinarii potior habenda sit.

Corollarium. 3. Perinde dicendum est de pecunia quam ex divenditis sigillis postalibus seminaristae pro missione congolensi offerunt. In potestate tamen seminaristarum est de isto suae industriae fructu Instituto gratificari.

Quae bona ab Instituto possideantur

N. B. Nihil repugnat ut, ex donantis voluntate, Institutum religiosum vere bona possideat quae in missionis utilitatem oblata sunt. Possessio est tunc huic legi obnoxia ut Institutum rem in finem promovendae missionis vere destinet. Sic poterit Institutum orphanototrophia, alia hospitia, scholas pauperum et ipsam capellam quae pro bono incolarum aedificata sit possidere. Facilius etiam summas quarum reditus operibus Missionis destinentur in suo dominio habere poterit.

Itaque, ad Institutum plene pertinent :

1. *Ex obiecto* seu *fine :* dona facta Instituto pro eius missionibus *in genere,* vel pro opere quod in eius dominio esse noscitur. Quae enim Institutum pro suis missionibus *in universum* accipiat, sane in suo arbitrio habere demonstratur.

Verum, si pecunia ultro detur ipsi pro missionibus quas habeat *in aliquo regno* vel *dicione*, v. g. pro missionibus Indiarum, quisnam respectus principalis fuerit attendendus est. Ac si intuitu missionis pecunia data fuerit, capiti missionis tradenda erit, id est Ordinario.

2. Ex persona *donatarii :* dona facta intuitu personae religiosae quae sibi acquirere non possit vel nolit, nisi ipse Ordinarius fuerit. Huiusmodi sunt dona quae a missionarii vel religiosi amicis et parentibus proficiscuntur, nisi explicita destinatione aliud demonstretur. Atque intuitu personae cui traduntur facta censentur dona quae personalem usum habent: libri, vestes, instrumenta photographica, et alia huius modi.

Hic apparet discrimen quod inter missionarium religiosum et saecularem intercedit. Prior existimatur privatae suae utilitati nihil quaerere praeter necessarium vel convenientem victum, dum alius patrimonium suum honeste augere non prohibetur. Donatio priori facta inter opera pia iam censetur ; non item quod saeculari sacerdoti tribuatur.

3. Ex persona *donantis,* dona amicorum. Quotiescumque auctor donationis specialem amicitiae coniunctionem cum Instituto fovet, nisi contraria demonstratio ex positiva declaratione vel doni natura petatur, Instituto prae delegato apostolico dare censendus est. Quae praesumptio fortior videtur alia qua, in dubio, pro Ordinario respondendum esse dicitur. De quo *dubio* intellegimus primum responsum S. Congregationis, anno 1894 datum. Cfr. pp. (45). (46) a.

4. *Ex modo acquisitionis*, quae fructus sunt operis, industriae Instituti vel personae religiosae : stipendia missae, pensio annua officio coniuncta, fructus actus academici a religiosis praeparati. Industriam tamen intellege eam quae pars non sit officii quod Ordinarius commiserit. Parochus v. g. qui propter parochiae necessitates *fancy fair* fecerit, parochiae et non suo Instituto fructum suae industriae colligere censendus est.

5. Ex *expressa designatione subiecti* cui res datur : quae civili Instituti patrimonio addicuntur. V. g. Decreto regio communitates quaedam religiosae in Congolensi regione civiliter agnitae sunt. Quae ipse Status isti personae morali tribuit, ab ipsa communitate acquiri videntur, etiam si respectus missionis fuerit principalis. Nam qui communitati, ut subiecto tribuit, huic reipsa non Ordinario tradere rem velle probatur. (Cfr. infra, p. (51) *Quaeres* 4.)

N. B. Si praesumptiones istas ordine varii valoris disponere voluerimus, primum expressa subiecti *civilis* designatio, dein modus acquisitionis, tunc obiectum seu finis, postea persona donatarii et denique persona donantis plerumque respicienda esse videntur.

Corollarium 1. Instituto addicenda sunt stipendia missarum a religiosis celebratarum, iura stolae, pensiones pro ministeriis sacerdotalibus solutae : sive a gubernio sive a sororum conventu proficiscantur. Sed iura stolae ac pensiones titulo iustae sustentationis recipiuntur. Quare onus alendi missionarium, quod Ordinario incumbit, ex toto vel parte levant. Atque ut cognoscere queat quid ultra praestare debeat, possit Ordinarius postulare ut vim huiusmodi redituum cognoscat.

Stipendiis autem *missarum manualium* onus alimentorum Ordinario stricte (omissa aequitatis consideratione) per se non levabitur nisi ab ipso Ordinario stipendia procurata sint vel directe, vel indirecte, quatenus officium v. gr. quasi parochiale, dederit cui coniungi consueverint.

Corollarium 2. Ab Instituto etiam possidentur subsidia ordinaria et extraordinaria pro alendis missionariis ab Ordinario soluta ; et quae, parce vivendo, sibi ex his bonis supersunt.

Corollarium 3. Eodem loco pones ordinarios fructus gregis vel agrorum qui religiosis propter sustentationem suam tributi fúerint. Si autem extraordinaria ratione ex his lucrentur, videndum est quodnam tempus in fructibus illis obtinendis insumpserint. Et si quidem proprias ministerii seu officii sui functiones ideo neglegere debuerint, Ordinarius onere ipsos alendi ex parte saltem levabitur.

Corollarium 4. Ad Institutum denique pertinere iudicabis etiam aedificia quaelibet sumptibus propriis vel pecuniis quarum liberam dispositionem habebat exstructa, nisi Institutum missioni ut sic expresse ea erigere vel donare voluerit.

Corollarium 5. Quae dona pro *locali* necessitate missionario facta sunt, *per se* non ad Institutum sed ad missionem quae ab Ordinario regitur pertinent. Aliter tamen respondebis, si operi quod ab Instituto possideatur destinata sint.

Quaeres 1. Cuinam tribuenda est pecunia quae inter festivum conventum vel contionem colligitur titulo eleemosynae?

Nisi finis ob quem petatur aliud suadeat, ex persona *petentis* Instituto aut Ordinario tribuenda erit. Si petens sit ipse Ordinarius vel nomine huius agat, ad ipsum Ordinarium spectabit de pecunia disponere. Si simpliciter se praesentet ut religiosus missionarius, summa Instituto addicenda est.

Perinde dixerim de suscriptionibus quae in Periodicis libellis obtinentur.

Si petentes autem missionibus extranei sint, *per se* ipsorum arbitrio commissum videtur ut Instituto vel Ordinario rem addicant.

Quaeres 2. Quid de *ostiatim* collecta pecunia ?

Subsidia peti possunt vel pro missionibus in universum aut saltem omnibus alicuius regionis ; vel pro personali petentis usu ; vel pro locali missionis necessitate ; vel pro opere omnino definito.

Si *pro missionibus* in universum vel saltem pro missionibus totius alicuius regionis, videndum est quo nomine pecunia collecta sit, ut eam Instituto vel Ordinario tribuas.

Si *pro personali utilitate,* res missionario religioso vel eius Instituto addicenda est.

Tertio casu hac utimur distinctione : estne *localis* missio satis divisa ut quasi paroeciam constituat, tunc, nisi alia indicatio praesto sit, donum isti quasi paroeciae factum praesumetur. Divisa enim localis missio exsistit tamquam opus cuius cura Ordinario commissa est. Immediata administratio ad religiosos tamen pertinere poterit. Si autem nulla divisio facta sit, tunc ex qualitate petentis per se respondendum videtur. Perinde enim est quasi petas pro operibus apostolicis in ista regione. Iam vero alia opera ibi a religiosis alia ab Ordinario procurantur. Censetur autem donator menti petentis se accommodasse.

Denique quae *pro opere definito* colligantur huius condicionem participare satis manifestum videtur.

Quaeres 3. Hoc anno 1912, occasione iniuriarum quibus missionarii affecti fuerunt, non pauca dona ipsis oblata sunt, et quandoque inter Instituta plura divisa. De donis istis sic dicendum videtur. Quae, in ipsa contionum in missionario rum gratiam habitarum sollemnitate, oblata sunt iis qui verba fecerunt, horum arbitrio commissa fuisse censentur, cum honestae cuiuspiam retributionis rationem habeant. Quare quae religioso sic data sunt ad Institutum plene pertinere videntur; quae vero Ordinario praesenti, ab ipso regenda sunt.

Si autem minus intima conexione istis sollemnitatibus coniungebantur, intuitus missionis principalis esse videtur, ita ut saltem mediate ad Ordinarium pertinere dona ista putanda sint nisi aliud distributoribus legitime placuerit.

Quaeres 4. Quid de subsidiis quae gubernium belgicum variis missionibus congolensibus facere solet ?

Intuitum missionis esse principalem satis perspicitur ; hac tamen ratione, ut nomine missionis minus opus evangelicum quam philanthropiae et institutionis humanae intellegat. Nihil ergo causae dat quatenus *pia* est. Aliunde multo magis missionariis quatenus Belgae sunt quam quatenus Ordinarium habent a S. Sede constitutum favere intendit. Nec de alio subiecto dominii idem gubernium cogitat nisi vel de religiosis simul sumptis vel de persona particulari, quae potest esse ipse Vicarius apostolicus. Quare, si quid ipsi Praefecto vel Vicario apostolico tribuat, sive pro missione in universum

sive pro definitio opere, illud quidem in manu istius Ordinarii erit; sed quas summas Instituto religioso tribuerit, videntur nobis per se, secundum largitoris intentionem, ipsi Instituto addicere velle, cum obligatione easdem in finem suorum operum congolensium adhibendi. Solutio ista magis manifesta erit si Institutum personalitate civili, quam aiunt, donaverit, et dein ipsi corporationi subsidium vel bonum aliquod conferre declaraverit.

Quaeres 5. Quid, si sub uno Vicario apostolico plures missiones variorum Institutorum reperiantur?

Pluralitas ista iura Vicarii apostolici mutare nequit.

B. **De temporalium bonorum administratione**

Ordine dicemus de administrationis *subiecto, fine* et *modo.*

1. Ipsa sibi a S. Sede devoluta provincia dilatandi evangelium in quadam regione, ius Instituto acquiritur ibi manendi et sacra ministeria exercendi, ita ut sine S. Sedis assensu nec ultro discedere nec invitum dimitti possit.

Sed praeterea in singulis locis seu stationibus quae assentiente Ordinario eius curae commissae sunt ius quoddam possessionis obtinet, ita quidem ut Ordinarius stationem dividere et avulsam partem aliis, v. gr. saecularibus sacerdotibus (si tales habere permittatur) committere possit, sed religiosos invitos illarum stationum cura et administratione subordinata avocare non possit. Ius stationes dividendi et committendi aliis partem separatam, ex doctrina C. *Romanos Pontifices* de quasi paroeciis Angliae aperte colligitur. Ipsa autem religiosorum possessio agnoscitur probatis Westmonasteriensium regulis. N. VI legitur: « Non vero licebit Episcopo missionem legitime alicui Ordini religiose concreditam hoc titulo ipsi auferre. Respiciunt enim hae regulae solummodo casum in quo regularis illa familia vel neqneat vel nolit illius missionis curam retinere; si, exempli gratia, a Superiore ab illo loco revocetur, vel alia quavis de causa cesset omnino et non ad tempus dumtaxat, ibidem exsistere. »

2. Superiorem rerum quae *ad missionem* pertinent administrationem Ordinarius sane habet.

Quare de bonis quae intuitu missionis religiosis tributa sunt, rationem ipsi reddendam esse dubitari nequit. Quae ratio huc v. gr. spectat ut Ordinarium doceant de pecunia intuitu missionum sibi allata, et quantum de ea et quos in usus impenderint [1]. Verum hic discrimen aliquod intercedit inter regiones ubi divisiones canonicae vel quasi tales habentur

[1] C. *Romanos Pontifices.*

ita ut parochi vel quasi parochi constituti sint, et regiones ubi nullae stabiles divisiones exsistunt. Etenim, ubi parochi sunt vel quasi parochi, ad ipsos pertinet immediata administratio bonorum quae intuitu paroeciae data sint, nec possit Ordinarius administrationem istam regulariter ad se revocare. Sed quando divisiones istae desiderantur, immediata ista missionariorum administratio multo magis res facti est quam iuris; ita ut omnia multo magis nomine Ordinarii peragantur, et ipse possit arbitratu suo omnia magis regere velle. In modo ergo quo dona ista tradenda, administranda et utenda sint, ad ea quae Ordinarius statuerit religiosi omnino accommodare se debent.

Atque haec causa esse videtur cur in responsis de missionibus ubi hierarchia ordinaria instituta non est, Em. Praefectus vel ipsa S. Congregatio quasi silentio praeterire videantur bona quae ita Instituto concredita sunt ut Ordinario rationes reddendae sint; dum in C. *Romanos Pontifices* et in decreto 19 aprilis 1869, de Angliae missionibus, bona ista potissimam mentionem obtinent. Sic enim habet istud decretum: « 1. Missionarii regulares bonorum temporalium ad ipsos *qua regulares* spectantium episcopis reddere non tenentur; 2. Eorum tamen bonorum quae missioni vel regularibus *intuitu missionis* tributa fuerint, episcopi ius habent ab iisdem missionariis regularibus aeque ac a parochis cleri saecularis rationem exigendi. » In exteris autem missionibus, propter magis confusam administrationem, ad duo fere genera omnes res temporales reduci possunt: aliae ab Instituto possidentur; aliae, iure saltem in manu sunt Ordinarii.

3. *Casus.* Superior quidam religiosus, ex data sibi pro missionibus pecunia, partem tribuit aedificandae ecclesiae quae ad episcopum pertinebit. Hinc ipse aedificationem dirigere velit.

Hoc facere non potest. Episcopus enim, propter donum receptum cura susceptae aedificationis excidere nequit. Nec administrationem istam religiosi usurpare possunt.

4. *Casus.* Bursa quaedam ad alendos alumnos suos Instituto intuitu definitae missionis (v. g. Senegalensis) tributa est. A quonam administranda erit?

Ex ipsa donatoris voluntate, bursa ista a Superiore religioso administranda est. Ipsi autem reditus Vicario apostolico, qui onus alendi alumnos istos habet, tradendi erunt. Si dein missio ab Instituto deseratur, bursa successoribus Instituti tradenda erit.

5. Per se manifestum est Institutum religiosum ipso iustitiae officio teneri ut acceptas pecunias secundum largientium intentionem expendat. Quare si usus quidam praestitus sit, ille servandus est; nec habent Superiores religiosi ius epis-

copis concessum ut propter iustam causam, accidentalem mutationem suo assensu legitimam faciant.

Hinc *quaeri* potest num fas sit alendis religiosis qui in Europa versantur summas adhibere quae pro missionibus in universum datae sint?

Negare nolumus summas istas ex parte illi fini destinari posse. Ac pars illa variat prout magis certa erit apostolica destinatio personarum quibus summae prosint.

Usum partis permittimus, quia vere missionibus addicitur quod alendis futuris missionariis tribuitur. Non tamen permittimus ut totum adhibeatur; quia manifesta largientium intentio esse videtur ut pecunia pro missionibus exteris data, ex parte saltem, ne dicam ex parte maiore, missionibus exteris directe applicetur. Quo autem magis certa fuerit apostolica vocatio personarum quae ex pecuniis istis alantur, eo magis libenter a missionum amicis alentur. Quare maior pars iis qui iam religiosi sunt quam alumnis scholae apostolicae tribui potest, praesertim si religiosi missionem iam elegerint.

Si religiosis qui in missiones exteras destinentur tertia pars pecuniarum pro missionibus receptarum insumatur, haec aequa proportio nobis esse videtur.

Suademus tamen ut scholae apostolicae donis pro iis expresse datis vel rogatis alantur, quo magis certus sit largientium assensus, et magis aperto animo agatur.

6. Exceptis missionariis qui operibus addicuntur propriis Instituti et separatis a communi apostolatus negotio, omnes moraliter operi inserviunt quod ab Ordinario dirigitur. (Nec aliter dicendum est, quamvis domus vel agri ab Instituto possideantur). Quare ab Ordinario alendi sunt, quantum subsidia sustentationi isti specialiter deputata non sufficiant. Inter ista alimenta, sumptus itineris in missionem et reditus in patriam quem vires reficiendae vel complenda studia, multo magis quem directa missionis utilitas opportunum reddiderint, per se computanda sunt. Aequum etiam est ut instituendis ac praeparandis missionariis Ordinarii pro viribus conferant. Sed causa ista alimentorum saepe, ex aequo et bono, consideratis variis adiunctis, amice componenda est.

7. Pecuniae quae ab Instituto acceptae sunt cum facultate libere eas in missionum utilitatem adhibendi, etiam operibus Ordinarii vel ipsi Ordinario a religiosis tribui posse videntur. Sic enim nec intentioni largientium, nec legi canonicae qua alienationes et donationes prohibentur derogatur. Missionis enim utilitas procuratur; et erogatio ista inter usus pios profecto est qui plane permissi sunt quotiescumque de pecuniis agitur quae in *capitale* servari non debent. Capitalia enim alienari non posse per se notum est.

8. Contra ac diximus de rebus quae ad missiones pertinent et per se in manu Ordinarii sunt, de bonis et pecuniis quae

ab Instituto possidentur nulla est per se ratio Ordinario reddenda. Oeconomica enim administratio Instituti quod a S. Sede approbatum est Ordinarii iurisdictioni vel visitationi obnoxia non est (excipe moniales antiquiorum Ordinum). Per accidens tamen ratio quaedam partialis reddenda erit, ut v. g. Ordinarius cognoscat quid ipse supplere debeat pro alendis missionariis. Vidimus enim stipendia quaedam et iura stolae sustentationi missionariorum deputanda esse. Haec ergo erunt Ordinario indicanda, nisi malint missionarii onus alimentorum in se suscipere.

9. *Casus*. Generalis Superior alicuius Instituti missionum pecunias plures accipit vel colligit ut eas inter Vicarios apostolicos sui Instituti distribuat. Possuntne isti Vicarii apostolici a Superiore rationem istarum pecuniarum exigere, ut v. gr. ipsis declaretur quantae acceptae sint, quo modo divisae vel collocatae fuerint?

Id nec singuli nec omnes simul posse videntur. Ex largientium enim intentione, Superior liberam habet facultatem pecunias inter Vicariatus partiendi, ante quam partitionem Vicarii nullum ius in istas pecunias possident. Superior obligatur quod ad donatores non autem quod ad Vicarios. Sola S. Sedes rationem huiusmodi, si iusta causa detur, petere et imperare potest.

10. De oeconomica missionariorum regularium gestione ipse regularis Superior a subditis rationem exigere potest, nisi tamen, in casu particulari, iusta secreti ratio obstet. Quare anno 1894 S. Congregatio rem istam prudenti Superioris arbitrio reliquit. Si, de pecuniis quae sub mediata saltem auctoritate Ordinarii constituuntur, ipse et Superior regularis diversimode sentiant vel statuant, sententiam Ordinarii praeferendam esse ambigi nequit.

C. **Quaestiones speciales.**

1. Quando missio quaedam localis vel regionalis maxima ex parte sumptibus Instituti constituta est, Patres Westmonasterienses postulant ut pactio clara definiat quid agendum sit si *Institutum regionem deserat*. Ac plerumque pro bonis relictis nulla compensatio peti poterit, quia dona pleraque data sunt sub tacita condicione ut Institutum missioni operam dare pergat. Ac rarus profecto inveniatur benefactor qui velit ut sua liberalitas causa vel occasio fiat missionem oeconomice perturbandi.

Quocirca, si excipias domos exemptas quae collegia sint vel verae residentiae distinctae a domo parochiali seu quasi tali, fere omnia in dominium transibunt piae causae missionum istius regionis, quarum Ordinarius tutelam gerit.

Quaeres 2. Quid si intuitu Instituti summa detur pro

missione congolensi, atque, ante eius usum, missio ista ab Instituto deseratur?

Si fieri potest, melius erit rem istam cum donatore vel cum eius heredibus componore. Sin minus, habemus donationem sub modo qui factus est impossibilis. Tunc secundum donantis voluntatem statuendum est, quae hic satis manifesto est ut simili missionis fini ab Instituto applicetur. Cfr. de modo impossibili, MOLINA *De iustitia et iure*, disp. 208 n. 14-16.

3. In missione quadam, pecuniae et bona confuso modo fuerunt accepta et possessa. Quo pacto iam dividenda erunt?

Si de quibusdam bonis magni momenti donatores interrogari possunt, ipsa interrogatione de bonorum istorum attributione decernatur. Deficiente ista directa exploratione, variae regulae supra traditae usu veniunt, ut in mixta donatorum voluntate, qua Instituto et missionariis saepe simul prodesse voluerint, causa motiva ab impulsiva discernatur, (Cfr. p. (18).)

Quod deinde reliquum est ita ut accurata partitio, vel propter incertas origines vel propter exiguitatem multarum pecuniarum quae separatim collectae sunt, nimis laboriosa exsistat, aequa pactione inter Superiorem religiosum et Ordinarium dividi poterit. Considerata, v. g. rationabili praesumptione, secundum quam tertia vel dimidia pars donorum Ordinario obtingere consueverit, haec eadem rata pars Ordinario tradatur, et Institutum cetera sibi propria servet. Nec timendum videtur ne illicita alienatione bonorum ecclesiasticorum in hac re peccetur. Cum enim iura incerta sunt, aequa compositio nullo iure vetatur, et menti S. Sedis in praesenti causa potius respondet. Si tamen velint ambae partes, possint ipsam conventionem suam S. Sedis auctoritati confirmandam offerre.

4. Praesumptionibus res non plane certas fieri fatendum est. Sed quo alio medio probationes suppleas non videtur. Rationi itaque non minus quam menti S. Sedis, quae exemplum Patrum Westmonasteriensium probavit, consentaneum est ut ex praesumptionibus dubia solvamus. Praeterea, quotiescumque res in manu eius est cui favet praesumptio, is rem occupatione possidere non prohibetur. Denique cum suae utrique parti praesumptiones prosint, fit etiam quaedam damni et lucri ex praesumptionibus manantium compensatio, quae ab utraque tacite admitti potest.

Hac itaque ratione plerosque casus solvisse existimamus. Sed in causa tam impedita plures semper manebunt difficultates et dubietates. Quocirca suademus ut a S. Sede ampla facultas obtineatur res aequabili modo ordinandi, vel ut facta huiusmodi ordinatio S. Sedi probanda proponatur. In qua ordinatione casus etiam futuri ne praetermittantur.

SUPPLEMENTUM XVIII

DE VINI QUOD CONSECRARI POSSIT NATURA ET CONFECTIONE

Scribendi occasio. — A missionariis magni cuiusdam districtus, de modo quo vinum stabile simul et tutum pro sacrificio missae sibi compararent, interrogati operae pretium duximus, argumentum quod in pluribus missionibus immo in nostris etiam partibus saepe in controversiam venit, accuratius examinare et plenius, paucis tamen paginis, lectoribus istorum Periodicorum proponere.

In qua dissertatione paranda maxime usi sumus praeclara lucubratione R. P. Vitoria, S. I. Doctoris chemiae, quae hispanice inscribitur « El vino dulce para misas ». Prodiit autem commentario Razon y fe, anno 1909.

Articulus I. **De Vini natura**

1. **Definitio vini.** — Vinum definiri potest : *liquor alcoholicus obtentus fermentatione suci uvarum.*

Nonnumquam hoc nomine veniunt liquores fermentati ex aliis fructibus provenientes utputa piris, malis, etc. ; sed haec est denominatio prorsus impropria, et certo certius talis liquor *invalide* adhiberetur in conficiendo Missae sacrificio, quo vinum de vite omnino requiritur. (Conc. Flor. Decr. pro Armenis.)

2. Vino itaque essentiale est ut liquor *fermentatus* fuerit. *Fermentatio alcoholica*, de qua hic, est quaedam decompositio moleculârum sacchari, quam efficiunt quidam « microorganismi » ope cuiusdam principii activi (fermenti) quod vocatur *zymasa*.

Microorganismi qui fermentationem gignere valent sunt praecipue *saccharomycetes (gisten, levures, Hefe)*.

3. Principalis effectus fermentationis est conversio sacchari in alcoholum cum exhalatione anhydridi carbonici effervescentiam efficiente ; simul tamen etiam, etsi in minore quantitate, producuntur variae aliae substantiae quarum proportiones et natura differunt pro variis fermentis, et quae, partim saltem, suum cuique vino florem et odorem tribuunt. Hoc tamen maximi momenti in re nostra observandum est, omnes illas substantias quae in fermentatione gignuntur, originem trahere *ex vite*, ita ut in vino nihil inveniatur quod ex ipso fermento procedat. Hoc maximi est momenti, inquam, quia inde patet qualitatem veri vini naturalis prorsus esse independentem

tum a modo quo fermentatio fuerit obtenta, tum a specie fermenti adhibiti.

4. Etsi *mustum* seu sucus non fermentatus nondum est vinum, ad hoc tamen habendum omnimoda sacchari destructio non requiritur, cum vina *dulcia*, in quibus fermentatio cessavit antequam omne saccharum fuerit fermentatum, aeque dicenda sint vina proprie dicta ac vina *sicca*, in quibus totum saccharum fermentatione fuit in alcohol conversum. Immo probabiliter minima fermentatio sufficit ut mustum iam aliquo modo saltem dici possit vinum. Cum autem in ipsa uvarum cute seu pellicula inveniatur fermentum quo saccharum in alcoholum converti possit, iam statim postquam uva torculari calcata fuerit, mustum fermentare per se [1] incipiet, ita ut constituat *vinum inchoatum*, quae materia *validae* consecrationis est secundum ipsas missalis rubricas [2], *illicitae* tamen, propter nimiam vini istius imperfectionem. Immo omnem verum uvarum sucum *valide* consecrari posse putat R. P. Vitoria.

5. **Compositio vini**. — Haec compositio est valde complexa et simul varia, cum multa in vini temperatione momentum habeant. Pendet enim :

a) *Ab ipsa compositione musti*. Haec autem multum differt non solum pro varietate uvarum, sed etiam pro ipsarum maturitate. Maturescentibus enim uvis, simul multum crescit quantitas sacchari in uvis contenta et decrescit quantitas acidorum. Porro, vis alcoholica vini pendet a quantitate sacchari in musto contenti ; unde vinum expressum de uvis quae in regionibus meridionalibus ubi tempestas magis favet, maturuerunt, magna vi alcoholica praeditum erit et simul tamen dulcem saporem plerumque possidebit [3].

In regionibus septemtrionalibus, quae minus bona tempestate utuntur, uvae minorem sacchari quantitatem continent, ita ut vinum ex iis expressum saepe sit debile et acidum. Huiusmodi vinum, etsi gustu saepe iniucundum et difficillime servandum, tamen usquedum non corrumpatur, habendum est materia valida et licita, nec videtur confundendum cum vino aliquantulum acri de quo loquuntur Rubricae [4]. (Cfr. statim infra.)

Aliter evidenter esset respondendum, si proportio acidorum nimis cresceret, ita ut vix ac ne vix quidem talis liquor potui idoneus dici possit, quod accideret si adhiberentur uvae plus minusve immaturae ; et ideo in rubricis dicitur vinum expressum de uvis acerbis seu non maturis materia *invalida*, vinum vero aliquantum acre materia valida quidem, sed *illicita* [5].

---

[1] Nisi fermentum abstuleris vel nimio calore destruxeris.
[2] De defectibus in celebratione missarum occurrentibus tit. IV n. 2.
[3] Experientia enim docet fermentationem cohiberi, cum vis alcoholica vini attingit 18 vel 20 gradus.
[4] Ibidem tit. IV, n. 2.
[5] Ibidem n, 1 et 2.

b) *A natura fermenti*, ut supra diximus.

c) *Ab alterationibus quae consequenter ad fermentationem obveniunt.*

α) Efformato alcohol, nonnulla elementa quae in uvae cute, granis, etc. continentur quaeque in musto vix sunt solubilia, solventur, v. g. color, taninum, etc. [1]

β) Vetustescente vino, corpora prius efformata paulatim alterantur, novaeque exsurgunt substantiae plerumque suavis odoris et gustus, simulque, faece subsidente, vinum liquescit.

His autem mutationibus ipsa vini essentia nullatenus afficitur, ita ut tam ante quam post talem alterationem, vinum sit verum et proprie dictum vinum naturale ac proin materia valida et licita pro missa.

6. **Substantiales vini alterationes.** — Sunt tamen interdum aliae alterationes quae vini essentiam attingunt ita ut propter illas vinum reapse plus minusve corruptum sit.

Porro, illae alterationes, ut Pasteur experiendo demonstravit, excitantur actione quorundam microorganismorum, quae sive putrefactionem totius massae efficiunt, sive corruptionem unius alteriusve componentis, puta alcoholi, quod sic transmutatur in acidum aceticum, unde vinum ipsum dicitur acescere seu in acetum transmutari.

Pro gradu alterationis huiusmodi vina erunt vel materia invalida, vel valida quidem, sed illicita. De his haec habent rubricae : *Si vinum sit factum penitus acetum, vel penitus putridum... non conficitur Sacramentum. Si vinum coeperit acescere, vel corrumpi... conficitur Sacramentum, sed conficiens graviter peccat.* [2]

Articulus II. **De Vini confectione**

De humana industria qua vinum vel perficitur vel etiam quandoque vitiatur hic nobis agendum est.

§ 1. Consideratio generalis

7. Ut, quod maximi interest, alterationes substantiales prohibeantur et impediantur, variae artes excogitatae sunt. De liceitate harum artium aliter pro alio vini usu pronuntiabis: nam si agitur de vino quod ordinario hominum usui inservire tantum debet, hoc unice est considerandum ut nulla substantia sanitati perniciosa vino fuerit admixta et nulla adhibita fuerit fraus qua vini corruptio mere celaretur, vel merx maioris pretii venderetur quam valet ; contra, si sermo est de vino quod ad ss. missae sacrificium inservire debet, hoc praecipue attendendum est: habeturne *vinum naturale de vite?* Quidquid

---

[1] Ad vinum *album* parandum, cutis, grana, etc. a musto separantur ante fermentationem, ac proin tale vinum vix aut ne vix quidem illas substantias in alcohol solubiles continet.

[2] De defectibus in celebratione missarum occurrentibus, tit. IV. n. 1 et 2.

ergo naturalem huius vini compositionem intactam servat, vel saltem modo sensibili non alterat (nam parum pro nihilo est reputandum), tolerari potest ; quidquid vero hanc naturalem vini compositionem vitiat, sive quia substantias aufert quae naturaliter vino insunt, sive quia corpora introducit quae ad vinum naturaliter non pertinent, vel originem ex vite non habent, est reiciendum. Quod si compositio sic *notabiliter* alteretur, dicendum est materiam fore invalidam, secus esset tantum plus minusve, pro gradu alterationis, illicita.

8. Iamvero plerumque vina eo facilius istis alterationibus obnoxia erunt quo sunt debiliora, unde nonnulla vina ad exteras regiones, praesertim via marina, sine periculo corruptionis transvehi non possunt; itemque vina expressa ex uvis quae propter adversam tempestatem, ut saepe in locis missionum accidit, ad omnimodam maturitatem pertingere non valent, difficillime ab iteratis fermentationibus custodiuntur, necnon gustus sunt satis improbi, nisi eorum vis alcoholica augeatur.

§ 2. Considerationes particulares

I. *De artibus quae adhibentur ut vinum asservetur*

A. De artibus quibus alcoholica vini vis augetur

9. Vinum fit magis stabile si eius vim alcoholicam auxeris. Ipse autem vini gradus alcoholicus augeri potest :
a) addendo *alcoholum* sive ad ipsum vinum sive ad mustum;
b) augendo in musto proportionem *sacchari,*
c) minuendo in vino quantitatem *aquae.*

10. **De infuso alcoholo**. Haec est, ut patet, augendi gradum alcoholicum alicuius vini, methodus maxime obvia, quae ceteroquin non tantum vinum praebet fortius et ideo minus alterationibus obnoxium, sed etiam excessum acidorum aliquanto temperat, et ob debilitatam fermentationem alcoholicam, saepe in vino partem sacchari servat, ita ut gustum magis probatum vino conferat.

Alcohol infundi potest, sive ipsi musto nondum fermentato, sive vino, durante fermentatione, vel hac iam perfecta.

11. 1. Si infunditur *musto* in ea quantitate ut fermentatio iam fiat impossibilis, ut fit aliquando ad obtinendum vinum dulcissimum, materia sic elaborata certe erit illicita, immo *invalida* videtur, cum in casu aliquid vino essentiale, i, e. fermentatio deficiat; et in re nostra aequiperanda est illa materia musto, immo potius peioris condicionis est quam ipsum mustum cum nec illa fermentatio inchoata adsit. (Cfr. n. 4).

12. 2. De mixtura ista alcoholi et vini, *quando huius* fermentatio iam incepta sit, varia exstant S. Officii responsa quae hic referre iuvat.

a) Die 4 maii 1887, interrogata ab episcopo Carcasson. num licitum sit ad augendum vini vigorem, sicque illud ab omni corruptionis periculo praeservandum vino naturali addere parvam quantitatem alcohol ab ipsis proprietariis diligenter cum vino vero praeparati (v. g. 15 vel 20 °/o), Sacra Congregatio hunc modum agendi noluit tamquam licitum approbare [1].

b) Instante autem episcopo Massiliensi vinum album harum regionum tam debille esse ac impotens ut diu conservari non valeat, nisi eidem quaedam alcohol quantitas admisceatur, respondit die 30 iulii 1890 : « Dummodo alcohol extractus fuerit ex genimine vitis et quantitas alco-« holica addita, una cum ea quam vinum de quo agitur, naturaliter conti-« net, non excedat proportionem 12 °/o, et admixtio fiat quando vinum « est valde recens, nihil obstare quominus idem vinum in missae sacri-« ficio adhibeatur. » [2]

c) Cum iisdem restrictionibus, ad roborandum debilius vinum, alcohol addere iubet potius quam saccharum, tam in responso 25 iunii 1891 [3], quam in resp. 5 aug. 1896 [4].

d) Eadem die tamen, exponenti episcopo Tarraconensi vina hispanica dulcia, quae naturaliter plus minusve 15 °/o continent, sine periculo corruptionis cui iteratis fermentationibus exponi consueverunt, servari ac multo minus ad exteras regiones exportari non posse nisi 18 vis alcoolicae gradibus polleant, respondit : « Attentis noviter deductis, dummodo in « casu proposito, spiritus extractus fuerit ex genimine vitis, et quantitas « alcoholica adiungenda, una cum ea quam vinum de quo agitur, natura-« liter continet, non excedat proportionem 17 vel 18 °/o, et admixtio fiat « quando fermentatio tumultuosa, ut aiunt, defervescere inceperit ; nihil « obstare quominus idem vinum in missae sacrificio adhibeatur [5]. »

13. Ex his responsis omnino *fas* esse perspicitur ut *alcoholum vino infundas,* his tamen servatis legibus :

α) Ut alcohol extractum sit ex genimine vitis, ne quid in quantitate sensibili addatur quod ex vite originem non ducat.

β) Ut post adiunctionem huiusmodi alcohol, vis alcoholica totalis huius vini ne superet proportionem 12 °/o vel si agatur de vino dulci quod naturaliter proportionem maiorem continet et tamen absque periculo corruptionis servari, vel transvehi non potest, 18 °/o. Vina enim naturalia maiorem quantitatem alcohol non continent, immo plerumque proportionem 12 °/o non excedunt [6].

γ) Ut adiunctio alcohol fiat quando fermentatio tumultuosa defervescere incipit, i. e. antequam fermentatio cessaverit, ne vino totaliter iam elaborato aliquid misceri videatur.

---

1 *Collectanea S. C. de prop. fide*, n. 1672.
2 *Collectanea S. C. de prop. fide*, n. 1735.
3 *Collectanea S. C. de prop. fide*, n. 1757.
4 *Collectanea S. C. de prop. fide*, n. 1949.
5 *Collectanea S. C. de prop. fide*, n. 1950.
6 Iam vero si ea quantitate infundas quae in nullo vino naturali habetur, de veritate vini dubitandum est.

14. **Incrementum proportionis sacchari in musto.** — Ideo enim vinum est debile quia uvae unde est extractum, non satis sacchari continent. Addita proinde convenienti quantitate materiae saccharinae, obtinetur mustum quod, saltem quod ad hoc punctum, omnino est aequeparandum musto quod extrahitur ex uvis plane maturis ; non enim solum saccharum quod naturale est, sed etiam, saccharum ordinarium, saltem indirecte [1], fermentatione in alcohol convertitur.

Porro, augeri potest *proportio* materiae saccharinae in musto:
vel *addito ad mustum saccharo*,
vel *densato musto*.

15. 1. **Adiunctio sacchari.** — Haec variis fit modis :

a) Alii enim ipsi musto infundunt saccharum in aqua dilutum, ea quantitate quae requiritur ut proportio inter acidum, saccharum et aquam ea ferme sit quae habetur in suco uvae plene maturae. (Methodus Gall. « *Gallisation* ».)

b) Alii saccharum absque aqua addunt et excessum acidorum ope marmori vel cretae auferunt [2]. (Methodus Chaptal. « *Chaptalisation* ».)

c) Alii solutionem sacchari uvae iam expressae infundunt et iteratae fermentationi exponunt. (Methodus Petiot. « *Petiotisation* ».)

d) Alii tandem vino iam elaborato saccharum infundunt prius vino vel aqua solutum ut sic liquorem obtineant dulciorem et gustu amaeniorem.

Ut consideranti patet, haec sacchari adiunctio est ex illis operationibus quae, cum vino addant substantias extraneas originem ex vite non habentes, praebent materiam quae non est omnimodo licita ; et S. Officium ceteroquin pluries hunc agendi modum improbavit, v. g. 25 iun. 1891 et 5 aug. 1896 [3].

Sed quid de *validitate?* Si excipias methodum de qua sub c) quae vinum parat nullum fere continens alcohol quod originem habeat ex vite, dicendum est alterationem plerumque non esse notabilem ; ac proin vinum sic elaboratum, nisi quantitas sacchari addita fuerit comparate magna, vel nisi simul aliae intervenerint alterationes, fore materiam validam. In Nouvelle Revue théologique française, X (1905), p. 628, refertur responsum S. C. de propaganda fide factum 11 nov. 1892 episcopo Trois-Rivières in regione canadensi interroganti num licitum sit uti pro missae sacrificio vino expresso ex musto cui pro 100 litr. adiuncta fuere fere 5 kil. sacchari : « Cum in casu, sacchari adiunctio minime vini naturam immutasse dici possit, amplitudini tuae permittere fas erit ut vinum de quo agitur in missae celebratione adhibeatur ».

16. 2. **Densatio musti.** — Proportio materiae saccharinae

---

[1] Saccharum ordinarium directe fermentationi non est obnoxium, sed ab ipso fermento transmutatur in glucosam quae fermentatione ulterius convertitur in alcohol.

[2] De temperando excessu acidorum ope mormori, cfr. n. 28.

[3] *Collect. S. C. de prop. fide* n. 1757 et 1949.

[1] Hoc responsum in Collect. in S. C. de propaganda fide non legitur.

in musto contentae augeri potest non solum addito saccharo, sed etiam imminuta quantitate aquae quae in musto invenitur. Iamvero, haec densatio musti, si debito modo fit, compositionem naturalem vini minime alterat. Sola enim aufertur aqua, reliquae vero substantiae nec corrumpuntur, nec auferuntur, ita ut, si proportio harum substantiarum quod ad aquam augetur, harum substantiarum proportio inter se non mutetur. Porro, aqua in musto minime est substantia ab ipsa vite elaborata, sed tota quanta extrinsecus hausta, quae cum reliquis musti elementis chemice nullatenus est composita, sed physice tantum miscetur, inservitque ad haec elementa diluenda, transvehenda et dissocianda, et ad « osmotica » phenomena permittenda. Eius augmentatio vel diminutio proin naturam musti vel vini *per se* non mutat. Potest tamen *aliquo sensu per accidens* vinum mutare, si ob *nimiam* « *concentrationem* » vel « *dilutionem* » quaedam proprietates practice deficiunt quae ut essentiales talis liquoris habentur, ut si omnis fermentatio musti impediatur. Vitanda igitur est nimia musti densatio, qua obtineretur liquor spissus qui iam fermentationis incapax esset [1]. Hac autem cautione adhibita, musti condensatio per se prorsus licita dicenda est.

Densatio musti variis modis obtineri potest :

17. a) *Congelatione partiali musti.* — Sic enim pars aquae in glaciem convertitur, quae facile auferri potest, ceteris musti elementis in solutione manentibus.

18. b) *Decoctione musti.* — Ut tamen haec absque ulla ceterarum substantiarum alteratione fiat, quadam circumspectione opus est, et in primis vitandus nimius calor quo pars sacchari alterari posset et vinum inde factum quasi tostum saperet.

Vix illud incommodum vitari poterit, si decoctio fiat aeno cum musto directe igni superposito, tutiusque mustum calefiet ope aquae calidae adhibito duplici vase *(bain-marie)* et aere desuper rarefacto ; vel, si hoc est impossibile, certe vitetur ebullitio, et ita temperetur calor ut 65° non excedantur.

Die 5 aug. 1896 S. Officium interrogatum utrum licitum sit ad s. Missae sacrificium conficiendum uti vino ex musto obtento, quod ante fermentationem vinosam per evaporationem igneam condensatum est, respondit : « licere, dummodo decoctio huiusmodi fermentationem alcoholicam haud excludat, ipsaque fermentatio naturaliter obtineri possit et de facto obtineatur [2]. »

Duo proinde ad liceitatem materiae sic obtentae exiguntur :

α. Ut mustum sic densatum *fermentationi* subiciatur.

β. Ut fermentatio illa *naturaliter* obtineri possit.

---

1 Practice musti densatio ultra tertiam partem ne protrahatur.

2 *Collectanea S. C. de prop. fide*, n. 1950.

Prima condicio nullam praebet difficultatem ; nam, ut saepius iam monuimus, ante fermentationem nondum habetur vinum, sed tantum mustum, quod certe materia est illicita. Num mustum decoctum considerari possit saltem ut materia valida, minus perspicuum est. Certe, sub hoc respectu peioris condicionis dicendum est quam mustum ordinarium, cum plerumque calore fermenta interierint, ac proin ne quidem fermentatio inchoata habeatur ; huc tamen, R. P. Vitoria animo propendet ut materiam istam potius validam habeat, quippe quae sit verus uvarum sucus[1].

Altera condicio maiorem facessit difficultatem. Si enim hoc verbum *naturaliter* intellegi debet *spontanee*, dicendum est plerumque hanc condicionem non verificari, cum, sicut modo dicebamus, nisi adhibitus sit calor valde remissus, fere fieri non potest ut fermenta non interierint. Sed interpretatio ista prorsus est improbabilis :

Etenim spontanea haec fermentatio ideo tantum exigi posset, quia ad obtinendum vinum naturale necessarium existimaretur ut fermentatio obtineatur ope ipsorum fermentorum *numerice determinatorum* quae naturaliter in ipso musto inveniuntur. Hoc autem sustineri non potest ; namque :

α. Uti diximus, in vino nihil habetur quod ex ipso fermento proveniat.

β. Vinificatio non est operatio individualis, sed specifica, immo potius generica fermentorum.

γ. Fermentum est aliquid ipsi uvae prorsus extraneum et fortuitum.

δ. Si fautores huius interpretationis secum stare voluerint, dicere debent sucum uniuscuiusque uvae fermentare debere ope fermentorum numerice determinatorum quae huic ipsi uvae adhaeserunt, quod certe nemo dicet.

ε. Ex tali interpretatione etiam concludendum esset ne ipsam quidem fermentationem spontaneam sufficere ut vinum naturale dici possit. Fieri enim potest ut mustum cuius tamen omnia fermenta interierunt, spontanee fermentare incipiat, si v. g. in vase aperto servatur in loco ubi aliud mustum fermentationi tumultuosae est obnoxium ; certum est enim, durante hac fermentatione, plura fermenta in aerem proici quae postea in mustum « sterilisatum » (seu fermentis spoliatum) cadentia ibi fermentationem excitant.

Restat igitur ut aliter hoc verbum *naturaliter* intellegatur, et dicatur hoc unice significari, ut fermentatio fiat *modo suo ordinario* i. e. ope eorundem elementorum quibus fermenta saccharum in alcohol convertunt. Et sic fermentatio musti vaporisatione ignea condensati debito modo obtineri poterit :

α. Si musto condensato infundas non condensatum, quod proinde fermenta sua adhuc habet quae totius massae fermentationem provocare poterunt ; nec curanda est quantitas

---

[1] *El vino dulce para misas*, nº 65.

musti non decocti, quae multo minor esse potest quam quantitas musti cocti.

β. Si quae cultura dederit addas fermenta pura. (Cfr. infra n. 26.)

γ. Immo addendo principium activum fermentorum, scilicet *zymasam ;* haec tamen hucusque vix aut ne vix quidem obtineri potest a fermento separata, ita ut hic ultimus modus pro theoretico adhuc habendus sit.

19. c) *Dessiccatione ipsarum uvarum.* — Si enim uvarum racemi post maturationem in palmite per aliquod tempus relinquuntur, vel, in loco ventilato aut arteficiose calefacto, crati superimponuntur aut suspensa tenentur, naturali aquae evaporatione sucus in dies fit densior, et quantitas materiae saccharinae in ipso contenta ita crescere potest ut vinum inde elaboratum non solum sit valde generosum, sed immo maneat dulce. Plerumque tamen haec dessicatio non erit practica nisi in regionibus meridionalibus et calidioribus.

20. d) *Admixtione uvae passae.* — Si enim uvae recenti misceatur debita proportione uva passa seu ita exsiccata ut nihil fere aquae in suco remaneat, et dein torculari prematur, mustum obtinebitur quod proportionem sacchari continebit quae lubet, quodque spontanee fermentabit.

Haec methodus, quam s. Officium 25 iun. 1891 approbavit, immo certis in adiunctis commendavit [1], practica est in illis regionibus ubi vitis quidem crescit, sed uvae ad pleniorem illam maturitatem non proveniunt quae necessaria est ad dandum vinum generosum et dulce. Nam in omnem locum facile transvehitur et ubique incorrupta servatur uva passa.

21. ***Quaeres,*** quid si **vinum ex uva passa conficias ?** Ubi vitis nullo modo crescit, vel uva vix aut ne vix quidem maturescit, nihil prohibet quominus vinum exprimatur ex sola uva passa.

Duae circa hoc vinum afferri possunt difficultates :

α) Prima haec est : Vinum nonnumquam definitur liquor alcoholicus proveniens ex fermentatione *uvae recentis ;* et in multis civitatibus venditio vini ex uva passa pro vino proprie dicto fraudulenta notatur.

Sed minus sic datur definitio essentialis vini quam practica in re commerciali ; quod vero prohibitum sit vinum ex uva passa vendere ut vinum proprie dictum nihil est mirum, cum hoc vinum ordinarie inferioris sit qualitatis et minoris pretii quam vinum ordinarium, ac proin sine hac prohibitione emptores facile in errorem circa valorem vini empti induci possent.

β) Altera difficultas. In uva passa tota fere quantitas aquae evaporatione fuit sublata, ita ut nullus sucus proprie dictus in ipsa remaneat ac proin nullum ex ea mustum fermentationi idoneum extrahi possit nisi certa

---

1 *Collectanea S. C. de prop. fide,* n. 1757.

quantitas aquae ipsi admisceatur. Iam vero haec adiunctio aquae ex vite originem non habentis nonne, secundum principia supra allata (n. 7) materiam illicitam, immo, cum adiungatur in quantitate notabili, invalidam efficere videtur ?

Sed, ut supra diximus, nec in ipsa uva, aqua proprie ex vite originem habet, verum tota quanta ab extrinseco fuit hausta, et ideo praecise absque alteratione substantiali musti evaporatione potuit auferri ; sed, cum aqua distillata semper et ubique sit chemice eadem, non maior habebitur alteratio si dessicato suco aqua restituatur. Quare mustum sic obtentum a primitivo essentialiter non differre dicendum est, et vinum inde elaboratum habendum est ut vinum naturale proprie dictum. Et ob minimam quantitatem substantiarum extranearum quae sic introducuntur, idem dicendum est si loco aquae distillatae adhibetur aqua ordinaria quae potatur.

S. Officium interrogatum utrum liceat celebrare cum vino facto ex uva passa, respondit iam 22 iul. 1706 : « licere, « dummodo liquor ex colore et gustu dignoscatur esse verum « vinum » [1] ; idemque responsum dedit 7 maii 1879 [2].

Etsi ex hoc responso absoluta liceitas huius vini deduci non potest, hoc saltem indubium inde est tale vinum neque a priori et ideo tantum quia factum est ex uva passa esse reiciendum.

Modum conficiendi huiusmodi vinum hunc tradunt *auctores :* « tunduntur in apto vase quaedam librae uvae passae, superinfunduntur totidem librae aquae frigidae ; postquam per horas summum decem servata fuit uva in hac aquae infusione, extrahitur, ab aqua exteriore purgatur et torculari premitur [3]. »

De methodo ista et auctorum opinione haec notare iuvat :

α. Ex supra dictis, colligitur nullo modo esse necessarium ut aqua ab ipsis acinis absorbeatur. Sufficit proinde ut certa quantitas uvae cum eodem pondere aquae torculari prematur ; immo cum in suco uvae recentis proportio aquae attingat ad 70 et nonnumquam ad 80 %, nihil obstat quominus cum certo pondere uvae passarum misceatur quantitas duplo maior aquae.

β. Oblivioni dari non debet liquorem sic obtentum esse merum mustum ac fermentationi esse subiciendum ut convertatur in vinum ; quae fermentatio aegre plerumque spontanee incipiet et melius provocabitur additis ad mustum sterilisatum fermentis puris (cfr. n. 26), vel quibusdam uvis recentibus. Haec fermentatio certe intra paucas horas non absolvitur.

22. **Condensatio vini**. — Si in vase appropriato vinum congruente modo decoquatur, sola evaporatur aqua cum

---

[1] *Collectanea S. C. de prop. fide*, n. 270.
[2] *Collectanea S. C. de prop. fide*, n. 1518.
[3] GÉNICOT-SALSMANS *Institutiones Theologiae moralis*, vol. II, nº 171.

minima quadam quantitate acidorum volatilium, quae prorsus neglegi potest. Vinum ergo ita fit robustius, substantialiter tamen non mutatur, uti concludere est ex iis quae de condensando musto disputavimus (n. 18).

S. Officium, ceteroquin, die 4 maii 1887 hanc methodum approbavit et adhibendam declaravit potius quam additionem 15 vel 20 % alcohol [1].

Methodus ad eam pervenit perfectionem ut possibile sit vinum condensare ad 50 %. Sane sub hac forma iam non est vinum, sed restituta quantitate aquae habebitur iterum vinum naturale essentialiter a vino primitivo non diversum, uti deducere licet ex iis quae dicta sunt de vino expresso ex uva passa. Attamen, cum haec tanta condensatio sit difficillima et percarissima, practice usu non recipitur, nisi forsan in casu extremo quo secus impossibile esset vinum absque corruptione transvehere. Immo tunc potius uvam passam adhibere satius erit.

B. De aliis artibus eidem fini servandi vinum utilibus

23. Corruptio vini, uti iam monuimus, effectus est iteratae fermentationis quae a certis microorganismis efficitur.

Porro actionem horum microorganismorum ac consequenter omnem corruptionem et iteratam fermentationem vini tollunt vel impediunt, praeter certum gradum vis alcoholicae :

a) Adiunctio substantiarum antisepticarum ;

b) « Pasteurisatio » ;

c) Fermentatio ope fermentorum purorum.

24. a) **Adiunctio substantiarum antisepticarum**. Substantiae antisepticae sunt quaedam pharmaca quibus microorganismi, vel pereunt vel saltem agere prohibentur. Multae huiusmodi sunt substantiae, sed pleraeque homini noxiae sunt ita ut servando vino adhiberi non possint; quaedam tamen ea saltem ratione qua vino servando utiles sunt, homini minime nocent. Harum itaque usus in servando vino *ordinario* tolerari potest, dummodo proprietates organolepticae vini sic non alterentur. Eiusmodi sunt saccharum, alcohol, etc. Praeter illa, ad servandum vinum nonnumquam adhibentur natrium sulfurosum (Na_2SO_3), et hydro sulfurosum ($NaHSO_3$), et maxime anhydridum sulfurosum (SO_2) gazeiforme vel liquidum. Sed sive noceant sive prosint homini, ad servandum vinum Sacrificii adhiberi prohibentur istae substantiae, quippe quae originem ex vite non habeant [2].

---

[1] *Collectanea S. C. de prop. fide*, n. 1672.

[2] Nisi pro anhydrido sulfuroso applicari possit principium : *Parum pro nihilo reputatur.*

N. B. Si illicitum est substantias antisepticas ipso vino miscere, nihil prohibet quin iisdem utaris ad purificanda vasa quae mustum vel vinum continebunt (dolia, lagenas, etc.) Haec enim, nisi velis vinum mox destrui, ante singulos usus sunt « sterilisanda », hac ratione v. g. : vas repletur anhydrido sulphuroso quod comburendo sulphur gignitur, deinde maxima cura bis vel ter aqua calida ac mox frigida lavatur.

25. b) « **Pasteurisatio** ». Ex experientiis « pasteurianis » constat fermenta nociva necessario interire si per 20 fere momenta humido calori 65° sunt obnoxia. Cum, sicut iisdem Pasteur experientiis iterum probatur, vino nullum inde detrimentum afferatur, optima, et valde commendanda methodus vinum missae ab omni alteratione nociva incolume custodiendi erit ista vini calefactio ad 65° sive in ipso dolio sive in lagenis. Haec calefactio, ut patet, cum decoctione musti vel vini confundenda non est.

26. c) **Fermentatio ope fermentorum purorum**. Fermentorum quae apta sunt ad saccharum in alcohol convertendum multae quidem exstant species, etsi non eiusdem qualitatis. Sunt enim quae totam fere massam sacchari in alcohol convertunt, sunt et aliae quae minori proportione alcohol efficiunt ; sunt quae vinum elaborant probatissimi floris sunt quae vino dant vulgarem saporem.

Fermentum quod uvae cuti adhaerere novimus, nec optimum semper est, nec saepe purgatum organismis istis nocivis quae vinum corrumpere poterunt.

Et ideo, destructis calore fermentis illis agrestibus, saepe musto infunduntur exculta optimae speciei fermenta, quae a nocivis fermentis immunia sunt. His vinum obtinetur non modo, ut diximus, saepe bellissimum, sed etiam multo facilius servandum. Compositione quidem paululum differt a vino quod ex iisdem uvis obtineretur ope fermentorum agrestium, sed nihilominus, cum ipsi nihil insit quod ex vite originem non ducat (n. 7), illaque fermentatio dici debeat naturalis (n. 18), tale vinum propriisime dicendum est *vinum naturale de vite* ac proin pro ss. missae sacrificio materia non tantum valida, sed omnino licita putanda est. Itaque methodum hanc inter maxime commendandas in praeparatione vini missae habemus.

II. *De artibus ob diversos fines adhiberi solitis*

27. 1. **Vinum syntheticum**. Vinum syntheticum hic intellegimus illud quod non provenit ex fermentatione, sed obtinetur artificiose miscendo varias substantias. Etiam si

mixtae fuerint, et quidem debitis proportionibus, illae ipsissimae substantiae quae in vino vero occurrunt, ita ut illa mixtio neque gustu, neque odore, neque ipsa chemica analysi a vino authentico dignosci valeat, non ideo tamen verum vinum efficeret nec proin valide consecrari posset.

Verum, quia perfecta vini imitatio cara foret, mixtio quam analysis chemica, accuratissime peracta, sicut vinum compositam esse demonstrarit, vinum verum de vite esse satis valida praesumptione existimari potest.

28. 2. **Acidorum temperatio**. Mustum ex uvis expressum semper continet varia acida, eo maiori proportione quo uvae minus maturae fuerint. Porro, si aliquis acor fermentationi favet et vini flori est necessarium, nimia tamen acidorum quantitas nocet et proinde vitanda est. Musti nimia aciditas nonnumquam temperatur additis substantiis quae chemice acida destruunt, uti sunt: creta, marmor, natrium carbonicum ($Na_2 CO_3$) vel bicarbonicum ($Na HCO_3$), kalium tartaricum $C_4H_2(OH)_2(O_2K)_2$, etc. Verum, cum sic vini naturalis compositio alteretur, talis operatio in elaboratione vini missae approbari nequit.

Ipsum vinum quod conversione eius alcoholi in acidum aceticum (ex subsequente fermentatione) acescere coepit vel adeo acidum factum est, eodem modo quandoque temperatur. Huiusmodi vinum acescens, uti ex rubrica ostendimus, est, pro gradu alterationis materia invalida vel solummodo illicita. Iamvero destucto sic chemice acido, huius vini condicio nullomodo fit melior, immo potius peior; non solum enim prior alteratio non minuitur, sed augetur, cum novae sic enascantur substantiae quae solutae manent.

29. 3. **Vinae defaecatio**. Finita fermentatione quae tumultuosa dicitur, nondum totaliter vinum est elaboratum, sed per tempus quod saepe est sat longum, variis subest alterationibus et turbidum permanet, cum faeces inde nascentes non nisi aegre subsideant, praesertim ubi agitur de vino quod, sicut pleraque vina alba, parvam tantum quantitatem tanini continet.

Turbidum istud vinum proprii nominis vinum est ac proin materia certe valida; decet tamen, ut pro missae sacrificio, quantum fieri potest, non adhibeatur nisi vinum plane defaecatum et clarum. Inde utilitas acceleratae defaecationis.

Ad hanc obtinendam usui esse possunt: gelatina, sanguis, creta, concha, cortyx ovorum, taninum, etc. quae tamen, cum vel chemice agant in nonnulla elementa quae vino naturaliter insunt, vel ipsa nova elementa solubilia vino cedant, licite in elaboratione vini pro ss. missae sacrificio non adhiberentur. Sed sunt et alia media defaecationem vini accelerandi absque ulla eius alteratione substantiali. Sufficiat indicasse:

α. Actionem caloris vel frigoris.

β. Rotationem regularem doliorum vinum continentium.

γ. Adiunctionem arenae siliciae purissimae prius accurate acido hydrochlorico (HCl) purificatae, dein aqua distillata bene lotae, tandem perfecte exsiccatae.

δ. Adiunctionem ovorum albimentorum. Alcohol enim ovi albumen spissat, quod spissatum faeces in se claudit et cum iisdem distinctam a vino massam coagmentatam efficit.

Practice res ita componuntur : Ad defaecandum 100 litr. vini duo adhibentur ovorum albimenta quae prius peragitata in modicam vini quantitatem diluuntur, dein lente in reliquam massam continuo agitatam infunduntur.

ARTICULUS III. **Brevis summa principiorum et Conclusiones**

§ 1. BREVIS SUMMA PRINCIPIORUM

30. Iuvat iam paucis verbis perstringere principia quibus in quaestione ista solvenda nixi sumus.

1. Vinum non est quidpiam *unum per se,* sed mixtio, et quidem liquida.

2. Mixtio ista alia est in alio vino ; immo pro varia eiusdem vini aetate ipsa variat. Elementa tamen quibus vinum omne naturaliter constat quantitate quidem varia, sed cuius maxima et minima ratio ferme indicari potest, praesto sunt. Sic pro sophisticato habendum est vinum cuius litrum saltem 55 grammata alcoholi non contineat (nisi ex valde immutaris uvis expressum sit) vel quod habeat ultra 145,96 ; ita ut copia alcoholi inter 6°,9 et 18°,2 generatim variet.

Mixtionem istam ingrediuntur, — praeter aquam, — alcoholum, glycerina (circa 7 gr. in litro), saccharum (varia proportione) nisi vinum sit « siccum », kalium bitartaricum, acidum succinicum et nonnulla alia acida ; « aldehyda », varia « esthers », substantiae colorem dantes, et nonnulla corpora mineralia.

3. Elementa vini *stricte* sunt quaecumque in musto fermentato solvuntur, et vite vitaliter elaborata sunt. Sic alcoholum, substantia colorata. Late dicta elementa vel fermentationi vel dissolutioni inserviunt. Haec, vel extrinsecus adveniunt, — sic fermenta, — vel saltem nulla vitali vitis actione elaborantur : sic aqua. Ac fermenta, cum non solvantur et in faecibus reperiantur, ne pars quidem vini sunt, dum aqua ita vino necessaria est ut pars vini dicenda sit.

4. In vino puro ac sincero, ex *vite* sumenda sunt omnia elementa quae stricte dicta vocavimus. Haec si aliunde sumpseris, iam minus perfecte vinum habes. Modicissima tamen

huiusmodi quantitas sinit ut dicas : *parum pro nihilo reputatur*.

5. Elementa extrinseca, qualis aqua, omnem originem habere possunt, dummodo inter maximam et minimam quantitatem quae in vino naturaliter obtento praesto est, te contineas. Haec ratio est cur nimia aquae adiunctione vinum corrumpatur.

6. Duplicem itaque dixerimus rationem esse qua eucharistica vini species pereat : vel si maior copia vini vel liquidi non consecrati consecrata specie infundatur (propter principium : *pars maior trahit ad se minorem*) vel si notabiliter mutes proportiones quibus in vino naturali alcoholum vel aqua in esse possunt.

7. Nec possis tuto, artificiose, etiam ex vite sumpta elementa, puta alcoholum, ea quantitate quae in nullo vino naturaliter habetur, vino miscere.

8. Maximus respectus habendus est decretorum S. Sedis. Providus enim Deus Ecclesiae in re tanti momenti non deerit ; ac praeterea probabilis sententia auctoritatem quandam ipsi Ecclesiae tribuit ad ultimam materiae et formae sacramentorum determinationem. Quare, etiamsi scientifica consideratio tibi demonstraverit verum vinum esse quod Ecclesia, per S. Officium repudiaverit, illo vino tuto uti in consecratione non possis.

N. B. Ad S. Officium pertinet quaestiones istas, approbante S. Pontifice, dirimere.

§ 2. Conclusiones

31. 1. *Ementi* vinum haec una via tuta indicari potest ut vinum eucharisticum emat ab iis qui norint quaenam in eo conficiendo servanda sint et simul eximia probitate eniteant [1].

32. 2. *Paranti vinum in regionibus missionum,* haec consilia danda sunt.

a) Si in ipsa regione inveniuntur uvae quae adhiberi quidem possunt ad vinum parandum, sed quae vinum tamen praebent debilius, ad densandum mustum potius addantur uvae passae.

b) Si in ipsa regione uvae sufficienter maturae ut inde vinum exprimatur non inveniantur, vinum efficiatur ex uvis passis solis.

Ios. Pauwels, S. I.

---

[1] Litt. enc. S. C. de prop. fide 10 mart. 1861 (Col. n. 209). Cfr. Génicot-Salsmans. *Institutiones Theologiae Moralis*, II, n. 171.

QUAESITA VARIA

XXI. De approbatione Statutorum Confraternitatis

In loco X, legitime ab Vicario generali, quem Episcopus specialiter delegaverat, Confraternitas erecta est et Archiconfraternitati aggregata. Postmodum eiusdem confraternitatis statuta missa sunt ad curiam episcopalem ut necessaria approbatione confirmarentur. Quam approbationem idem Vicarius generalis dedit, omissa specialis delegationis mentione. Hinc de vi istius approbationis dubitari coeptum est.

Resp. Non tantum Confraternitatis erectionem facere sed etiam eius statuta approbare ius est Episcopi. Atque etiam notum est praefatam erectionem et approbationem Episcopo ita reservari, ut Vicarius generalis sine speciali Episcopi delegatione haec peragere non valeat. Hoc tamen inter utramque causam interest, quod Confraternitas sine legitima erectione canonice exsistere nequeat, dum statuta habere nec ad exsistentiam necesse est, nec ulla lege praecipitur.

In praesenti causa, cum Vicarius generalis se specialiter delegatum in ipsa erectione dixerit, speciali delegatione in approbandis statutis non caruisse satis videtur.

Sed minus de delegatione quam de omissa delegationis mentione hic agitur.

De qua re responsum habemus S. Congregationis Indulgentiarum, 2 aug. 1888. « 2. An Vicarii Generales possint valide dare consensum pro erectionibus Confraternitatum SS^mi^ Rosarii, ex speciali Episcopi delegatione?.... Ad 2. Affirmative, facta mentione specialis delegationis. »

Responsum istud, quamvis datum sit de sola SS. Rosarii confraternitate, cuius erectio Magistro Generali Ordinis Praedicatorum reservatur, ad omnes Confraternitates transfertur ; et quod de sola erectione dicit de statutorum approbatione etiam affirmatur. Sic, v. gr. BERINGER, *Die Ablässe*, 3ª ed. p. 518. Et parem esse causam negari nequit.

Estne tamen mentio ista ad ipsum actus valorem requisita ? Istud clare non dicit responsum 1888. Verbis enim : « facta mentione specialis delegationis » aeque potuit modus opportune servandus et condicio valoris indicari. Et cum responsis istis particularibus lex nova fieri non consueverit, priorem explicationem praeferendam ducimus. Nulla enim iuris dispositione ad actuum valorem praecipitur ut Vicarius generalis, quotiescumque ex speciali mandato agat id diserte memoret. Attamen, si mentio in ipsa Confraternitatis *erectione* omittatur, de valore erectionis, ac proin de ipsa Confraternitatis exsistentia saltem in foro exteriore, dubitari possit. Quare Confraternitatis sic erectae sanationem utiliter postulatum iri arbitramur.

MONUMENTA

481. — SACRAE PAENITENTIARIAE

FORMULA INDULTI 23 IUN. 1908 ET RESCRIPTUM 8 FEBR. 1911

De bonis ecclesiasticis usurpatis in Gallia [1]

A. *Indultum 23 iun. 1908.*

Sacra Paenitentiaria, de speciali et expressa Apostolica auctoritate, benigne sic annuente SS. Domino Nostro Pio PP. X, attentis peculiaribus rerum adiunctis, dilecto in Christo Ordinario N... facultatem ad triennium duraturam concedit permittendi intra fines suae dioecesis, ad maiora mala vitanda, ut Christifideles sibi benevisi, sive consiliarii municipiorum, sive administratores Institutorum vel Societatum quae pauperes aut infirmos iuvant, acceptare valeant, aliquo etiam posito actu, bona ecclesiastica sive cultualia sive non cultualia, iisdem municipiis vel societatibus vi legum civilium devoluta ; dummodo ad removendum scandalum sua agendi ratione sufficienter ostendant se eas leges non approbare, ac insuper iidem Christifideles caute et in foro conscientiae promittant se, mutatis circumstantiis et Episcopo reclamante, dicta bona ex aequo et bono restituturos, et interim curaturos ut ipsa bona impendantur in usum, quantum fieri poterit, eorum destinationi consentaneum ; quatenus autem lege civili cogente enuntiata bona in alios usus converti vel alienari debeant, et aliunde timendum sit ne ex muneris abdicatione rei catholicae condicio deterior fiat, indulgendi ut ea peragant quae a lege praecepta sunt, dummodo, uti supra, scandalum removere satagant, promittant se pro viribus curaturos ut divino cultui provideatur et, praesertim in difficilioribus, Ordinarii consilio se dirigant ; quin tamen releventur ceteri ab obligatione qua erga Ecclesiam respective tenentur.

Facultati origo, spatium,

argumentum,

condicio nes,

alia facu tas.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Clausul

Datum Romae, ex S. Paenitentiaria, die 23 iunii 1908.

Dies (23 iun. 1908).

O. Giorgi, S. P. Reg.

B. *Rescriptum 8 febr. 1911.*

Beatissime Pater,

Episcopus Virdunensis, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus ea quae sequuntur humiliter exponit :

Orator,

[1] Indultum istud, post NOUV. REV. THEOL. exscribimus ex REVUE D'ORGANISATION ET DE DÉFENSE RELIGIEUSE, 5 mart. 1911, p. 136.

memoratis ante actis,

Post datam responsionem a S. Paenitentiaria Ordinario Lucionensi, die 5 augusti 1907 [1], iam sublata est, quae exstabat, controversia circa bonorum ecclesiasticorum locatarios qui subiacent excommunicationi a Concilio Tridentino (Sess. XXII, c. XI, *De Ref.*) latae. Sed remanet adhuc difficultas non mediocris. — Plurima sunt bona ecclesiastica, ut agri et vites, quae vili pretio, propter fructuum raritatem vel paene exhaustam feracitatem, conducuntur ; — quaedam vero sunt quae, pretio quod iusto est inferius, etiam conducuntur, sed tantum propter rariores licitantes ; — insuper, ineuntur conductiones ad annum, vel ad tres aut plures annos. Inde confessariorum mens anxia et agendi ratio non uniformis. Nonnulli sunt qui locatarios quoscumque bonorum ecclesiasticorum censura tridentina innodatos reputant ; alii eos solummodo qui bona ecclesiastica conducunt eo pretio quod si iustum esset et non vile, ad materiam furti gravis pertingeret ; alii tandem aestimant etiam durationis locationis rationem habendam esse, ita ut si extendatur ad tres vel plures annos, ad materiam gravem, additis pretiis annualibus, haud aegre deveniatur. Quapropter, ad evitandum vel faciliorem vel severiorem agendi modum, Sanctitas Vestra sequentia dubia, oro, solvere dignetur :

novam ex ipso locationis pretio difficultatem proponit, et opinionum varietatem.

Hinc **Dubia.**

De quolibet pretio ;

I. Utrum excommunicationi a Conc. Trid. latae (Sess. XXII, c. XI, *De Ref.*) subiacent bonorum ecclesiasticorum locatarii, quantulumcumque sit pretium iustum locationis ?

De pretio 20 fr.

II. Quatenus negative, ii soli praedictae subiacent censurae qui bona ecclesiastica conducunt eo pretio quod, si non vile esset, ad summum viginti francorum (20 frs.) pertingeret ?

De accumulatione.

III. Et quatenus affirmative, utrum subiaceant dictae censurae si, pretio annuali ter addito, ad hanc summam tandem deveniatur ?

Responsum.

Sacra Paenitentiaria, mature consideratis expositis a Vener. in Christo Patre Episcopo Virdunen., litteris oblatis eidem S. Paenitentiariae die 16 decembris 1910, respondet :

Locatarios bonorum ecclesiasticorum a Gubernio usurpatorum non incurrere censuram Conc. Tridentini (Sess. XXII, c. XI, *De Ref.*) nisi damnum inde Ecclesiae obveniens spatio unius aut plurium annorum, iuxta prudentis confessarii iudicium, notabilem quantitem attingat, maiorem sane quam quae regulariter satis sit ad gravitatem iniustae damnificationis.

Datum Romae in S. Paenitentiaria, die 8 februarii 1911.

O. Giorgi, S. P. Reg.

Annotatio

S. Paenitentiaria, potius quam definitam responsionem de summa proposita, principium solutionum dare maluit. Considerandae enim est pia institutio vel communitas quae damnum patiatur. Haec, v. gr. si reditus missis dicendis destinari debuit, facile ex subtractis 20 fr. grave detrimentum accipere potest ; contra autem, ut si personarum communitas laedatur, saepe nulla materia relative gravi infra absolute gravem notabiliter afficitur. Tunc autem, cum sint, v. gr. Palmieri

[1] Cfr. Periodica, t. 4 n. **276**, p. 218.

qui materiam absolute gravem 100 francis aestiment, multo severius iudicaveris, si 20 francorum damnum pro gravi habueris.

---

482. — S. CONGR. RELIGOSORUM

INDULTUM 1 SEPT. 1910

Aggregatio Instituti Fratrum ad Tertium Ordinem S. Francisci [1]

Antonius Coudert, e Congregatione Oblatorum Beatae Mariae Virginis Immaculatae, Archiepiscopus Columbensis (Ceylan), ad pedes Sanctitatis Vestrae humillime provolutus, exponit quod in loco vulgo dicto Maggona, intra suae dioecesis fines, exsistit parva Congregatio Fratrum laicorum indigenarum a Sancto Vincentio a Paulo nuncupata, quae maximo cum zelo atque fructu invenum institutioni incumbit. Porro viget in hac Congregatione opinio quod unum quodque membrum, hoc ipso quod eidem ascribitur, aggregetur etiam Tertio Ordini Sancti Francisci, cunctisque eiusdem indulgentiis ac privilegiis gaudeat. Verum haec opinio, licet in eorum mente penitus radicata, nullo tamen prorsus nititur fundamento.

Orator,

Quapropter Orator, gravibus causis motus, suppliciter petit ut dicta opinio convalidetur ; ut scilicet valeat Minister Generalis Fratrum Minorum eos Tertio Ordini aggregatos declarare ex ipso eorundem professionis facto, non obstante Declaratione S. Congregationis diei 25 iulii 1887. Implorat insuper pro iisdem eademque de re, sanationem praeteriti.

exposita persuasion gratuita qua congr gatio se pu fat aggreg tam Tertio Ordini S. F

Et Deus, etc.

Petit *u aggregatio ista conce datur, sanc tis praeter tis actis.*

Vigore specialium facultatum a Sanctissimo Domino Nostro concessarum, S. Congregatio Negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, audito voto P. Procuratoris Generalis Ordinis Minorum, Reverendissimo Ordinario Archiepiscopo Columbensi Oratori benigne commisit ut, praevia sanatione pro praeterito, petitam pro suo arbitrio et conscientia concedat aggregationem, sub lege tamen ut Institutum ipsum et non Sodales singuli Tertio Ordini Regulari aggregetur.

Concedi tur *aggre gatio Insti tuti, non si gulorum.*

Datum Romae 1 septembris 1910.

Dies (1 sept. 1910)

Fr. I. C. Card. VIVES, Praefectus.
Vincentius La Puma.

ANNOTATIO

Ipsi religiosi, qua singuli, Tertio Ordini aggregari valide non possunt. Sed plura Instituta huiusmodi aggregatione fruuntur et sic sunt Tertiariorum cum votis religiosis.

[1] EX ANALECTA ECCLESIASTICA, 1911, p. 51.

483. — S. CONGR. RELIGIOSORUM

NORMAE, AB EMo PRAEFECTO TRADITAE 15 SEPT. 1910

De fovenda concordia inter Familias Franciscanas [1]

Occasio et causa iussionum.

Sanctissimus Dominus noster Pius Papa X, arrepta occasione publicationis Apostolicarum Litterarum *Seraphici Patriarchae* sub die 15 aug. 1910, et Motus proprii *Ob singularem* die 8 sept. eiusdem anni, ad magis magisque dissipandam quamlibet umbram et praetextum dissensionum et amaritudinum inter unius eiusdemque Seraphici Patris Filios, ad magis promovendam et servandam pacem, ad mutuam concordiam firmandam inter tres praefatas Franciscalis Ordinis Familias, iubet et praecipit, ut fidelissime observentur sequentes normae, videlicet:

Officium Superiorum. Eliminandae quaestiones. Imagines, etc. improbandae.

1. Superiores omnem suam curam diligenter adhibeant, ut plene ac fideliter serventur praescriptiones datae in Litteris Apostolicis *Septimo iam pleno saeculo; Paucis ante diebus*, et *Seraphici Patriarchae;* imposito inviolabili silentio disquisitionibus circa quaestiones iam tractatas, declaratas et resolutas a Summo Pontifice, necnon circa declarationes, praescriptiones et concessiones factas ab eodem in praefatis Litteris Apostolicis. Idcirco nunc et in perpetuum eliminentur absolute quaestiones circa primatum, filiationem aut successionem in Ordine Franciscali, et similia: diligentissime evitentur discussiones tractantes *de vera et non interrupta successione Filiorum S. Francisci;* et numquam permittantur, nequidem ad solum usum Fratrum seu Ordinis, scripta, imagines, inscriptiones, in quibus asseritur *in hoc vel in illo Ordine S. Francisci esse veram, legitimam et non interruptam eiusdem S. Patris in filios successionem*, quoniam Apostolica Sedes in omnibus tribus Familiis et in earum Supremis Moderatoribus, absque praeferentia, nec distinctione, *pari plenoque iure* recognoscit et iubet ab omnibus recognosci hanc *veram, legitimam et non interruptam successionem S. Francisci.*

Eliminandae controversiae de praecedentia.

2. Ita pariter nullimode permittatur, ut libri aut scripta publicentur circa quaestiones praecedentiae inter Minoriticas Familias, quamvis ad solum usum Fratrum seu Ordinis publicatio fiat. Igitur nunc et in perpetuum eliminetur, utpote quod nullatenus repondet spiritui humillimi Francisci, istud controversiarum genus, alienum prorsus a mente S. Sedis, et aperte improbatum in Litteris Apostolicis *Seraphici Patriarchae*, quibus omnino standum est.

Removendus liber P. Holzapfel.

3. *Manuale Historiae Ordinis Fratrum Minorum*, exaratum a R. P. Holzapfel et latine redditum a R. P. Haselbeck, quod maximo dolore replevit Summum Pontificem, pluresque alumnos a triplici Franciscali Familia, nullatenus debet relinqui in manibus Religiosorum, praecipue iuniorum sive clericorum seu studentium sive sacerdotum, neque laudari, cum illud apertis verbis Summus Pontifex censura dignum duxerit; immo a publico commercio totis viribus removendum est.

---

[1] Ex ANALECTA ECCLESIASTICA, 1911, p. 87.

4. Nemini umquam liceat censura notare Patres Conventuales, *secundum privilegia viventes*, uti eos vocat Leo X in Bulla *Ite et vos*. Quinimmo omnes reverenter et oboedienter admittant quod de ipsis asseritur in Constitutionibus Urbanis Cap. I Reg., tit. 2, art. 2 et 3 (quibus Urbanus ipse per Litteras Apostolicas *Militantis Ecclesiae*, sub die 15 maii 1628, *inviolabilis Apostolicae firmitatis robur* dedit, decernens easdem *ab omnibus et singulis dicti Ordinis Fratribus ceterisque personis, sub poenis in illis contentis, inviolabiliter perpetuo observari debere)* videlicet: « Ad eorum temeritatem coercendam, qui dicteriis captiosisque verbis Ordinem insequentes, Regulae transgressores Conventuales vocant, quod non ad litteram sine glossa, sed ad praescriptum privilegiorum Apostolicarumque declarationum, S. Francisci institutum observent, monemus omnes et singulos, quod quisquis, seu dictis seu scriptis Fratres Minores Conventuales, iuxta has Constitutiones viventes, non esse veros Regulae S. Francisci observatores, ausus fuerit quoquomodo asserere, mox Apostolicae Sedis excommunicationem sese incurrere sciat. Cum enim neminem astringere possit S. Francisci Regula nisi quia a Summis Pontificibus et Apostolica Sede approbata, confirmata et recepta, hanc ob rem ipsius Sanctissimae Sedis arbitrio est, eam pro tempore sic declarare, mitigari, interpretari, et quod Fratres sic declaratam firmiter et fideliter observantes, veri filii sint et S. Francisci sequaces, eiusque sanctissimae Regulae professores, huiusmodi quidpiam attentare, sive praesumere unusquisque facile intelleget, quam temerarium sit ».

Abstinen dum omn reprehen- sione PP. Conventua lium.

5. Singulari prorsus cura foveatur unio fraterna inter tres praefatas Familias in dulcedine caritatis cordis, oris, et operis : *a)* arrepta quavis opportuniore occasione ad solidiorem et efficaciorem reddendam hanc mutuam dilectionem *Fratrum gemellorum*, sive publice, sive privatim, sive verbis, sive scriptis, in diariis rerum Franciscalium, in piis coetibus, in sodaliciis seu foederationibus Tertiariorum triplicis oboedientiae ; *b)* mutuis assiduisque precibus, directis Sacratissimo Cordi Iesu, immaculatae Virgini Mariae et Seraphico Patri S. Francisco pro omnibus et singulis confratribus trium Familiarum, et ob maximum in iisdem augmentum seraphici fervoris in Regulae observantia, iuxta praescriptum singularum Constitutionum ; *c)* in perfecta, humili atque amorosa oboedientia Superioribus Generalibus, Provincialibus et localibus, pro Deo et propter Deum ; *d)* et praecipue in filiali illa et absoluta reverentia, dilectione et oboedientia Vicario Iesu Christi, quae gloriam constituunt singularem filiorum S. Francisci ; atque ita cum Patribus Concilii Plenarii Americae Latinae, iure meritoque, sanctaque exsultatione pleni, universo mundo repetere poterunt : « Quo plenius testatum faciamus, quali corde, mente et animo, Romano Pontifici Pastorum Principi, omnium fidelium Patri, devoti simus et adhaereamus, nos, Apostolicae Sedis non tantum mandata recepturos humiliter, et quam diligentissime exsecuturos, verum etiam monitis, consiliis et votis pie obtemperaturos esse declaramus ac spondemus ».

Positive fovenda ca ritas per v ria media, praecipue perfecta oboedienti erga Chri Vicarium.

Romae, die 15 septembris 1910.

Fr. I. C. Card. Vives, *Praef.*

Dies (15 sept. 1910)

484. — S. CONGR. RELIGIOSORUM

INDULTUM EX AUD. SS^mi 17 IAN. 1911

Cooptatio aegroti in Congregationem religiosam

Beatissime Pater,

Orator, *propositis causis,*

Superior Generalis Congregationis Imm. Cordis B. M. V. ad pedes S. V. provolutus, enixe postulat facultatem, per se vel per alium ad hoc delegetum, recipiendi vota religionis Rev^di D^ni Fl. B., gravi et incurabili morbo affecti.

Supradictus Fl. B. sacerdos dioeceseos G. a multis annis desiderio ardet inter sodales nostrae Congregationis se annumerandi ; sed propositum perficere semper impeditus fuit.

Petit *facultatem admittendi.*

Nunc ut amoris erga Deum pignus dare, et privilegiis Congregationis Nostrae frui possit, implorat gratiam vota religiosa Congregationis Imm. Cordis B. M. V. in articulo mortis emittendi.

Et Deus....

Gratia.

Ex audientia SS^mi habita ab infrascripto Cardinali Sacrae Congregationis de Religiosis Praefecto, sub die 17 ianuarii 1911, Santitas Sua, de specialissima benignitate, preces remisit prudenti arbitrio et conscientiae Moderatoris Generalis pro gratia. Datum Romae, die, mense et anno uti supra.

Fr. I. C. VIVES, *Praef.*

ANNOTATIO

Praesentis gratiae, nisi primum, certe satis novum exemplum esse videtur. Professio novicii in articulo mortis Ordinibus concessa est. Hic agebatur de cooptando in Congregationem religiosam sacerdote saeculari qui noviciatus limen non intraverat. S. Pontifex gratiam Moderatori generali concedendam commisit. Si autem, factis votis, sacerdos convaluisset, causa ad S. Congregationem deferenda dicebatur.

---

485. — S. CONGR. RITUUM

DECRETUM 25 IAN. 1911

De editionibus liturgicis cum signis rhythmicis (A. A. S. 15 feb. 1911, 3, 67)

Memoratis superioribus actis, praecipue de editionibus quae rhythmicae dicebantur,

Per decretum diei 11 augusti 1905, Sacra Rituum Congregatio statuit ac declaravit editionis Vaticanae libros liturgicos gregorianos respicientis reproductiones adamussim esse conformandas eidem typicae editioni, nihil prorsus addito, dempto vel mutato. Quod si ex quadam S. Sedis tolerantia et permittente Ordinario, aliquotiens praefatis reproductionibus addita

fuere quaedam signa, rhythmica nuncupata, atque ita ipsae reproductiones in vulgus editae ac venditae, tamen in seligendis atque adhibendis eiusmodi signis pluries conquestum est per ea aliquantum variari ac immutari notulas traditionales vaticanas : et ad hos abusus removendos idem Sacrum Consilium evulgandum censuit alterum decretum sub die 14 februarii 1906. Cum tamen non omnes abusus cessaverint et alii recentiores adiecti sint, sive ob titulum adhibitum *Editionis rhythmicae*, sive ob interpretationem haud rectam decretorum, necessaria fuit nova declaratio authentica expressa per epistolam Secretarii S. R. C. datam die 2 maii 1906. Quae epistola typographis facultatem et licentiam rite habentibus reproducendi editionem typicam Vaticanam clare significabat hanc solam editionem ab Apostolica Sede esse approbatam atque praescriptam pro usu cantus gregoriani, una cum subsequentibus editionibus eidem plane conformibus ; ceterasque editiones, rhythmicas nuncupatas ob signa adiuncta, habendas tantum toleratas ; atque hoc sensu esse intellegendum decretum latum die 14 februarii 1906.

Quae cum ita sint, ut removeantur abusus exsistentes et praecludatur via tum enunciatis tum aliis quae facile irrepere possent, Sacra eadem Congregatio sequentia decernere atque enucleatius declarare voluit :

S. Congr haec decer nit

I. Editionem Vaticanam de libris liturgicis gregorianis, prouti evulgata fuit Auctoritate Apostolica, cum suis notulis traditionalibus et cum regulis Graduali Romano praefixis, satis superque continere quae ad rectam cantus liturgici exsecutionem conferunt.

1. Notul traditiona les et regul Grad. Ro sufficiunt

II. Reproductiones eiusdem editionis typicae, quae praeseferunt signa superinducta, rhythmica dicta, per abusum vocari editiones rhythmicas, atque uti tales haud fuisse approbatas, sed tantum precario toleratas : hanc vero tolerantiam, attentis rerum adiunctis, amplius non admitti, nisi pro solis editionibus iam factis, Gradualis et Officii Defunctorum, ideoque nullatenus extendi sive ad editiones cum notulis gregorianis sive ad transsumpta cum iisdem notulis Antiphonarii et aliorum quorumcumque librorum cantum liturgicum continentium, quae ad normam Motus Proprii diei 25 aprilis 1904 et Decretorum huius S. R. C., tum pro universali Ecclesia, tum pro singulis Dioecesibus vel Congregationibus, adhuc instauranda sunt et evulganda.

2. Pro so editionibu iam factis signa rhyt mica tole rantur.

III. R^mis Ordinariis locorum ac Superioribus Ordinum seu Congregationum interim licere editiones precario a S. Sede toleratas permittere intra limites propriae iurisdictionis, quin tamen ipsi eas in locis sibi subiectis praecipere, atque usum editionis approbatae inhibere valeant.

3. Toler tas edition Ordinarii permittere non autem imponere possunt.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 25 ianuarii 1911.

Dies (25 ian. 1911).

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., Secretarius.*

486. — S. CONGR. S. OFFICII (sectio de indulgentiis)

INDULTUM EX AUD. SSi, 26 IAN. 1911

Quo utili tempore templum ad lucrandas indulgentias visitari possit. (A. A. S. 15 feb. 1911, 3, 64.)

Die 26 Ianuarii 1911

Decreti causa. SSmus Dnus noster D. Pius divina Providentia Pp. X, in audientia R. P. D. Assessori S. O. impertita, ut dubiis, difficultatibus et controversiis occurratur, quae saepe exorta sunt, ac fortisan et deinceps oriri possent, circa temporis determinationem, quo ecclesiae vel oratorii visitatio institui valet, cum haec requiritur ad Indulgentias lucrandas alicui diei annexas, benigne concessit, ut utile ad id tempus habeatur et sit, non modo a media ad mediam noctem constituti diei, verum etiam a meridie diei praecedentis. Hoc autem declaravit fore valiturum, tam pro Indulgentiis plenariis quam pro partialibus, semel in die aut totiens quotiens acquirendis, usque ad hunc diem concessis vel in posterum concedendis, quacumque demum sub locutione tempus sive dies designetur. Sartis tectis manentibus de cetero clausulis et condicionibus, in singulis quibuslibet concessionibus appositis. Contrariis quibuscumque, etiam specialissima et singulari mentione dignis, nonobstantibus.

Vis et amplitudo.

Derogatio contrariorum.

Aloisius Giambene, *Substitutus pro Indulgentiis.*

Annotationes

1. Repetitis vocibus S. Sedes mentem suam prodit ut praesens indultum, sine ambagibus, plenam suam vim in omni casu exserat et sic utilitatem amputandi omnia dubia de tempore faciendae visitationis vere consequatur. Itaque, de quacumque agatur indulgentia, etiamsi plenaria fuerit totiens quotiens lucranda, et quibuscumque verbis tempus designatum sit vel in posterum designetur (lex enim futuras sicut praeteritas concessiones afficit), praecepta ecclesiae vel oratorii visitatio semper a meridie ante constitutum indulgentiae diem, usque ad constituti diei mediam noctem utiliter institui potest.

2. Quare id mentione dignum colligimus. Hactenus Portiunculae duplicis formae, quod ad tempus visitandi oratoria vel ecclesias, distinguebantur. In aliis ecclesiae a vesperis diei praecedentis ad occasum solis constituti diei, in aliis vero a media nocte ad mediam noctem constituti diei, utiliter visitabantur. (Cfr. nostram lucubrationem, Periodica, t. 3, p. 152). Nunc, quod ad visitandas ecclesias spectat, omnes communi privilegio utuntur. Valentque omnes non tantum a vesperis diei praecedentis (id est ab hora circiter 2a p. m.) sed iam a meridie diei praecedentis, nec ulla desinit ad

occasum solis, sed omnes ad mediam noctem constituti diei protrahuntur. Quo exemplo momentum praesentis gratiae satis illustrari videtur. Sic enim, pro varietate quae confusionem pariebat, unitas regiminis « Portiuncularum » successit. Ex decreto S. C. Indulgentiarum 6 oct. 1870, communio semper una die ante indictam indulgentiae diem utiliter fieri potest ; decreto vero 11 mart. 1908 [1], quotiescumque indulgentia pluries eadem die lucranda offeratur, confessio tribus diebus diem indulgentiae immediate praecedentibus institui permittitur. Restabat itaque varietas in visitationibus ecclesiae, quam praesens decretum suppressit.

487. — S. PROPAGANDAE FIDEI

LITTERAE 26 IAN. 1911

De crematione necessaria et sepultura

Roma, 26 ianuarii 1911. *Dies (26 ian. 1911).*

Illustrissime ac Reverendissime Domine [2],

Exposita civili necessitate, **quaeritur** *de religiosa sepultura.*

Exponit A. T. huic S. C. quod toto in Vicariatu Gubernium civile cadavera defunctorum auctoritative crematioui tradit quin defuncti dum viverent consensum ad hoc dederint, et quin eorundem propinqui ullatenus crematiouem petierint. Hisce in casibus quaerit A. T. an cineres cum caerimoniis religiosis saltem in caemeterio inhumari possint.

Responsum *Haec neganda non est.*

Attentis itaque supra expositis, atque in citatis casibus, nihil obstat quominus A. T. exsequiales caerimonias cum consuetis in coemeterio peragere possit.

Deum interim precor ut Te diu sospitet.

A. T.

Addictissimus Servus.
Card. Gotti, *Praef.*
Aloysius Veccia, Secr.

Annotatio

Responsio hoc sensus communis principio innititur : ubi nulla culpa, nec delictum nec poena locum habent.

[1] Periodica, t. IV, n. **262**, p. 179.

[2] Ex Analecta Eccª 1911, p. 58. Litterae missae sunt ad Vicarium Apostolicum insularum Sandvigen. (Sandwich) in Oceania.

488. — S. CONGR. RELIGIOSORUM

RESPONSUM COMMUNICATUM 1 FEB. 1911

De sollemni laicorum professione

Dies (1 febr. 1911). Roma 1 febr. 1911

A Re Pater Provincialis

Dubia De difficultatibus Vestris adivi ad S. Religiosorum Congregationem ac
Responsa mihi sequenti modo responsum est :

Ad 1. Ad 1. Decretum 1 ian. 1911, etiam religiosos primae classis complectitur, cum ipsi laici sint.

Ad 2. Ad 2. Novicii qui ante istud decretum noviciatum ingressi sunt, probationem istam persequi, et canonico noviciatus anno expleto, simplicem professionem facere possunt. Hac autem facta, novo decreto obnoxii sunt, ita ut post sex annos tantum si tunc tringinta completos annos nati fuerint, ad sollemnem professionem habiles sint.

Ad 3. Ad 3. Vox *Postulatus* de Postulantibus qui saecularem vestem gerunt et de oblatis (Perseverantibus) qui habitu induti sunt, aeque intellegi debet.

Fr. Petrus de Giovanni, Vic. gen.

Annotationes

1. Litteras istas Vicarius Generalis Ordinis S. Ioannis de Deo ad Hispaniae Provincialem dedit. Quamvis, quod ad nos, responsis istis authentiam dare nequeant, ex his tamen mentem S. Congregationis de modo quo decretum 1 ian. 1911 in usum transferri debeat colligere possumus ; atque iisdem, nostram interpretationem, supra p. (5) datam, confirmari perspicitur. Eas latine reddimus. Italice et hispanice prodierunt in El Archivo, 1911, p. 177. 178.

2. In Ordine S. Ioannis, alii post unum noviciatus annum simplicem professionem faciunt ; alii vero, qui strictius dicuntur *conversi*, prius per decem annos Ordini tamquam oblati inserviunt. Hi dicuntur *2ae classis*, priores vero *1ae classis* religiosi. Cfr. Bullarium Ordinis, n. 410.

---

489. — E. SECRETARIA STATUS

LITTERAE 10 FEB. 1911

Ad Em. Kopp, de abiuratione Modernismi

(A. A. S. 15 febr. 1911, 3, 87.)

Eme ac Rme Domine mi Obssme.

Relatam declarationem docto- Litteras Eminentiae Tuae die VI huius mensis datas Beatissimus Pater ea, qua par erat, consideratione perlegit. Afferebas si quidem decuriam doctorum sacris disciplinis tradendis in Athenaeo civili Vratislaviensi uno

animo professam esse « iuramentum contra Modernistas nihil continere « quod veterem a se semper observatam fidei regulam mutare posset vel « illam excedere, neque novam imponere obligationem, neque fidelitati erga « auctoritatem civilem opponere, neque progressionem studiorum cohi- « bere », et a Te petiisse ut hoc devotionis suae testimonium Summo Pontifici offerres.

rum athenaei Vratislaviensis

Tales igitur sensus Sanctitas Sua paterna benevolentia excipiens, quamquam facere non potest ut non valde gaudeat, si iusiurandum ab omnibus sacri ordinis viris ubique gentium detur, nihilo minus haud reprehendendos esse censet illos ex Vratislaviensis Athenaei sacerdotibus, qui, doctorum tantum munus gerentes, ab eo forte abstineant. Utuntur enim ab ipso Beatissimo Patre prodita benigna legis interpretatione, ac idcirco veluti iure suo; neque prae se ferunt hac se uti licentia libenter, neque iudiciis hominum misere servire se ostendunt, cum potius amplissima professione suam hac de re rectam sententiam patefecerint, nullusque eorum, teste Eminentia Tua, si iurisiurandi gratiam Summus Ecclesiae Pastor iis non fecisset, cunctatus esset pontificiis mandatis virili animo obtemperare. Quae quidem eximia fidei ac cum Sede Apostolica coniunctionis significatio Sanctitati Suae iucunda accidit, nec dubitat Beatissimus Pater spectatam doctorum illorum fidem nullo tempore defuturam.

S. Pontifex approbat, nec reprehendit eos qui bono animo utuntur iure suo iusiurandum non praestandi.

Dum haec Tibi nuntio, peculiaris observantiae meae sensus Tibi libentissime testor ac manus humillime deosculor.

Eminentiae Tuae,

Romae, die 10 februarii 1911.

Dies (10 febr. 1911).

humillimus ac addictissimus famulus verus
R. Card. MERRY DEL VAL.

---

490. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

DECRETUM 11 FEBR. 1911

De authentica Concilii Tridentini et legum ecclesiasticarum interpretatione. (A. A. S. 15 mart. 1911, 3, 99.)

Romana

Dubia

Sacrae Congregationi Consistoriali ea quae sequuntur dubia proposita sunt solvenda :

1°. An, post ordinationem Romanae Curiae a Pio PP. X statutam, Sacrae Congregationi Concilii adhuc competat exclusiva facultas authentice interpretandi omnia Concilii Tridentini decreta quae ad morum reformationem, disciplinam aliaque huiusmodi pertinent, Summo Pontifice consulto ;

De permanentia privilegii S. C. Concilii.

2°. An facultas authentice interpretandi Concilii Tridentini decreta aliasque leges ecclesiasticas vi Constitutionis *Sapienti Consilio* sit singulis Sacris Congregationibus commissa secundum propriam cuiusque competentiam, salva Romani Pontificis approbatione ;

De facultate SS. Congregationum.

3°. An eadem potestas competat sacris tribunalibus Romanae Rotae et Signaturae Apostolicae ;

De facultate tribunalium Romanorum.

4o. An iisdem sacris tribunalibus competat saltem facultas decreta Concilii Tridentini aliasque leges ecclesiasticas interpretandi iuridice in casibus particularibus, ita nempe ut ius faciant inter partes in causa.

Responsa

Emi Patres huius Sacrae Congregationis, in generali coetu die 9 februarii 1911 habito, omnibus mature perpensis, respondendum censuerunt:

Ad I et III *negative ;* ad II et IV *affirmative.*

Approbatio SSmi.

Insequenti vero die, cum hae dubiorum resolutiones SSmo D. N. Pio PP. X ab infrascripto Cardinali Secretario relatae sint, Sanctitas Sua eas ratas habuit et confirmavit.

Dies (11 febr. 1911.)

Datum Romae ex Aedibus eiusdem Sacrae Congregationis. die 11 februarii anno 1911.

C. Card. De Lai, *Secretarius.*
Scipio Tecchi, Adressor.

Annotationes

1. Nihil quod mirationem moveat decreto isto continetur. Post C. *Sapienti*, mutata SS. Congregationum competentia, nulla ratio apparebat cur authentica disciplinae Tridentinae interpretatio S. Congregationi Concilii reservaretur ; et cum ipse S. Pontifex opus plenariae reformationis canonicae aggressus esset, omnis ratio prohibendi interpretationes legum Tridentinarum excidere videbatur.

2. Itaque, pro sua quaeque provincia, singulae Congregationes canonicas leges, Tridentinas et alias, authentice, approbante S. Pontifice, interpretabuntur.

Iudicis autem est non generali decreto sed speciali sententia leges in casibus particularibus interpretari.

Haec prudenti sua declaratione S. C. Consistorialis firmavit.

---

491. — CONGR. CONSISTORIALIS

RESPONSA 28 FEBR. ET 13 MARTII 1911

De decreto « Maxima cura ». (A. A. S. 31 mart. 1911, 3, 133.)

A. *Responsum 28 febr.*

Dubium.

In generali conventu Sacrae Congregationis Consistorialis habito die 23 februarii 1911, proposito dubio : « An vigeat in Anglia novissimum de amotione administrativa ab officio et beneficio curato Decretum « *Maxima cura* » Emi PP., requisito Consultorum voto aliisque perpensis, respondendum censuerunt : « *Affirmative* ».

Responsum

Approbatio SSmi 24 febr. 1911.

Facta autem relatione SSmo D. N. Pio PP. X ab infrascripto Cardinali Secretario in audientia diei 24 februarii 1911, SSmus resolutionem ratam habuit et confirmavit.

Dies (28 febr. 1911).

Romae, die 28 februarii 1911.

C. Card. De Lai, *Secretarius.*
Scipio Tecchi, Assessor.

B. *Responsum 13 martii 1911.*

Ad dubium ab aliquibus propositum, « an decretum « *Maxima cura* » vigeat pro dioecesibus Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis » haec Sacra Consistorialis Congregatio respondit : « *Affirmative* », iuxta resolutionem datam pro dioecesibus Angliae sub die 28 februarii 1911, Romae, die 13 martii 1911.

Dubium.
Responsum.

Dies (13 mart. 1911.)

C. Card. De Lai, *Secretarius.*
Scipio Tecchi, Adsessor.

Annotatio

1. Decreto *Maxima cura*, 20 aug. 1910 (Periodica, t. 5, n. 449, p. 234) parochi, propter graves causas quae ad spiritualem populi utilitatem attinent, et certa forma servata, amoveri oeconomice permittuntur. Age porro, cum neque in Anglia neque in Statibus foederatis Americae Septemtrionalis paroeciae canonice erectae habeantur, de vi decreti lati pro utraque regione dubitari potuit et dubitatum est. Quod dubium praesentibus responsis solvitur sicut solvendum esse R. D. De Becker existimavit.

2. Observes, prioris responsi non autem alterius approbationem a S. Pontifice expetitam esse. Alterum enim evidenti nexu consequentiae cum priore conectebatur. Iam vero, ex C. *Sapienti,* sola decreta cuiuspiam momenti S. Pontifici exhibenda sunt.

---

492. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

RESPONSUM 1 MART. 1911

De motu proprio « Sacrorum antistitum ».
(A. A. S. 31 mart. 1918, 3, 134.)

Cum in Motu proprio « *Sacrorum Antistitum* » statutum sit ut fidei professio cum iureiurando contra Modernistarum errores praestetur a parochis aliisque beneficiatis ante ineundam beneficii possessionem, quaesitum est « utrum adhuc maneat facultas facta a S. Concilio Tridentino, qua provisi de beneficiis quibuscumque, fidei professionem emitttere possunt intra duos menses a die adeptae possessionis ».

Dubium *de tempore prof. fidei*

Re autem pertractata penes S. hanc Congregationem, cum Consultoris voto, ab infrascripto Cardinali relatio facta est SSmo D. N. Pio PP. X, qui omnibus perpensis, proposito dubio mandavit ut respondeatur : « *Negative* » ac proinde in posterum fidei professionem emittendam esse ante possessionem beneficii.

Responsum

Datum Romae, ex aedibus S. C. Consistorialis, die 1 martii 1911.

Dies (1 mart. 1911)

C. Card. De Lai, *Secretarius.*
Scipio Tecchi, Adsessor.

ANNOTATIO

De praesenti quaestione ipsi egimus dum declarationes 25 oct. 1910 commentati sumus. Ac, decepti responso ad VII, quo nihil innovandum dicebatur quod ad professionem fidei, existimavimus hanc esse a beneficiatis intra duos menses ab inita beneficii possessione faciendam. Aliter statuit S. Sedes et declarat professionem fidei in posterum beneficii possessioni anteriorem esse debere. Poterunt sic coniunctim fieri abiuratio modernismi et fidei professio.

---

493. — S. CONGR. RITUUM

RESCRIPTUM 24 FEBR. 1911

De editione officiorum propriorum cum cantu liturgico.
(A. A. S. 15 mart. 1911, 3, 105.)

Ratisbonen.

Orator.

Fridericus Pustet, Sanctae Sedis Apostolicae et S. Rituum Congregationis typographus, de consensu R^mi sui Ordinarii Ratisbonensis, humiliter expetivit a Sacra Rituum Congregatione, ut ipsa declarare dignaretur, quis modus servandus sit de expetenda approbatione Propriorum alicuius Dioecesis vel Ordinis ad Graduale vel Antiphonale Romanum Vaticanae editionis, et praesertim :

Dubia *de approbatione qua muniri debeant*

Propria cantus gregoriani, primum edita ?

Sequentes editiones

A quonam Ordinario approbanda sunt ?

Quid si cantum gregor. cum modernis notis exhibent ?

I. Utrum Propria quae exhibent cantum gregorianum, indigeant approbatione Sacrae Rituum Congregationis pro prima editione ?

II. Et quatenus affirmative ad I, utrum etiam pro sequentibus editionibus ?

III. Et quatenus negative ad II, utrum praeter licentiam Ordinarii loci in quo praedicta Propria evulgantur, requiratur insuper licentia Antistitis respectivi Ordinis vel Dioecesis ?

IV. Qua approbatione indigeant illa Propria ad Graduale vel Antiphonale Romanum Vaticanae editionis, quae exhibent cantum gregorianum notis modernis transcriptum ?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audita Commissionis Liturgicae sententia, una cum voto Praesidis Commissionis de musica et cantu sacro, reque sedulo perpensa ac discussa, ita respondendum censuit.

Responsa

Ad I.

Ad I. *Affirmative :* et singula cuiuslibet Proprii seu novi Officii aut Missae folia, apud quemlibet typographum composita, in triplici exemplari vel singillatim vel simul sumpta ad Sacram Rituum Congregationem pro revisione et definitiva approbatione transmittantur ; praehabita quidem licentia illius Ordinarii loci vel Moderatoris supremi Ordinis sive Instituti, in cuius usum paratur editio, quae veluti typica pro futuris editionibus inserviet.

Ad II. *Negative*, dummodo subsequentes editiones cum prima typica editione sive Proprii sive novi Officii aut Missae fideliter concordent ; prouti Decretum sacrae Rituum Congregationis sub die 11 augusti 1905, quod Instructiones circa editionem et approbationem librorum cantum liturgicum gregorianum continentium exhibet, omnino declarat et iubet. *Ad II.*

Ad III. Requiritur pro subsequentibus editionibus tam approbatio Ordinarii Dioecesis vel Moderatoris Supremi Ordinis seu Congregationis, in cuius usum ipsae editiones parantur, quam licentia Ordinarii loci, in quo huiusmodi editiones conficiuntur et evulgantur. *Ad III.*

Ad IV. Requiritur et sufficit approbatio Ordinarii Dioecesis vel Moderatoris Ordinis sive Instituti, atque licentia Ordinarii illius loci ubi tales editiones parantur sive evulgantur, prouti in responsione ad dubium III superius indicatur. *Ad IV.*

Declarat autem sacra Rituum Congregatio tum Decretum approbationis a se dandum primae editioni alicuius Proprii sive novi Officii aut Missae cantum gregorianum liturgicum exhibenti cum approbationem Ordinarii Dioecesis aut Moderatoris Supremi Ordinis sive Instituti atque licentiam Ordinarii loci, ut supra, in scriptis praevie ab editoribus expetendam et obtinendam, omnino debere integre et fideliter in principio vel in fine Proprii vel Officii novi aut Missae publicari. *Necessitas imprimendi ipsas approbationes.*

Atque ita rescripsit, die 24 februarii 1911. *Dies (24 febr. 1911).*

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., Secretarius.*

---

494. — S. CONGR. RITUUM

RESPONSA 24 FEBR. 1911

De quibusdam concurrentiis et occurrentiis

(A. A. S. 31 mart. 1911, 3, 135.)

Ordinis Fratrum Minorum

Admodum Reverendus Pater Valentinus Barile, Vicarius Provincialis Ordinis Fratrum Minorum Provinciae Terrae Laboris, Sacrorum Rituum Congregationi haec, quae sequuntur, pro opportuna declaratione reverenter exponit : *Orator, expositis difficultatibus*

I. In Regione Neapolitana, Dominica secunda post Pascha, celebratur Festum S. Francisci de Paula, sub ritu duplici secundae classis cum Octava ; ast in eadem Regione adest Conventus Casalucensis, pro quo huiusmodi Festum in Kalendario Provinciae die secunda aprilis fixum invenitur, cum praedicta Dominica secunda post Pascha impedita sit a Festo Beatae Mariae Virginis Indulgentiarum, Ecclesiae Titularis. Quaeritur : **Quaerit**

1° An Conventus Casalucensis praedictum Festum Sancti Francisci de Paula celebrare possit die secunda aprilis, quae est vacua et libera in Kalendario Provinciae, vel potius, iuxta leges occurrentiae, celebrare debeat post Dominicam secundam post Pascha ? Et quatenus affirmative ad primam partem : *1. De die festo S. Francisci de Paula.*

2° An, si dies secunda aprilis extra Quadragesimam venerit, supradictus Conventus Festum Sancti Francisci de Paula celebrare debeat sub ritu duplici secundae classis cum Octava, vel sine ipsa ?

2. De festo sacrarum reliquiarum Ordinis.

II. Festum Sacrarum Reliquiarum, ante annum 1894, in toto Ordine sub ritu duplici minori, die decima quinta martii celebrabatur; at praedicto anno ad ritum duplicem maiorem evectum fuit, et in Dominicam postremam Octobris fixe translatum. Interdum adest Neapoli Conventus Sanitatis, qui Indultum habet ab immemorabili dictum Festum sub ritu duplici primae classis celebrandi. Quaeritur : An iste Conventus praedictum Festum possit etiam nunc celebrare die decima quinta martii, vel debeat in ultimam Dominicam Octobris reponere ?

3. De commemoratione in Octava Corporis Dni.

III. In aliquibus Conventibus eiusdem Provinciae non raro accidit, ut die Octava Sanctissimi Corporis Christi occurrat Festum Patroni principalis loci, vel Titularis propriae Ecclesiae. Quaeritur : An in secundis Vesperis facienda sit commemoratio sequentis, nempe Sacratissimi Cordis Iesu, iuxta concurrentiae leges, vel Sanctissimi Corporis Christi ?

De festo Patrocinii B. M. V.

IV. Dedicatio Ecclesiae Cathedralis Beneventanae a Kalendario eiusdem Dioecesis in Dominica post Octavam Omnium Sanctorum celebranda praescribitur. Hic autem notandum quod, cum praedicta Dominica fere semper sit Dominica secunda novembris, accidit ut Festum Patrocinii Beatae Mariae Virginis numquam tali Dominica celebrari possit. Hinc quaeritur : An Festum Patrocinii Beatae Mariae Virginis debeat tamquam fixum et in perpetuum reponi in prima die libera, seu potius in alia die ad beneplacitum Sanctae Sedis statuenda, vel transferri aut simplificari possit iuxta leges occurrentiae, nempe translatione tantum accidentali ?

Responsa. Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibus accurate perpensis, ita rescribendum censuit :

Ad I. Ad. I. Quod ad I. et II. Festum Sancti Francisci de Paula celebretur perpetuo Feria secunda Dominicam secundam post Pascha immediate sequenti, et eiusdem dies Octava commemoretur in die Octava Festi Titularis Ecclesiae.

Ad II. Ad II. Negative ad primam partem ; Affirmative ad secundam.

Ad III. Ad III. Affirmative ad primam partem ; Negative ad secundam, iuxta Decretum num. 3712. *Urbis et Orbis*, 28 iunii 1889, et Rubricas Generales Breviarii, Tit. IX, num. II.

Ad IV. Ad IV. Negative ad primam partem ; Non expedire ad secundam ; Affirmative ad tertiam.

Dies (24 febr. 1911). Atque ita rescripsit, die 24 februarii 1911.

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., Secretarius.*

Annotationes

1. In quaesitis 1° et 4°, difficultates prorsus similes solvendae proponuntur : agitur enim in utroque casu de translatione alicuius festi *mobilis* singulis annis ob occurentiam alius festi, pariter *mobilis*, sed potioris ritus, vel qualitatis, impediti. Etsi, sub quodam respectu, talis occurrentia dici potest perpetua, cum singulis annis festum aliquod

impediatur in propria die, tamen, praesertim in secundo casu, in quo non semper ab eodem festo officium Patrocinii B. M. V. impeditur, praedicta occurrentia rectius dicenda est *accidentalis ;* immo auctores plerumque accidentalem vocant quamcumque occurrentiam festorum mobilium [1].

Et sic patet cur Congregatio non permiserit assignare festo Patrocinii B. M. V. primam diem liberam tamquam fixam, sed voluerit illud festum quotannis transferri iuxta leges occurrentiae in translatione accidentali.

2. Quod ad festum s. Francisci de Paula, speciale indulgetur indultum illud transferendi in die sequenti. Porro hoc indultum, quod hodie sat facile conceditur pro festis 1ae vel 2ae classis, sic evidenter intellegi debet : *dummodo non occurrat in hac die festum potioris ritus, vel eiusdem ritus, sed maioris dignitatis,* uti accidit v. g. hoc anno 1911, occurrente in hac die festo ss. apostolorum Philippi et Iacobi; alia vero festa quae occurrerent, vel transferuntur, si transferri valent, vel de iis fit commemoratio.

3. Responsio ad 2um nova est applicatio huius principii, mutationem alicuius festi importare omnimodam amotionem non tantum officii, sed etiam ipsius festi, ita ut in pristino die nihil iam remaneat; ac proin nulla prorsus videtur ratio cur festum in pristino die retineatur, etiam si sit altioris ritus. Accedit utilitas unitatis. Eodem modo Congregatio iam responderat quod ad festum ss. Perpetuae et Felicitatis die 28 febr. 1910 (Cfr. PERIODIC. t. 5, n. **413**$_3$, p. 147.)

4. Difficultas sub n° 3 prolata iam solvenda Congregationi proposita fuit a directore Kalendarii romani die 28 martii 1824 (Decr. n° 2632). Responderat tunc Congregatio faciendam esse commemorationem diei octavae Corporis Christi, non vero festi sacratissimi Cordis, et huic enixi decreto, redactores kalendariorum etiam nunc, praedicto modo ordinabant vesperas. Verum animadvertendum est, festum sacratissimi Cordis, quando hoc prodiit decretum, celebrari sub ritu duplicis maioris, ac proin, secundum regulas generales, secundas vesperas diei octavae praevalere primis vesperis duplicis maioris. Cum autem die 28 iunii 1889 Leo XIII festum sacratissimi Cordis ad ritum duplicis 1ae classis evexerit, de concurrentia in vesperis haec statuit : « In concurrentia festi sacratissimi Cordis cum die octava Corporis Christi, vesperae integrae fiant de eadem octava, sine ulla commemoratione, attenta indole peculiari utriusque festi. Quod ad concurrentiam vero cum duplicibus 1ae classis, ambae vesperae ordinentur ad tramitem rubricarum et decretorum Sacrae Rituum Congregationis. » (Decr. n° 3712) Ad praedictum

[1] VAN DER STAPPEN, *Sacra Liturgia* T. I. Q. 156. — COPPIN-STIMART, *Sacrae Liturgiae compendium.* n° 136.

decretum remittens, et ad Rubricas generales breviarii Tit. XI. n° 2 [1], S. R. C. a priori sua solutione recedens, decernit in casu quo occurreret in die octava Corporis Christi festum 1ae classis, in vesperis huius festi commemorationem faciendam esse 1arum vesperarum festi sacratissimi Cordis, non vero 2arum vesperarum octavae Corporis Christi.

Ios. Pauwels, S. I.

495. — S. CONGR. RITUUM

RESPONSA 23 MART. 1911

De variis dubiis officii divini. (A. A. S. 31 mart. 1911, 3, 136.)

ATREBATEN.

Oratoris varia **dubia** *solvuntur.*

Cum Ordinator Kalendarii Dioecesis Atrebatensis, de licentia sui Rmi Episcopi, a S. R. C. plurium dubiorum solutionem humillime postulaverit; eadem Sacra Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, reque diligenter expensa, ad relationem subscripti Secretarii, ita iisdem dubiis respondendum censuit:

Quo pacto initia epistolarum S. Pauli legenda sint.

I. Initium cuiusvis epistolae beati Pauli Apostoli alicui Feriae assignatum, in qua anticipatur Officium alicuius Dominicae post Epiphaniam; sicuti et initia antecedentibus Feriis assignata quatenus sint in sua ipsorum die utcumque impedita, debent omnino in antecedenti Feria vel etiam Dominica recitari, etiamsi aliquando tria simul initia sic legi contingat, et omitti quoque oporteat Lectiones alicui Festo semiduplici, vel duplici per annum tam minori quam maiori, proprias, vel de respectivo Communi per se tributas, prouti casus requirat. Lectiones autem eiusmodi propriae vel de Communi per se assignatae illi ex occurrentibus Festis vel Officiis, in quantum necessitas exigat, adimantur quod habet Lectiones de Communi assignatas, prae altero minus etiam nobili sed Lectiones primi Nocturni proprias habente; vel quod alteri in concurrentia debet postponi; vel in cuius die initium aliquod proprie cadit; vel denique quod posteriore tempore occurrit; et si ne hoc quidem pacto omnia recitari et reponi eadem initia valeant, illa omittantur eo anno initia quae alioquin forent posterius perlegenda, si nempe pro omnibus initiis dies a Festis et Officiis duplicibus primae vel secundae classis libera quomodolibet haberetur. Initia denique quae occurrunt post eam Feriam in qua integrum alicuius Dominicae post Epiphaniam anticipatur Officium, debent illo anno prorsus omitti, iuxta Rubricas Generales Breviarii Romani sub Tit. XXVI. *De Lectionibus*, num. 8; quia per Officium integre de aliqua anticipata Dominica persolutum, iam nova incepit hebdomada, infra quam nequeunt ulla praecedentis hebdomadae initia reponi.

II. Initium cuiusvis epistolae beati Pauli Apostoli illi alioquin assignatum Sabbato in quo per integrum Officium vel per Commemorationem aliqua ex Dominicis post Epiphaniam simul cum Septuagesimae Dominica veniens anticipatur, in una ex antecedentibus Feriis iugiter

[1] Putamus in praesenti decreto erronee impressum esse Tit. IX pro Tit. XI.

perlegatur, prouti sub num. I. superius edicitur, non obstante Decreto num. 2503, *Urbis*, 28 martii 1775 ad I. ; atque in eodem Sabbato, si anticipata Dominica solam Commemorationem habeat, Lectiones semper ipsius Dominicae recitentur. Si tamen Festum vel Officium duplex primae aut secundae classis celebretur, initium Dominicae anticipatae eo quidem anno prorsus omittitur, etsi in Feriis Sabbatum ipsum praecedentibus dies liberi habeantur, cum nequeant omnino impedita initia intra praecedentem hebdomadam anticipari.

Lectio 9a festi S. Ioannis ante Portam Lat. pro historica tractari debet.

III. In Festo S. Ioannis ante Portam Latinam tamquam proprie historica censeri debet Lectio nona Matutini, quae de glorioso huius S. Apostoli Martyrio mentionem facit ; ideoque, iuxta Decretum num. 2735, *Ordinis Minorum Capuccinorum*, 8 augusti 1835, ad II., eadem Lectio nona, quae praepeditur Homilia Feriae vel Dominicae, vel nona Lectione Festi utcumque simplicis, adiungi debet Lectioni octavae ipsius Festi

De hymnis propriis.

IV. Hymni omnes proprii, qui ad integritatem historiae necessario non pertinent, prouti est Hymnus *Te gestientem gaudiis* ad II. Vesperas in Festo SS. Rosarii B. M. V. appositus tamquam summarium et repetitio ceterorum, si recitari nequeant ad eas Horas pro quibus designantur, ex praecepto recitentur ad alias eiusdem diei Horas in quibus alius hymnus vel de Communi utcumque desumptus vel iam in eodem recitatus Officio secus debeat adhiberi ; immo etiamsi Hymnus aliquis proprius, in alia diei Hora minime recitatus, possit, sine ulla Hymnorum coniunctione, ad aliquam Horam antecedentem vel subsequentem amandari. Si autem eiusmodi Hymni proprii, qui ad integritatem historiae necessario non referuntur, nequeant servari nisi cum aliis coniungantur, tunc de congruo in privata tantum Officii recitatione cum aliis Hymnis quibuslibet eiusdem metri proximioribus uniri valent, prouti Rubricae Generales Breviarii Romani, Tit. XXVI. *De Lectionibus*, num. 3. 4. et 6., de Lectionibus in privata item Officii recitatione fieri concedunt ; quoniam in publica Officii celebratione non arbitrarium onus sed necessarium tantummodo est urgendum atque in annuis Kalendariis annotandum.

De versiculo « Ora pro nobis ».

V. In Festo S. Elisabeth, Reginae Portugalliae, Viduae, sicuti et in aliis omnibus Officiis etiam votivis sub ritu semiduplici celebrandis, quibus ad Vesperas vel Laudes versus *Ora pro nobis* fuerit assignatus, idem versus pro ipso recurrente Festo vel Officio iugiter asservetur, iuxta normam in similibus casibus generaliter observatam ; atque in posterum, hoc in casu, pro Suffragio beatae Mariae Virginis adhibeatur, tam ad Vesperas quam ad Laudes, versus *Dignare me*, non obstante Decreto num. 1918 *Ordinis Discalceatorum SS. Trinitatis*, 18 decembris 1649 ad I.

De officio B. I. M. Vianney, definitur vera lectio.

VI. In Officio beati Ioannis Mariae Vianney, Confessoris, omnibus Galliarum Ecclesiis concesso, legendum est in VI. Lectione *secretiorem lucum*, iuxta textum approbatum ; non autem *secretiorem locum*, prouti aliquae exhibent editiones.

Conclusio orationum.

VII. Postcommunio Missae Lanceae et Clavorum D. N. I. C. pro aliquibus locis concessae, necnon Oratio Officii Votivi et Missae Votivae de Passione D. N. I.-C. concludendae sunt : *Qui vivis et regnas cum eodem Deo Patre.*

Atque ita rescripsit, die 23 martii 1911.

Dies (23 mart. 1911).

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secretarius.*

Annotationes

1. In nn. I et II huius decreti nonnulla decernuntur de modo legendi initia librorum S. Scripturae in hebdomada in qua ponendum est officium de dominica anticipata. Etenim, si auctores, saltem recentiores, generatim consentiunt illa initia esse omittenda quae occurrunt post eam feriam in qua anticipatur officium alicuius dominicae post Epiphaniam, controversia erat si agitur de initio occurrente in ipsa feria in qua anticipatur officium dominicae.

2. Ex praesenti decreto, collato cum praecedentibus in eadem re editis et cum rubricis generalibus sequentia videntur statui posse :

a/ Initium alicuius libri sacrae Scripturae, si in propria die legi non potest, legendum est in alia, sive subsequenti, sive etiam antecedenti.

b/ Nullo modo tamen potest reponi extra hebdomadam suam, neque in subsequenti, neque in antecedenti.

c/ Quando infra hebdomadam fit de dominica anticipata post Epiphaniam, *ante* feriam in qua anticipatur officium dominicae, omnino legenda sunt initia omnia quae occurrunt infra abruptam hebdomadam *sive in ipsa feria* in qua fit de dominica anticipata, *sive in feriis antecedentibus ;* initia contra occurrentia infra hanc hebdomadam *post* praedictam feriam hoc anno omittuntur, nam ab hac feria nova incipit hebdomada, infra quam legenda sunt initia occurrentia infra hebdomadam anticipatam ; quodsi de dominica anticipata fit tantum commemoratio in sabbato, in primo nocturno huius festi, nisi sit 1ae vel 2ae classis, legitur Scriptura de dominica anticipata etiam si in ipso sabbato occurrat aliquod initium, quod tunc, uti superius dictum est, in praecedenti feria est legendum.

d/ Si in aliqua hebdomada non inveniuntur dies liberi sufficientes ad omnia initia huius hebdomadae reponenda, plura initia in eadem die, etiam dominica, reponantur, ad haec tamen attendendo : a) ut initia quam minime a die sua removeantur ; b) ut suo ordine recitentur ; c) ut numquam plus quam tria initia eodem die reponantur.

e/ Si ne hoc quidem pacto, omnia initia reponi valent, legi debent in aliquo die festo cui per se competunt lectiones propriae vel de communi, dummodo tamen non sit in festo 1ae vel 2ae classis. Porro antiquitus lectiones propriae adimi debebant officio ritus inferioris, minoris dignitatis, ac sollemnitatis (decr. nº 2319 ad Tit. XXV, dub. 2, q. 4 et 3665 ad 1) ; in praesenti vero decreto Congregatio solutionem mutans, decernit ut, in quantum necessitas exigat, lectiones adimantur festo vel officio quod habet lectiones de communi

assignatas, prae altero *minus etiam nobili* sed lectiones proprias habente. Et tantum si sub hoc respectu festa sunt eadem, attendi debet ad nobilitatem ita ut lectiones adimantur festo quod in concurrentia vesperarum cedere debet ; festis autem etiam sub hac ratione similibus, lectiones propriae adimantur illi quod cadit in feria cui assignatur initium, vel si plura occurrunt initia, denique adimantur festo quod occurrit posteriore tempore.

Decretum autem regulam generalem profert, ita ut eodem modo agendum sit non solum in hebdomada quae praecedit Septuagesimam, sed etiam in aliis hebdomadis per annum. Unde v. g. si in 1ª hebdomada augusti nulla suppetit dies libera ad reponendum initium Libri Sapientiae, praedictum initium iam non est reponendum, sicuti hactenus fiebat, in festo Inventionis s. Stephani, semi-duplici *lectiones proprias habente*, sed in festo s. Alfonsi de Ligorio, duplici minore *lectiones habente de communi*.

3. Ad IV. Ex rubricis generalibus breviarii, Tit. XX nº 3, hymni proprii, vere historici, eiusdem metri, si in aliqua hora impediuntur, in aliis horis eiusdem diei reponi debent, aut etiam cum aliis hymnis item propriis coniungi, ita ut totus quasi hymnus suo ordine recitetur ; et ratio praescriptionis huius rubricae est quia omnes illi hymni quasi unum constituunt quem nec abrumpere convenit, nec inverso ordine dicere. Haec autem ratio non valet de illis hymnis de quibus hic agitur, qui, etsi proprii, tamen ad integritatem historiae necessario non pertinent. Porro tales hymni ex decr. *Ordinis Fratrum Minorum*, 29 iul. 1904, in aliis horis poni debent loco illorum quae vel de communi accipiuntur, vel sunt iam in eodem officio recitatae, immo ex praesenti decreto poni debent in alia hora, loco hymni proprii si hic possit, *sine ulla hymnorum coniunctione*, ad aliquam horam antecedentem vel consequentem amandari ; idem congruentius fit in recitatione privata, etiamsi coniungi debeat cum alio hymno ; sed in recitatione publica in hoc ultimo casu praedictus hymnus est omittendus.

4. Ad V. Principium in rubricis est ; in eadem hora bis eadem non dicuntur sed si versiculus vel antiphona recurrat, mutetur oportet in alium. Hoc tamen auctores non applicabant antiphonis finalibus B. M. V., quae, ut dicit Cavalieri, non sunt proprie partes ipsius officii, sed potius quoddam addimentum ; et re quidem vera, ab octava Epiphaniae usque ad Purificationem, pro suffragio B. M. V. idem versiculus atque eadem oratio adhibentur atque in eius antiphona finali ; unde etiam generatim concludebatur nihil obstare quominus v. *ora pro nobis*, adhiberetur tum in ipsa hora, tum in antiphona finali B. M. V., et eodem modo Congregatio

responderat die 14 iunii 1901 (decr. *Ordinis s. Benedicti* ad 6.). In posterum vero, ex praesenti decreto, praedictus versus in antiphona finali mutandus erit in alium, scil. *Dignare me.*

5. Ad VII. In rubricis generalibus Tit. XXX n° 4, indicantur mutationes in conclusione orationum inducendae si in earum principio fit mentio Filii, vel Spiritus Sancti ; sed nihil habetur de mutatione introducenda, si in principio alicuius orationis directae ad Filium, fit mentio Patris ; sed cum principium sat clare in enuntiata rubrica indicaretur, plerique auctores similem mutationem introducendam dicebant, quam opinionem Congregatio nunc confirmat.

Ios. Pauwels, S. I.

---

496. — S. CONGR. DE SACRAMENTIS

INSTRUCTIO ET RESPONSUM 6 MARTII 1911

De statu libero (A. A. S. 15 mart. 1911, 3, 102.)

A. *Instructio.*

Indicato abusu, cum querelis Ordinariorum,

Perlatum haud semel est ad hanc S. Congregationem de disciplina Sacramentorum, in quibusdam regionibus parochos matrimoniis assistere, praesertim advenarum, non comprobato rite ac legitime statu libero contrahentium, eiusque rei causa non defuisse qui alteras nuptias attentare sint ausi.

Haud pauci praeterea Ordinarii conquesti sunt, initorum notitiam conubiorum, quae vi decreti : *Ne Temere,* editi a S. C. Concilii die II mensis augustii anno MDCCCCVII, transmittenda est ad parochum baptismi coniugum, saepe omni fidei testimonio esse destitutam debitisque indiciis carere.

Quaedam praecipiuntur

Ad haec incommoda removenda Emi Patres huius S. Congregationis in generali conventu habito in aedibus Vaticanis die VII mensis februarii MDCCCCXI, praescribenda censuerunt ea quae sequuntur :

1. Cautelae de statu libero et baptismo cognoscendo.

I. In memoriam redigatur parochorum haud licere ipsis adesse matrimonio, *nisi constito sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis :* (Cfr. Decr. *Ne temere,* n. V, § 2) ; iidemque praesertim moneantur ne omittant baptismi testimonium a contrahentibus exigere, si hic alia in paroecia fuerit illis collatus.

2. Forma denuntiandi celebratum matrimonium.

II. Ut autem quae n. IX, § 2 memorati Decreti praescripta sunt rite serventur, celebrati matrimonii denuntiatio, ad baptismi parochum transmittenda, coniugum eorumque parentum nomina et agnomina descripta secum ferat, aetatem contrahentium, locum diemque nuptiarum, testium qui interfuerunt nomina et agnomina, habeatque parochi subscriptum nomen cum adiecto parochiali sigillo. Inscriptio autem accurate indicet paroeciam, dioecesim, oppidum seu locum baptismi coniugum, et ea quae ad scripta per publicos portitores tuto transmittenda pertinent.

III. Si forte accidat ut, adhibitis etiam cautelis de quibus n. I, baptismi parochus, in recipienda denuntiatione matrimonii comperiat alterutrum contrahentium aliis nuptiis iam esse alligatum, rem quantocius significabit parocho attentati matrimonii.

IV. Ordinarii sedulo advigilent ut haec praescripta religiose serventur. et transgressores, si quos invenerint, curent ad officium revocare, adhibitis etiam, ubi sit opus, canonicis poenis.

Ex aedibus eiusdem S. C. die 6 martii 1911.

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*
Ph. Giustini, Secretarius.

3. Signif catio facie da parocho coram quo matrimo- nium atten tatum est.

4. De off cio Ordina riorum.

Dies (6 mart. 1911

B. **Venetiarum.** *Responsum.*

Orator

Emus Patriarcha Venetiarum S. C. de disciplina Sacramentorum sequens proposuit

Dubium.

Dubium

An et quibus in casibus quibusque sub condicionibus admitti valeat tamquam sufficiens probatio initi matrimonii simplex affirmatio eorum qui ex America aliisve dissitis regionibus adveniunt, quotiescumque documentum vel alia legitima probatio celebrationis matrimonii aut omnino haberi nequeat, aut nonnisi admodum difficulter et post longum tempus, cum interea rerum adiuncta moram inquisitionis non patiantur.

De statu libero qui affirmetur

Cui dubio Emi ac Revmi Patres in plenariis Comitiis habitis die 17 februarii 1911, re mature perpensa, respondendum censuerunt:

Respon sum.

In primis curandum diligentissime est, ut factum contracti matrimonii legitimis probationibus ostendatur; quae probationes licet studiose quaesitae, si haberi nequeant, deferatur partibus iuramentum, quo propriam assertionem confirment: hoc praestito, partes habeantur tamquam legitimo matrimonio coniunctae, earumque proles ut legitima. Excipiendi tamen sunt casus, in quibus ius plenam probationem requirit, ex. gr. si agatur de praeiudicio alterius matrimonii vel de ordinibus suscipiendis.

Quinam iungi possint.

Matrimonium autem per iuramentum ut supra confirmatum inscribatur non quidem in communi matrimoniorum libro, sed in distincto libello ad hoc destinato.

Quomode matrimo- nium inscr bendum sit

Ex aedibus eiusdem S. C. die 6 martii 1911.

Dies (6 mart. 1911

D. Card. FERRATA, *Praefectus.*
Ph. Giustini, Secretarius.

ANNOTATIONES

1. Decreto et responso isto S. Congregatio generali difficultati prospicere conatur et expeditam de casu speciali regulam tradit.

2. Atque in primis, improbata plurium neglegentia, urgetur vetitum parocho factum assistendi matrimonio, nisi de statu libero legitime sibi constet. *Legitime* per se idem significat quod: secundum praescripta iuris, quae sane non levia sunt cum specialem de statu libero inquisitionem postulent [1]. Sed

[1] Formam istam explicant vel GASPARRI, *De matrimonio*, I, 126-148; vel BESSON, NOUVELLE REVUE THÉOLOGIQUE, 1911, p. 263.

fere ubique mitior usus invaluit, qui, donec S. Sedes rem ordinaverit, *prudenter* servari posse videtur. Prudenter, id est ita ut parochus moralem de statu libero certitudinem sibi comparet.

Fides baptismi exigenda praeterea est a contrahentibus qui in alia paroecia baptizati sint.

3. Deinde, cum ex art. 9, 2, decreti *Ne temere*, notitia matrimonii ad parochum baptismi transmittenda sit, accuratius statuitur quid isti parocho sit nuntiandum. Et qui notitiam mittit monetur ut litteras suas inscribat ita ut tuto perveniant.

Patet a parocho baptismi notanda esse in libro baptismorum varia ista de quibus certior fieri iubetur. Suadetque Besson (Nouv. Revue théol. 1911, p. 274) ut a parocho matrimonii indicentur etiam omnia, v. gr. dies baptismi, quae ipsam inscriptionem in tabulis baptismalibus faciliorem efficiant.

4. Fieri potest ut, etiam adhibitis cautelis, parochus a sponsis quos iunxerit deceptus sit. Id, si parochus baptismi deprehenderit, collegae suo statim significare iubetur.

Hactenus de decreto.

5. Declaratio dubium solvit quod in ipsa America atque, propter eos qui ex America vel aliis dissitis regionibus adveniunt, etiam in nostris partibus facile moveri potest. Possuntne duo qui legitimo matrimonio se coniunctos affirmant pro legitimis coniugibus haberi ?

S. Congregatio temperatam hanc normam sequendam tradit. a) Legitimae probationes in primis quaerendae sunt, idque studiose ; b) His deficientibus, si specialis causa plenam probationem postulet, affirmatio sufficere nequit. Quare affirmatio, etiam iurata, non sufficit ut pro coniugibus habeas qui altero matrimonio probabiliter tenentur, vel sine dispensatione prolem, tamquam legitimam, ad ordines sacros promoveas. c) Seclusis autem his casibus, partibus iuramentum de suo statu libero deferatur ; quo praestito, « habeantur tamquam legitimo matrimonio coniunctae earumque proles ut legitima ».

Longe autem difficilior casus est eorum qui, affirmato statu libero, nuptias vel ordines sacros appetant. Diligentissime profecto probationes exquirendae sunt ab iis qui diu et longe aluerunt. Si autem probationis habendae copia desit, simili modo quo S. Congregatio de probando matrimonio respondit, de probando statu libero respondendum esse nobis videtur. Id est, contra probabile prioris matrimonii ius, affirmatio etiam iurata sufficere nequaquam potest. Nec huiusmodi affirmatione fretus quempiam ad ordines sacros admittes. Cum enim a coniugato viro ordines *valide* suscipiantur, in nimium ingentis et irreparabilis damni periculum incurris si quempiam ordi-

nes qui se liberum morali certitudine non demonstret. Poterunt tunc iuramento semi-plenae probationes mere perfici. Si autem positiva ratio contraria non obstet, iurata status liberi affirmatio, ubi nihil melius habeatur, ab Ordinario admitti poterit. In Italia tamen, ni fallimur, erit pro ipsa facultate excipiendi iuramenti, ad S. Sedem recurrendum.

497. — S. CONGR. CONSISTORALIS

RESPONSIO 24 MART. 1911

De studiis ante ordinationem peragentis, de abiuratione modernismi (A. A. S. 15 maii 1911, 3, 181.)

Dubia

Propositis dubiis quae sequuntur, scilicet : 1.° utrum ad effectum sacrae ordinationis, studiorum anni expleti dici possint ad festum Pentecostes seu SS^mae Trinitatis ; 2.° utrum iuramentum praestandum ante susceptionem ss. ordinum, a Motu proprio « Sacrorum Antistitum » 1 septembris 1910 praescriptum, emittendum sit ante singulos ss. ordines, vel solummodo onte s. subdiaconatum : haec S. Congregatio, die 24 martii 1911, respondit :

Dies (24 mart. 1911

Ad 1^um *Negative ;* sed requiri ut expleatur cursus scholasticus novem mensium cum examine finali feliciter emenso.

De studi

Ad 2^um Sufficere ut praestetur ante ineundum sacrum subdiaconatus ordinem, salvo Ordinarii iure illud denuo exigendi ante collationem singulorum ss. ordinum, si ex qualibet causa necessarium vel utile ducat.

De abiur tione mode nismi.

C. Card. De Lai, *Secretarius.*
Scipio Tecchi, *Adsessor.*

Annotationes

1. Responsum de studiis declarationem continet secundum quam interpretari debemus ordinationes si quae sive a seminaristis saecularibus, sive etiam ab alumnis religiosorum Institutorum minimum postulaverint spatium studiorum ad ordines sacros legitime suscipiendos. Quamvis enim S. Congregatio Consistorialis sola seminaria sibi obnoxia habeat, auctoritas istius Congregationis, cui S. Pontifex praeest, non sinit nos in ordinationibus religiosorum ab eius interpretatione, ceterum plana, recedere. Praeterea concordat decretum *In articulo* S. Congr. Religiosorum, 7 sept. 1909 [1]. Etenim, cum a Religiosis sodalibus tres theologiae annos ante sacerdotalem ordinationem postularet ita tamen ut sacerdotium inceptis tertii anni vacationibus suscipi permitteretur, elapsos voluit triginta tres menses integros ab initis studiis.

[1] Periodica, t. 5, n. **342**, p. 44.

Sic autem annum studiorum novem mensibus constare satis manifestavit. Demendo enim a 33 mensibus, 24 menses duobus prioribus annis assignandos, 9 menses tertio anno addicendi supersunt. Finale porro periculum responsione ad VIII decreti *In articulo* clare requiritur.

2. Responsio ad dubium de modernismi abiuratione data est in audientia Sanctissimi, sicut demonstrant sequentes litterae E^mi^. Secretarii Congregationis Consistorialis quae nobis a Rectore Seminarii cui missae sunt benigne communicatae sunt.

Roma, die 19 aprilis 1911

R^me^ Domine,

Dies (19 apr. 1911). Litterae Tuae de statu istius Seminarii Americani referentes, argumentum praebuerunt S. huic Congregationi de assidua opera et studio, quae tam laudabiliter confers ut pium institutum, quod una colligit spem tot dioecesium, in dies floreat pietate, disciplina, studiis.

Dum vero Tecum hac de re gratulor, simul cohortor ad ulterius animose pergendum ea via quam inivisti, ut quo maior urget temporum necessitas eo fiat alacrior clericorum concreditorum cura et perfectior institutio.

. . . . . .

De studiis. De studiorum ratione S. Congregationis mens est ut, usque dum induci nequeat norma quam S. Congregatio de Propaganda Fide decrevit anno 1906 (quaeque in votis est ut primum exsecutioni mandetur), interim firmum omnino sit quinquennium studiorum; et nonnisi eo integro expleto, et examinibus superatis, ordinatio ad presbyteratum fiat. Ab huiusmodi autem norma eximi quis non poterit, nisi S. Congregationis Consistorialis accedat dispensatio.

De iuramento contra modernismum Resp. ex aud. SS^mi^. De iuramento vero, utrum praestandum sit ante singulos ordines suscipiendos, vel non: SS^mus^ Dominus Noster, in audientia 24 p. e. martii, declarare dignatus est, « sufficere ut praestetur ante ineundum S. Subdiaconatus ordinem, salvo Ordinarii iure illud denuo exigendi ante collationem aliorum SS. Ordinum, si ex qualibet causa necessarium vel utile ducat. »

Clausula. Haec significare Tibi debui S. Congregationis nomine: interea impenso animi obsequio me profiteor

Tui Stud.

C. Card. De Lai, *Secret.*

Quinquennium autem studiorum in dicto seminario complectitur primum annum qui totus philosophiae, secundum qui partim philosophiae partim theologiae, tres posteriores annos qui soli theologiae deputantur, ita ut seminaristae isti ultra tres annos theologiae incumbere debeant antequam sacerdotio augeri possint.

3. Responso autem quo abiuratio modernismi ante singulos maiores ordines repetenda esse negatur, confirmatur interpretatio quam dedimus Periodica, t. 5, n. **444**, p. 210.

Denique, cum, ex resp. 17 dec. 1910 [1], abiuratio ante ss. ordines in manibus episcopi etiam a regularibus facienda sit, episcopus etiam erga regulares facultate uti potest novam ante singulos ordines sacros abiurationem exigendi. Causa enim ista quae, cum fidem attingat, iam natura sua ad episcopum, qua inquisitorem natum, pertinet, ipsi per hanc responsionem quod ad omnes ordinandos satis commissa videtur.

498. — S. CONGR. S. OFFICII

DECRETUM 31 MART. 1911

De matrimoniis eorum qui in Ecclesia cath. baptizati extra eam adoleverunt. (A. A. S. 29 april. 1911, 3, 163.)

Causa forma **dubii.**

Cum decreti « *Ne temere* » per Sacram Congregationem Concilii die 2 augusti 1907 editi articulo XI § 1 expresse edicatur novis circa formam sponsalium et matrimonii statutis legibus *teneri omnes in Catholica Ecclesia baptizatos et ad eam ex haeresi aut schismate conversos (licet sive hi sive illi ab eadem postea defecerint) quotiens inter se sponsalia vel matrimonium ineant;* quaesitum est: Quid dicendum de matrimoniis eorum qui a genitoribus acatholicis vel infidelibus nati, sed in Ecclesia Catholica baptizati, postea, ab infantili aetate, in haeresi seu infidelitate vel sine ulla religione adoleverunt, quotiens cum parte acatholica vel infideli contraxerint?

Resp sum

Re in plenario conventu Supremae Sacrae Congregationis Sancti Officii habito feria IV die 15 labentis mensis mature perpensa, E^mi ac R^mi DD. Cardinales Inquisitores Generales respondendum decreverunt: *Recurrendum esse in singulis casibus.*

Appro tio pont cia.

Die vero sequenti, SS^mus D. N. D. Pius divina providentia PP. X, in solita audientia R. P. D. Assessori huius eiusdem Supremae Sacrae Congregationis impertita, relatam Sibi E^morum Patrum resolutionem approbare et confirmare dignatus est,

Dies mart. 1

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 31 martii 1911.

Aloisius Castellano, S. R. et U. I. Notarius.

Annotatio

Praesens dubium aliquo pacto attigimus in nostris commentariis decreti *Ne temere,* 2 aug. 1907, n. **87**, ubi, sicut privatum interpretem decet, secundum litteralem veritatem art. XI, § 1, decreti *Ne temere,* pro catholicis habendos esse diximus quotquot *ex baptismo* catholici essent. Dubitavimus tantum de filio liberi cogitatoris qui, invitis vel nesciis parentibus, ab ancilla baptizetur.

[1] PERIODICA, t. 6, n. **469**, p. 271.

Hic, generaliori dubii propositioni S. Officium noluit generale responsum dare. Magna enim adiunctorum varietas, in quibus etiam impedimentum disparitatis cultus interdum observandum est, suadet ut potius singuli casus S. Sedi definiendi tradantur. Quae vis est traditi responsi.

---

499. — S. CONGREGATIO RITUUM

DECRETUM 3 MAII 1911

De repositione et translatione festorum in ecclesiis particularibus

Decreti pars et pars.

Quo facilius in ecclesiis particularibus Officiorum repositiones et translationes peragi valeant, Sacra Rituum Congregatio, enixis precibus tum a Revmis locorum Ordinariis tum a Superioribus Ordinum seu Congregationum Religiosarum sibi porrectis obsecundans, audito etiam Commissionis Liturgicae suffragio, statuit ac decrevit, ut, ad tramitem resolutionis num. 3919 *Ordinis Minorum Cappuccinorum S. Francisci*, diei 27 iunii 1886, ad XVI, tam Kalendarium perpetuum quam Kalendarium annuale cuiusque ecclesiae particularis respective redigatur super Kalendario Dioecesis, vel Ordinis aut Congregationis ; ac proinde, sicuti Officia quae in propria ecclesia vel oratorio quotannis impedita sunt, fixe assignari debent diei primae liberae in Kalendario perpetuo, ita Officia accidentaliter transferenda in posterum celebranda erunt die quae prima libera reperitur in Kalendario annuali, nulla habita ratione Officiorum quae iam translata fuerunt, licet minoris nobilitatis : servatis de cetero Rubricis et Decretis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Ex officii quotannis impediti translatio ad officium accidentaliter impeditum.

Die 3 maii 1911.

Dies (3 maii 1911).

Fr. Sebastianus, Card. Martinelli, *S. R. C. Praefectus.*
† *Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secretarius.*

Annotationes

Celebratio festorum particularium saepe causa est cur in nonnullis ecclesiis vel domibus religiosis, quaedam officia in proprio die recitari non possint, sed in alium transferri debeant ; difficultas autem oritur si eodem tempore in tota dioecesi, vel in toto ordine, alia etiam officia sint transferenda. Quaestio nempe tunc poni potest, num haec officia particularia transferenda sint *simul* cum officiis dioeceseos vel religionis, vel contra officia dioeceseos vel ordinis *primo* sint transferenda, et *postea* officia particularia ponenda *in diebus qui in calendario dioeceseos vel ordinis liberi permanserunt.* Si agitur de festis *perpetuo* impeditis et transferendis, rem solvit S. Congregatio decr. 3919 ad XVI, « Calendarium cuiuscumque provinciae redigatur super calendario perpetuo ordinis ; calen-

darium vero cuiuscumque coenobii super calendario respectivae provinciae. » Proinde festa in particulari ecclesia transferenda, assignanda sunt diebus *qui in calendario dioeceseos vel ordinis liberi permanserunt.*

Porro S. Congregatio idem principium nunc extendit ad officia *per accidens* translata. In posterum ergo, etiam in confectione calendarii annualis, primo redigi debet calendarium dioeceseos vel ordinis ; dein officia in ecclesiis particularibus transferenda, secundum regulas generales translationum, reponi debent *in diebus qui in praedicto calendario dioeceseos vel ordinis liberi manent.*

Duplex inde enascitur commodum : et primo maior facilitas et simplicitas in redigendo calendario, et secundo maior uniformitas in officio diversarum ecclesiarum. Quamquam adhuc fieri potest ut aliquod festum in quadam ecclesia particulari in alia die reponi debeat atque in reliqua dioecesi vel provincia, ut si v. g. dies in quo reponi debet officium, in quadam ecclesia particulari iam sit occupatus vel festo proprio, vel officio in hac ecclesia *in perpetuum* translato, *et in calendario perpetuo huius ecclesiae huic diei affixo.*

Ios. Pauwels, S. I.

DECRETA SUMMATIM RELATA

500. — *SS. D. N. PII PP X*

A. *Archisodalicium Labacense universale fit.* (A. A. S. 15 febr. 1911, 3, 54 ; et 15 mart. 1911, 3, 93.)

Argumentum litterarum.

Litteris in forma brevis, 11 mart. 1910, S. Pontifex archisodalicio a perpetua adoratione, quod in abbatia Labacensi (Austriae Hungariae) ab anno 1877 erectum est, concedit ut ubique terrarum canonice erecta sodalicia sibi aggregare, suisque indulgentiis ditare possit.

B. *Ecclesia parochialis loci « Neuvy-Saint-Sépulchre », basilica minor renuntiatur.* (A. A. S. 15 febr. 1911, 3, 56.)

Concessionis ratio et vis.

Lttteris in forma brevis 20 dec. 1910, S. Pontifex, celebrata antiquitate et gloria templi « Neuvy-Saint-Sépulchre », in archidioecesi Bituricensi (Bourges), ei titulum ac privilegia Basilicae minoris confert.

C. *Reprobatur scriptum principis sacerdotis Max a Saxonia de revocandis ecclesiis ad catholicam unitatem.* (A. A. S. 31 mart. 1911, 3, 117.)

Litterarum argumentum.

Litteris **Ex quo,** die 26 dec. 1910 missis ad Archiepiscopos Delegatos Apostolicos Byzantii, in Graecia, in Aegypto, in Mesopotamia, in Persia, in Syria et in Indiis Orientalibus, S. Pontifex gravissimis verbis reprehendit et corrigit scriptum *Pensées sur la question de l'union des Églises*, quod in recens condito diario *Roma e l'Oriente* vulgatum est. Simul tamen perfectam auctoris oboedientiam et bonam fidem agnoscit.

D. *Concessio indulgentiae facta ecclesiis et sacellis Fratrum Minorum in Saxonia.* (A. A. S. 15 febr. 1911, 3, 57.)

Concessio pontificia ad erigenda oratoria extenditur.

Litteris in forma brevis, 11 ian. 1911, S. Pontifex concedit ut in erectis et etiam erigendis ecclesiis et sacellis provinciae regularis S. Crucis, Fratrum Minorum in Saxonia, in festo inventionis et exaltationis S. Crucis indulgentia plenaria, defunctis applicabilis, quotannis a fidelibus acquiri possit.

E. *Relaxatio legis abstinentiae pro Scotiae fidelibus.* (A. A. S. 15 feb. 1911, 3, 58.)

Relaxationis causa et argumentum.

Cum catholici Scotiae maxima ex parte operarii sint, S. Pontifex, litteris in forma brevis, 27 ian. 1911, omnibus istius regni fidelibus concedit ut, excepta Quadragesima, in sabbatis Quattuor Temporum, et in vigiliis quae alium abstinentiae diem immediate praecedunt vel sequuntur, carnibus vesci licite possint, ita ut, extra Quadragesimam, numquam duos continuos abstinentiae dies servandos habeant.

F. *Sulpicianae sodalitatis propositus precum finis extenditur.* (A. A. S. 15 febr. 1911, 3, 59.)

Pius finis ultra Britanniam extenditur.

Litteris in forma brevis, 2 febr. 1911, S. Pontifex statuit ut sodalicium princeps precum et piorum operum quod, sub patrocinio B. M. V. perdolentis, Parisiis ad S. Sulpicii institutum est ut reditum Britanniae ad veram fidem impetraret, pio suo fine omnes populos linguae anglicae complecteretur.

G. *Erectio Vicariatus Apostolici Erythraei.* (A. A. S. 15 mart. 1911, 3, 94.)

Causa et summa decreti.

Litteris in forma brevis, 7 febr. 1911, considerata territorii amplitudine, institutionum ac sacerdotum (plus quam 50) frequentia, numero etiam catholicorum (ultra 16000), S. Pontifex praefecturam apostolicam Erythraeam, Patribus Capuccinis concreditam, in Vicariatum Apostolicum erigit.

H. *Nova missarum votivarum concessio facta Basilicae S. Mariae Angelorum, in Portiuncula.* (A. A. S. 15 mart. 1911, 3, 95.)

Conceduntur missae votivae S. Clarae, et ad aram maximam, S. Francisci, S. Clarae et B. M. Virginis.

Memoratis piis recordationibus S. Clarae in basilica S. Mariae in Portiuncula, S. Pontifex, litteris in forma brevis, 9 febr. 1911, concedit ut pari ratione qua missa S. Francisci, missa votiva S. Clarae in sacello Portiunculae celebrari possit. Indulget praeterea ut ad aram maximam quae arae pontificiae cohaeret sacerdotes peregrinantes seu peregrinantium duces missam votivam S. Francisci, S. Clarae, atque etiam Virginis Deiparae eadem ratione celebrare possint. Immo si missa decantetur, privilegium omnibus sacerdotibus, etiam non peregrinis, prodesse voluit.

I. *Tres sacerdotes Angliae nominatim excommunicantur.* (A. A. S. 15 feb. 1911, 3, 53.)

Delictum

Duo sacerdotes e clero Nottinghamensi obtentam ab acatholicis episcopalem consecrationem S. Pontifici arroganter nuntiarunt. Princeps auctor autem huius facinoris renuntiavit se praeterea archiepiscopum anglocatholicum Londinensem. Pontifex, reprobata ista consecratione, litteris in forma brevis, 11 feb. 1911, ad Anglos catholicos directis, sacerdotes Arnoldum Harris Mathew, Herbertum Ignatium Beale et Arthurum Guilelmum Howarth, ceterosque omnes qui nefario huic crimini operam, consilium, consensum praebuerunt his verbis excommunicat : « Auctoritate Omnipotentis Dei, excommunicamus, anathematizamus, atque ab Ecclesiae communione segregatos ac prorsus schismaticos habendos et a catholicis universis et praesertim a vobis vitandos esse praecipimus et sollemniter declaramus. »

Censura

Annotatio

Quamvis verba Pontificis videantur, praeter tres sacerdotes nominatim designatos, etiam complices inter *vitandos* ponere, mens tamen ipsius satis manifesta sinit ut secundum praesentem et diu iam firmatam disciplinam, illos solos pro vitandis habeamus qui nominatim designati sunt. In alios sola cadit excommunicatio.

K. *Basilicae minoris titulus confertur templo « del Pilastrello » Adriensis diocesis.* (A. A. S. 31 mart. 1911, 3, 122.)

Argumentum litterarum.

Litteris in forma brevis, 15 febr. 1911, S. Pontifex titulum et privilegia Basilicae Minoris confert templo B. M. V. vulgo « del Pilastrello » prope Lendinaram, Adriensis dioecesis.

L. *Mexicopolitana confraternitas in archiconfraternitatem erigitur.* (A. A. S. 31 mart. 1911, 3, 123.)

Litterarum dies, argumentum.

Litteris in forma brevis, 20 febr. 1911, S. Pontifex, instante Moderatore Provinciali Missionariorum qui Filii Immac. Cordis B. M. V. nuncupantur, Mexicopoli canonice erectam, anno 1893, confraternitatem *e divina Providentia*, in archiconfraternitatem erigit, facta potestate aggregandi alias in dicione Mexicana.

M. *Partialis indulgentia perpetua pro socüs archisodalicii ab infante Iesu, ubique terrarum* (A. A. S. 31 mart. 1911, 3, 124.)

Oratio quae indulgentia munitur.

Litteris in forma brevis, 25 febr. 1911, S. Pontifex 300 dierum indulgentiam sodalibus archisodalicii ab infante Iesu Bethlemi instituti concedit quotiescumque oraverint : *Dulcissime Puer Iesu miserere nobis.*

N. *Erectio novorum Vicariatuum Apostolicorum Carolinensis et Marianensis, atque insulae Guani.* (A. A. S. 31 mart. 1911, 3, 125, 127.)

Bini novi Vicariatus eriguntur.

Binis litteris in forma brevis, 1 martii 1911, S. Pontifex, suppressa utraque Praefectura Apostolica Insularum Marianarum et Carolinarum, Apostolicum Vicariatum erigit quem Marianensem et Carolinensem appellat et Patribus Capulatis committit ; deinde insulam Guani, quae sola ex Marianis dicionis est Americanae, in separatum Vicariatum Apostolicum, Patribus Capulatis concreditum, erigit.

O. *Indulgentiae pro sodalicio iuventutis Antonianae, ubique terrarum.* (A. A. S. 31 mart. 1911, 3, 128.)

Litterarum argumentum.

Sodalicium ad fovendos christianos mores utriusque sexus iuventutis, cuius centrum est in Franciscali Collegio S. Antonii de Urbe constitutum, S. Pontifex, litteris in forma brevis, 10 mart. 1911, indulgentiis plenariis et partialibus ditat.

P. *Paredensis Archisodalitas ab « Hora Sancta » fit universalis.* (A. A. S. 29 april. 1911, 3, 157.)

Argumentum litterarum.

Litteris in forma brevis, 27 mart. 1911, S. Pontifex archisodalicio ab *Hora Sancta*, quod Paredi (Paray-le-Monial) in sacello Monialium a Visitatione, dioecesis Augustodunensis, canonice erectum est et a Leone XIII, anno 1886, in archisodalicium erectum, facultatem tribuit aggregandi sibi similia sodalicia universi Orbis.

Q. *Erectio ecclesiae Argentinae S. Dominici, in basilicam minorem.* (A. A. S. 15 maii 1911, 3, 177.)

Argumentum litterarum.

Litteris in forma brevis, 3 april. 1911, S. Pontifex illustrem ecclesiam Cordubae, in Argentina re publica, sub titulo S. Dominici ineunte saec. XVI exstructam, honore basilicae minoris amplificat.

R. *Ecclesia abbatiae de Pontida in basilicam minorem erigitur.* (A. A. S. 29 april. 1911, 3, 158.)

Argumentum litterarum.

Litteris in forma brevis, 5 april. 1911, S. Pontifex ecclesiam antiquae (1076) abbatiae benedictinae de Pontida, Bergomensis dioecesis, in Basilicam minorem erexit.

S. *Sodalitas S. Barbarae loci Plaimpied in Gallia, in archiconfraternitatem erigitur.* (A. A. S. 15 maii 1911, 3, 177.)

Argumentum litterarum.

Litteris in forma brevis, 11 april. 1911, S. Pontifex sodalicium, ad avertendam improvisam mortem sub patrocinio S. Barbarae in loco Plaimpied, dioeceses Bituricensis, canonice anno 1905 erectam, archiconfraternitatis titulo ac iuribus pro omni Gallia decorat.

T. *Extensio C. « Romanos Pontifices » ad Canadenses regiones.* (A. A. S. 15 maii 1911, 3, 183.)

Ex aud. SSi facta extensio.

Decreto 14 martii 1911, S. Congr. Concilii, promulgavit actum S. Pontificis, in aud. 14 mart. quo is, postulante concilio Quebecensi I, anni 1909, Cem *Romanos Pontifices*, 15 maii 1881 pro Anglia et Scotia latam, « de Apostolicae potestatis plenitudine, ad universas Canadensis dominii provincias extendit ».

501 — *S. CONGR. CONCILII*

A. *De Bulla Cruciatae, quod ad pauperes.* (Nouv. Revue théologique, 1911, p. 362.)

Quaestionis *occasio.*

Accepto responso 22 ian. 1910, quod in Periodica, t. 5, n. **398,** p. 133 exscripsimus, et pauperes ad fruendum indulto quadragesimali, minime autem ad reliqua Bullae cruciatae privilegia participanda a largiendae eleemosynae condicione immunes dicebat, quaesitum praeterea est de necessitate accipiendi, erogata eleemosyna, Summarium Bullae ut iidem pauperes possent indulto ibidem expresso frui quo « tam quadragesimalibus quam ceteris anni diebus ovis et lacticiniis uti et vesci libere et licite valeant. » Porro die 28 iunii 1910, in aud. Cardinali Praefecto S. C. Conc. concessa, S. Pontifex declaravit : « Pauperes in Hispania, non soluta eleemosyna pro Bulla Cruciatae assignata, posse frui indulto quod ad ova et lacticinia, quod in memorata Bulla continetur ; et hanc declarationem ab hanc S. Congregatione edi mandavit. »

Declaratio.

Iussio edendi.

Decretum prodiit 4 iul. 1910.

Dies (4 iul. 1910).

B. *Dispensatio a lege promiscuos cibos vetante pro Chilena re publica.* (A. A. S. 15 maii 1911, 3, 184.)

Occasio petitionis.

Cum litteris et decreto 1 ian. 1910, S. Pontifex Ordinariis Americae Meridionalis, in locum Bullae Cruciatae indultum decennale dedisset ad relaxandam in pluribus ieiunii et abstinentiae diebus, *simul* ieiunium et abstinentiam, dubitatum est num iis diebus vetitum miscendi carnes et pisces maneret. Opinionem benignam Episcopi Chileni non satis tutam existimarunt, sed obligationem nimis gravem iudicantes, novam ab ista lege dispensationem petierunt. Sacra autem Concilii Congregatio, die 17 dec. 1910 pro gratia respondit ; idque SSus 26 dec. 1910 confirmavit.

Gratia. Dies.

ANNOTATIO

Allegatum indultum PERIODICA, t. 6, n. **401**, p. 134 summatim refertur. Sacra Congregatio, gratiam concedendo, sententiae severiori episcoporum Chilenorum calculum aliquo modo adicere visa est. Nec immerito. Dies enim quibus ieiunium et abstinentia mere *dispensantur*, manent *per se* legi ieiunii obnoxii. Lex autem tria complectitur : unicam refectionem plenam, abstinentiam, vetitam ciborum promiscuitatem, iis etiam servandam qui ex dispensatione carnibus uti permittuntur. Suppressa autem duplici priore obligatione, cur reipsa tertia caderet ; cur quod iis qui particularem dispensationem habent negatur, iis qui generali indulto fruuntur concederetur, nos omnino fugit. Atque in dominicis quadragesimae diebus, quibus nec ieiunare nec carnibus abstinere debemus, mixtis tamen epulis uti non licet. Quocirca novam gratiam opportunam ac necessariam fuisse arbitramur.

C. *Sententia in causa Regien. Iurium.* (A. A. S. 15 maii 1911, 3, 186-195.)

Dies. Die 17 dec. 1910, in causa Regien. Iurium, inter capitulum ecclesiae collegiatae S. Prosperi eiusque Priore, ubi capitulum contra Priorem agebat *Causa.* de alienata canonicatus dote et locata priorali domo, Prior autem contra *Sententia.* capitulum de nominato novo canonico, S. Congregatio, in plenariis comitiis : 1. Negavit dotem legitime alienatam esse et canonicatum cuius erat praebenda exstinctum esse ; 2. De modo consulendi casui in posterum, mentem suam aperuit ; 3. Ad cautelam sanavit novi canonici electionem ; 4. Et, attentis expositis, negavit locationem prioralis domus approbari posse.

502. — *S. CONGR. CONSISTORIALIS*

A. *Fines dioecesium mutantur.* (A. A. S. 15 febr. 1911, 3, 64.)

Decreti summa. A. Decreto S. C. Consistorialis, 22 dec. 1910, parvae quaedam immutationes factae sunt in dioecesis Friburgensis et finitimarum finibus, atque in finibus dioecesium Passaviensis et Ratisbonensis.

B. *Generalis extensio decreti de secreto servando in designandis episcopis.* (A. A. S. 15 maii 1911, 3, 182.)

Decreti occasio et tenor. Declaratione 28 april. 1911, S. Congr. Consistorialis decretum suum 2 iul. 1910 *de secreto servando in designandis ad sedes episcopales*, quod, postulantibus non nullis episcopis et probante S. Pontifice, die 30 mart. 1910, ad omnes regiones extensum est ubi similis atque in Americae Septemtrionalis foederatis Statibus servatur forma designandi episcopos, valere decrevit pro omnibus dioecesibus quae simili forma utuntur, etiam pro iis quarum antistites dictam extensionem non postulaverint. Superiora acta summatim relata sunt PERIODICA t. 5, n. **397**, c. p. 132, et **449**, A, p. 234.

503. — *S. CONGR. INDICIS*

Proscripta opera decreto 8-9 maii 1911. (A. A. S. 15 maii 1911, 3, 200.)

Opera damnata.

Gabriële d'Annunzio. *Omnes fabulae amatoriae* (Romanzi e Novelle.)
— *Omnia opera dramatica.*
— *Prose scelte. Milano.*
P. A. S. *Catechismo di Storia sacra. Cremona, 1910.*
Antonio Fogazzaro, *Leila, Romanzo. Milano, 1911.*
Ioannes Konrad Zenner. *Die Psalmen nach dem Urtext Ergänzt und herausgegeben von Hermann Wiesmann. I Teil. Uebersetzung und Erklärung. Münster, 1906.*
Malachia Ormanian. L'Église Arménienne : son histoire, sa doctrine, son régime, sa discipline, sa liturgie, son présent. Paris, 1910.

Laudabilis oboedientia.

Simul nuntiatur laudabilis acceptatio decreti 2 ian, 1911, facta a I. Turmel, P. Batiffol et ignoto scriptore operis : *La vraie science des Écritures.* (Cfr. Periodica, t. 5, n, **476**, p. 292.)

504. — *S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE*

A. *Erectio novae praefecturae apostolicae Transvallensis septemtrionalis.* (A. A. S. 15 febr. 1911, 3, 66.)

Tenor decreti.

Decreto Prop. Fidei 22 dec. 1910, post aud. SS^{i} 20 dec. 1910, praefectura apostolica *Transvallensis septemtrionalis,* ex seiunctis districtibus de Zoutpansberg et Waterberg, constituitur et Patribus benedictinis congregationis Cassinensis committitur.

B. *Translatio missionis de Linzolo ad Vicariatum de Ubanghi in Africa.* (A. A. S. 15 mart. 1911, 3, 104.)

Causa ac tenor decreti.

Propter geographicas rationes, missio de Linzolo a Vicariatu Congi Gallici Inferioris seu de Loango ad Vicariatum Congi Gallici Superioris, seu de Ubanghi transfertur, ita ut posthac uterque Vicariatus alter ab altero separetur linea ducta a fontibus fluminis Ogouè secus flumen Loulu influens in Niara, usque ad punctum septemtrionale provinciae Nayanga, in Congo belgico. Id in plenariis comitiis 23 ian. 1911, E^{mi} Patres faciendum censuerunt, et firmavit Pontifex in audientia 7 febr. Decretum emanavit die 14 febr. 1911.

C. *Proferuntur limites praefecturae apostolicae Ubanghi-Chari.* (A. A. S. 15 mart. 1911, 3, 104.)

Decreti tenor.

Decreto 14 febr. 1911, secundum sententiam 23 ian. approbatam in aud. SS^{i} 7 febr. limites praefecturae apostolicae de Ubanghi-Chari versus septemtrionem in territorio Congi gallici usque ad decimum Latitudinis Borealis gradum proferuntur, subducto tractu a Vicariatu Apostolico Africae centralis.

D. *Praefectura Apostolica de Ubanghi belgico erigitur.* (A. A. S. 15 maii 1911, 3,198.)

Dies.

Probata, in aud. SS^{i}. 4 april. 1911, sententia S. Congr. 3 aprilis, decreto

Vicariatus nomen, possores. *Limites.*

7 aprilis praefectura de Ubanghi belgico erigitur ex territorio dempto Vicariatui Congi belgici, et curis fratrum Minorum Capulatorum committitur. Porro limites statuuntur « ad occidentem et septemtrionem flumen Ubanghi inde a gradu 1° 30' latitudinis borealis usque eo quo Boma et Uele flumina confluunt ; ad orientem vero, recta linea quae exinde ducitur ad ostium amnis Itimbiri in flumen Congo, atque producitur usque ad lineam parallelam tangentem meridiidianos limites oppidi Abu Mombazi ; tandem, ad meridiem, haec linea primum, deinde illa quae dividit aquas inter Congo et Ubanghi, posthac ea quae similiter aquas dividit inter Ubanghi et Ugiri, ac demum gradus 1° 30' latitudinis borealis usque ad flumen Ubanghi. »

E. *Innovatur limes Vicariatus Apostolici Congi superioris.* (A. A. S. 15 maii 1911, 3, 199.)

Dies. *Novi limites.*

Probata, in aud. SSi, 4 aprilis 1911, sententia S. Congr. 3 aprilis, decreto 8i aprilis limes qui Vicariatum Apcum Congi superioris dividit a Missionibus utriusque Victoriae Nyangae, de Unianembé, de Tanganika atque Nyassa, sic immutatur : Ad orientem, limes anglo-belgicus et germano-belgicus, h. e. « linea quae ab ora meridionali lacus Alberti-Eduardi ducitur primo ad montem Sabinyo et exinde, per lacum Kiou, cursum sequitur fluminis Rusizi dividitque demum lacum Tanganika. Ad meridiem : limes anglo-belgicus, nempe linea decurrens a lacu Tanganika ad lacum Moero. »

505. — *S. RITUUM CONGREGATIONIS*

Beatificationes et canonizationes. (A. A. S. 15 febr. 1911, 3, 69 ; 29 apr. 1911, 3, 165.)

Causae Catharinae Volpicelli.

Decreto 11 ian. 1911, S. Pontifex commissionem introductionis causae Ven. Servae Dei Catharinae Volpicelli, fundatricis ancillarum a S. Corde Jesu, propria manu signavit.

Causa I. M. de la Mennais.

Decreto 22 mart. 1911, in causa Veneten. (Vannes), S. Pontifex idem perfecit in gratiam S. D. Ioannis Mariae Robert de la Mennais, presbyteri fundatoris Congregationis Fratrum institutionis christianae et Filiarum Providentia.

506. — *S. CONGREGATIONIS RELIGIOSORUM*

Definitiva Instituti approbatio, temporanea Constitutionum. (Anal. Ecca 1911, p. 51.)

Summa decreti.

Decreto 27 nov. 1910, ex sententia S. Congr. Religiosorum 26 aug. 1910, quam 27 aug. S. Pontifex confirmavit, Sorores Missionariae Franciscanae ab Imm. Conc. Deiparae Virginis Mariae, quarum domus princeps exstat Romae, definitivam Instituti, decennalem Constitutionum aprobationem consecutae sunt.

507. — *SACRA ROMANA ROTA*

Nullitas matrimonii

1. Die 23 dec. 1910, S. Romana Rota, in causa Melevitana, Nullitatis matrimonii, inter Rogerium Lapira et Mariam Darmanin, appellatam sen-

DECRETUM S. OFFICII 26 MAII 1911

De indulgentia Portiunculae

Opportunum ducimus cum lectoribus nostris statim communicare summariam relationem de decreto S. Officii, 26 maii 1911, quod prodlit postquam praesens fasciculus scriptus iam erat.

Vi itaque praefati decreti :

1. Prorogantur *sine die*, id est indefinite, omnes concessiones de Portiunculae indulgentia, a S. Sede factae tam pro fidelibus in saeculo viventibus quam pro piis communitatibus, sive indulta iam nunc expiraverint, ita ut hoc anno renovari debuissent, sive adhuc valeant.

2. Ordinarii respectivi possunt largiri indultum Portiunculae 2 augusti, tam pro fidelibus in saeculo commorantibus quam pro piis communitatibus. Facultas Ordinariis etiam sine die facta est.

3. Iidem Ordinarii possunt loco 2ae diei augusti dominicam proxime sequentem lucrandae indulgentiae assignare.

N. B. 1. De sola agitur Portiuncula franciscana seu 2ae augusti. — 2. Ab hora 12 1ae aug. ad mediam noctem 2ae aug. ecclesia vel oratorium utiliter visitari poterit. — 3. *Respectivi* Ordinarii sunt Ordinarii locorum pro fidelibus saecularibus et communitatibus religiosis sibi subiectis ; sunt etiam Abbates seu Provinciales Religiosorum exemptorum pro *suis subditis*. — 4. Membra communitatis, *si propriam ecclesiam habeant*, hanc non autem domesticum oratorium visitare debent. — 5. Pontificia concessio quae in praesenti decreto dicitur *Motu proprio* facta die 11 iunii 1910, in Acta Apostolicae Sedis, t. 2, p. 443, ad 9 iunii ascribitur. Cfr. Periodica nostra, t. 5, n. **421**, p. 157.

tentiam Curiae Melevitanae (9 sept. 1908) confirmans, constare declaravit de nullitate matrimonii, propter publicae honestatis impedimentum, ex sponsalibus Rogerii cum Lucia, germana sorore Mariae. (A. A. S. 15 feb. 1911, 3, 70.) *ob honest. publ.*

2. Die 20-25 ian. 1911, in Massilien. Depositi iudiciarii, inter P. Ioannem Allaria et P. Aemilium Aillaud, S. Romana Rota declaravit standum esse decisis quibus, die 16 iul. 1910, integram controversam summam in capsa tribunalis Rotae actor Allaria deponere iussus erat. (A. A. S. 15 mart. 1911, 3, 107.) *Depositi iudiciarii.*

3. Die 16 febr. 1911, in causa Fesulana, Iurium, inter capitulum ecclesiae collegiatae oppidi Figline, et Arthurum Mazzuchelli collegiatae Praepositum, S. Romana Rota definivit nullam parochialitatem competere capitulo, sed ius tantum, hodie peremptum, ipsi fuisse iuvandi Praepositum in exercenda animarum cura. Ita de primo dubio. Alterum et Tertium secreta manserunt. (A. A. S. 31 mart. 1911, 3, 142.) *Iurium parochialium inter capitulum et Praepositum,*

4. Die 24 febr. 1911, in causa Marsorum, inter sacerdotem Antonium Nitoglia, qui ab episcopo suo praefectus fuerat paroeciae Auriculensi (Oriculo) cui altera pars, sac. Dominicus De Angelis, renuntiare visus erat ad obtinendam alteram parochiam, S. Romana Rota, ex speciali Pontificis commissione, iudicavit nec ius in paroeciam Auriculensem sacerdoti Nitoglia fuisse, nec ipsi, ob mutatum animum sac. De Angelis damna esse sarcienda. Ratio sententiae petitur ex inchoata tantum sed non perfecta beneficii dimissione. (A. A. S. 31 mart. 1911, 3, 146.) *Iurium parochialium*

5. Die 4 martii 1911, in causa Bobien. (Bobbio, in Italia septemtr.) Dismembrationis, inter parochiam loci Alpisplanae et inculas loci Vici superioris (Vico soprano) cuius separatio a parochia loci Alpisplanae reiecta erat a S. C. Concilii, mense ianuario anni 1766, proposito dubio, « An rata habenda sit vel potius revocanda dismenbratio facta per decretum diei 9 nov. 1907, in casu » : S. Rota Romana respondit eam ratam habendam esse, simul reservatis quibusdam iuribus ecclesiae Alpisplenae, et compensatis inter partes expensis. (A. A. S. 15 maii 1911, 3, 202-212.) *Dies. Causa dismembrationis paroeciae. Sententia,*

6. Die 13 mart. 1911, in causa Parisiensi, Nullitatis matrimonii, inter Paulum Berthon et Renatam Robine, appellatione facta a defensore vinculi, S. Romana Rota sententiam Parisiensem 22 nov. 1910 confirmavit, declarando constare de nullitate matrimonii ob vim et metum. (A. A. S. 29 april. 1911, 3, 166.) *Nullitatis matrimonii ob vim et metum.*

7. Citata iam pro priore instantia, in causa Panamen. Nullitatis matrimonii, D^na^ Eva Paniza ignoti domicilii, iterum pro instantia appellationis citatur ad comparendum 1^a^ iulii coram Rotae Tribunali (A. A. S. 15 maii 1911, 3, 212.) *Citatio edictalis.*

508. — *SIGNATURA APOSTOLICA*

1. Decurrente anno 1910, binae causae matrimoniales actae sunt. Id est : Ex commissione SS^mi^ Nicien. Nullitatis matrimonii : die 18 iun. 1911 matrimonium nullitate laborare declaratum est. — Romana, Nullitatis matrimonii 3 dec. 1910, declaratum est : « Ad 1. Ex deductis non effici rotalem sententiam nullitatis vitio laborare. Ad 2. Affirmative (esse locum restitutioni in integrum) quod ad eam tantum partem sententiae quae respicit appositionem condicionis. » *Causae matrimoniales.*

Haec ex cancellaria Signaturae prodierunt die 27 ian. 1911. (A. A. S. 15 febr. 1911, 3, 82.)

Restitutionis in integrum et iurium.

2. Ex commissione Sanctissimi, supremum istud tribunal varias ac diuturnas controversias inter canonicos collegiatae ecclesiae S. Georgii Maioris seu Severianae, et Congregationem Piorum Operariorum, supremo suo iudicio diremit. Causa erat Neapolitana, restitutionis in integrum et iurium ; sententia lata est 23 dec. 1910. (A. A. S. 15 feb. 1911, 3, 79-82.)

Recursus non admissus.

3. Die 3 febr. 1911, in causa Pharen. Iurium et Poenarum, Congressus Emi Praefecti cum Secretario reiecit recursum parochi decani D. Cosimi Scarpa, oppidi Cittavecchia, in Dalmatia, qui a tribunalibus civilibus, a curia Metropolitana suae regionis, atque a S. Rotae Tribunali repulsus iam fuit. (A. A. S. 15 mart. 1911, 3, 110.)

NOTANDA

1. Decreto S. Congr. Religiosorum, S. Pontifex Ordini Fratrum Hospitalarium S. Ioannis de Deo praefecit, tamquam Priorem Generalem, Fr. Benedictum Menni (presbyterum), qui munere Visitatoris Generalis totius Ordinis modo functus erat. Eodem decreto etiam Consiliarii generales nominati sunt.

N. B. S. Sedes iam pluries usa est sua facultate instituendi Generales Ordinum Superiores, multo rarius autem, si umquam, simul ipsa consiliaros designavit. Quod factum esse referimus ex El Archivo, 1911, p. 204.

2. In fasciculo 15 febr. 1911, A. A. S. p. 92 suppleverunt verba quae in quaestione Mohilovien. excidissse suspicabamur, (Cfr. Periodica, t. 5, n. **477,** p. 293.) Itaque A. A. S. t. 3, p. 27, l. 2, post verba « qui dein a Iaponensibus », addenda sunt haec : « nulla habita cura nominum occisorum, turbatim sepeliebantur. »

BIBLIOGRAPHIA

Ascetica

J. Lintelo (S. I.). *La prédication des Triduums eucharistiques* prescrits par S. S. Pie X. Brochure de 34 p. Tournai, Casterman, 1910. (Rapport au Congrès de Montréal.)

I. Raisons du triduum. — II. Pratique du triduum eucharistique. — III. Après le triduum.

D. Ansfridus M. Th. Van Kempen (O. S. B.) *Mensis Iosephinus*, sive pia quaedam exercitia pro singulis diebus mensis martii qua, ex Summa Iosephina Emi ac Revmi D. Cardi Vivès, in gratiam S. S. Sacerdotum necnon studiosae iuventutis collegit ediditque D. Ansfridus, etc. 1 vol. in-16, 285 p. Brugis, Verbeke-Loys, 1911. Pret. 1,75 fr. (1,50 si 50; 1,25 si 100 simul emantur).

Singulis diebus sua est lectio, meditatio, hymnus.

I. M. Vila (O. S. I. de Deo), *Directorio religioso-social*, t. 2, 1 vol. in-12, VIII-836 p. Barcelona, Gili, 1908.

Preliminares. De la urbanidad.

I. Parte. Deberes de urbanidad que tiene el religioso para con Dios.

II. Parte. Deberes del Religioso para consigo mismo.

III. Parte. Deberes del Religioso hospitalario para con los demás. Relaciones con toda clase de personas ; — religioso en familia ; — religioso con los de fuera de casa ; — religioso en su vida hospitalaria.

Apendices.

Indices.

Iuridica. Moralia. Socialia

A. de la Barre (S. I.) *La Morale, d'après S. Thomas et les Theologiens scolastiques*. Memento théorique et bibliographique. 1 vol. in-8 XIX-152 p. Paris, Beauchesne, 1911. Prix 3 fr.

Avant-Propos. — 1e Étude. Existence de la moralité. — Sa nature, ses éléments essentiels.

2e Étude. Du bien et de la fin. — Du bien absolu et du bien relatif.

3e Étude. Les lois divines, loi éternelle, loi naturelle.

4e Étude. La conscience et la connaissance des actions singulières.

5e Étude. Lois humaines et droits correspondants.

L. Choupin (S. I.) *Les Fiançailles et le Mariage*. Discipline actuelle. Décret *Ne temere*, (2 août et récentes décisions du Saint Siège), 2e éd. 1 vol. in-16, de II — 182 p. Paris, Beauchesne 1911.

P. Bouvier. (S. I.) *Notion traditionnelle de la vocation sacerdotale*. Lettre à un Supérieur de Grand Séminaire 1 vol. in 16 de 76 p. Lethielleux, 1911. Prix 1 fr.

W. Dunne (R. D.). *The english Ritual explained*, 1 vol. in-12, 164 p. London, Washbourne, 1908.

Introductio. Dein de variis Ritualis partibus.

Cte Alexandre Szembek. *Les Associations économiques des paysans polonais sous la domination prussienne*. (École des sciences sociales et politiques de l'Université de Louvain.) 1 vol. in-8 de XVI — 462 p. Lille-Paris-Lyon-Bruges. Desclée-De Brouwer s. d.

Préface du C. L. de Vogué. — 1e Partie. La fédération des coopératives polonaises. — Sociétés de crédit mutuel, sociétés coopératives agricoles, sociétés coopératives de morcellement ; la fédération et la Banque centrale. — 2e Partie. La fédération des cercles agricoles polonais : les cercles, leurs services d'ordre écomique et social ; les fédérations des cercles. — Conclusion, Bibliographie.

F. Tummers. (S. I.) *De « nieuwere » richting in de strafrechtwetenschap* critisch beoordeeld. 1 vol. gr. in 8, 173 p. Nijmegen, Malmberg, 1911. Voorrede. Inleiding. Hoofdst. 1. Het kenmerkende in de « nieuwere » richting. — Hoofdst. 2. De vrije wil en zijn tegenstanders. — Hoofdst. 3. De « nieuwere » richting en de strafrechtelijke begrippen. — Hoofdst. 4. Verklaring der begrippen ; toerekenbaarheid, schuld, straf. — Hoofdst. 5. De « nieuwere » richting en het rechtsbegrip. — Hoofdst. 6. Het recht der « nieuwere » richting in wezen en consequenties. — Hoofdst. 7. De handhaving der rechtsorde in de « nieuwere » richting. Recapitulatie. — Aanhangsel.

E. Vliebergh. *Etudes d'économie rurale* 1 vol. gr. in-8 360 p. Louvain, Bibliothèque choisie, 1911.

L'enseignement. — La propriété foncière. — Le crédit foncier rural. — Le bail à ferme. — Le socialisme agrairie. — L'agriculture et le Crédit agricole en divers pays. — Loi belge de 1909 sur la réparation des accidents du travail. — Entrées et sorties dans les laiteries coopératives. — Développement agricole de la Belgique depuis 1830. — Les salaires agricoles ; l'exode rural en Belgique. — L'hygiène et le service médical dans nos campagnes belges. — Représentation officielle de l'agriculture. — Réorganisation de la police rurale. — Tribunaux agricoles. — Monographies agricoles.

H. Pierlot. *La législation scolaire de la Province de Québec.* (École des sciences pol. et soc. de l'Université de Louvain.) 1 vol. in-8, 155 p. Bruxelles, Dewit, 1911.

Le milieu. — Historique. — Du pouvoir fédéral. — Du conseil de l'instruction publique et des comités scolaires. — Du département de l'instruction publique. — Des inspecteurs. — Des autorités locales. — Des municipalités à charte. — Partie financière. — Les écoles, les instituteurs, les élèves. — Jugement de l'opinion. — Conclusion.

Historica

André de Sainte-Marie (O. Carm.). *L'ordre de Notre-Dame du Mont-Carmel.* Etude historique. Bruges, couvent des Carmes, 1910, in-16, 206 p. F. 2.

Fournier (R. D). *Lugdunensia monastica*, t. II. Lyon, Paquet, in-8°, 274 p.

Génier (O. P.). *Vie de Saint Euthyme le Grand* (377-473). Les moines de l'église en Palestine au Ve siècle. 1 vol. in-16, XXVII-304 p.

Ledru. *Dom Guéranger, abbé de Solesmes.* A propos de sa récente biographique. Province du Maine, 1910, t. XVIII, pp. 187-205 ; 217-243.

Nols (O. Pr..) *Notes historiques sur l'abbaye du Parc, ou cinquante ans de tourmente* (1786-1836) = Revue de l'ordre de Prémontré, 1910, t. XII, p. 177-211.

Pollen. *The restoration of the Jesuits in England* (Month 1910, t. CXV, p. 583-597. Continuat.)

Schrevel. *Établissement et débuts des Carmes déchaussis à Bruges* = Publications de la Société d'Émulation à Bruges. Mémoires, III. Bruges, De Plancke, 1910, in-8°, 136 p.

Solloway. *The alien benedictines of York. Being a complete history of holy Trinity Priory York.* London, Jackson, 1910, 4°, 364 p. Sh. 15.

Stoeckius. *Forschungen zur Lebensordnung der Gesellschaft Iesu im XVI Jahrhundert.*

Sträter. *Pater Theodorus van Montfort* s. j. *Een leven in fel bewogen dagen* (1782-1831) = Studien 1910, t. LXXIII, pp. 192-216 ; 286-309.

Wilcock. *Lives of the first five abbots of Wearmont and Jarrow : Benedict, Ceolfricd, Eosterwine, Sigfrid and Huetbat.* Sunderland, Hills et Cie, 1910, 8°, 120 fr. Sh. 5.

MONUMENTA

509. — S. C. CONCILII

RESPONSA 29 APRIL. 1911

De facultate episcopi imperandi eleemosynarum collectiones (A. A. S. 26 iun, 1911, 3, 277.)

Carcassonen.

Occasio

Post legem « separationis » in Gallia plerique Episcopi cleri necessitatibus occurrere cupientes, opus instituerunt vulgo nuncupatum « *du denier du clergé* », quo, ex oblationibus fidelium a parochis in proprio districtu colligendis ac Episcopo transmittendis, praedictum finem quadantenus assequi valerent.

et Auctor **Dubii.**

Episcopus Carcassonensis, cum quosdam suae dioecesis parochos dispositionibus a se latis renuentes compererit, sequentia dubia S. C. proposuit :

De praecepto.

I. An Episcopus valeat parochos vi conscientiae adigere ad munus colligendi fidelium oblationes.

De poena.

II. An valeat inoboedientes poenis prosequi, non exclusa amotione ab ipso officio parochiali, ad normam Decreti : *Maxima cura*, can. 1, nn. 7 et 9.

Memorata priore instantia,

De iisdem autem ad instantiam Episcopi Cenomanensis actum iam fuit in plenariis comitiis die 22 mai anno 1907 habitis. Haud tamen tunc EE. PP. rem in se ipsa seu in genere, prout nunc proponitur, dirimere placuit, licet ea fuerit eorum mens, ut parochus de quo agebatur, quique aliter quam ab Episcopo statutum fuerat collectas facere et cultus expensis providere volebat, moneretur, ut Episcopi mandatis staret, facta etiam Episcopo facultate ad aliam illum paroeciam transferendi, si parere renuisset.

post novum examen,

Hac igitur de causa quaestiones modo a Carcassonensi Episcopo propositae iterum Emis Patribus subiectae sunt, super iisdem sententia etiam alterius Consultoris exquisita.

Responsum

Dies (2) apr. 1911).

Decisio : Iis igitur quae deducta noviter sunt perpensis, aliisque resumptis quae in praecedenti Congregatione fuerunt disputata, Emi Patres in comitiis plenariis, die 29 aprilis 1911, respondendum censuerunt :

Episcopum in casu posse sub gravi parochos adigere ad colligendas, vel per se vel per alium, fidelium oblationes ; et post monitiones poenis canonicis inoboedientes prosequi, eosque, si contumaces fuerint, servatis de iure servandis, etiam a paroecia removere.

C. Card. Gennari, *Praefectus.*
Basilius Pompili, Secretarius.

ANNOTATIO

Observabis responsum istud, fortasse quia *in casu* et non generali ratione datum, sine Pontificis approbatione confectum et communicatum esse. Ex eo tamen ad vim canonicae oboedientiae explicandam subsidium hauriri potest.

---

510. — S. CONGR. RITUUM

RESPONSA 11 MAII 1911

De sonitu organi et ap^ca benedictione

(A. A. S. 31 maii 1911, 3, 241.)

Dubia

Dubia.

A Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum resolutio expostulata est; scilicet:

I. De organo quo cantus adiuvatur.

Cum Caerimoniale Episcoporum numquam supponat cantum gregorianum organum vocibus consociari; quaeritur:

I. An hodiernus usus praedictum cantum adiuvandi organis sustineri possit?

II. Quid in quibusdam Missis vel Officiis?

II. Et quatenus affirmative ad I., an etiam in Officiis et Missis, in quibus sonus organi prohibetur, liceat organum adhibere solummodo ad associandum et sustinendum cantum, silente organo cum silet cantus?

III. De praescripta benedictionis formula.

III. Quibusdam in Brevibus, quibus fit sacerdotibus potestas, in fine contionum, benedictionem, cum Indulgentiae plenariae favore, populo impertiendi, edicitur id fieri debere cum Crucifixo, iuxta ritum formulamque praescriptam; nunc quaeritur quinam sint hi ritus et formula adhibendi?

Responsa.

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, reque sedulo perpensa, ita respondendum censuit:

Ad I.

Ad I. Affirmative, exceptis tantummodo iis Officiorum ac Missarum partibus quae, iuxta liturgicas nunc vigentes leges, sine comitantibus organis debeant penitus decantari.

Ad II.

Ad II. Affirmative in casu necessitatis.

Ad III.

Ad III. Unicum signum crucis cum Crucifixo, adhibita formula: « Benedictio Dei Omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat super vos, et maneat semper ». ℟. Amen.

Atque ita rescripsit. Die 11 maii 1911.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secretarius.*

ANNOTATIONES

1. Si verba Cærimonialis Episcoporum (Lib. I, cap. 28) presse intellegantur, dicendum foret organum non adhiberi nisi quibusdam sollemnioribus diebus in ingressu vel egressu,

necnon quando infra sacrum nihil est cantandum, tandem infra cantum quarundam partium missae, sed *alternatim* cum cantu, scilicet ad supplendum illa verba quae reapse non cantantur, sed alta tantum voce recitantur vel psalmodiantur ; de sustinendo vero ipso cantu ope organi ibi nullus est sermo, saltem explicitus. Porro, iam ubique mos invaluit tali modo cantum sustinendi, immo nonnumquam ipsum cantum celebrantis. De hoc ultimo puncto sacra Rituum Congregatio interrogata : *An in cantu praefationis et orationis dominicalis, quotiens missae decantantur, organa pulsari queant*, respondit die 27 ianuarii 1899, (decr. 4009) *Obstat Caerimoniale Episcoporum lib. I cap. 28 § 9, quod servandum est.* Et in *Motu proprio SS. D. Pii X 22 nov. 1903, de musica sacra* praescribitur cantum celebrantis eiusque ministrorum ad altare, semper gregorianum esse debere, tacentibus organis. Iamvero ex ipsis verbis responsi ad I satis apparet nihil in hac re praesenti decreto innovari, sed tantum comprobari modum receptum, cum exceptionibus iam antea statutis.

2. Quod attinet ad missas et officia de tempore adventus et quadragesimae, primo aspectu dicendum foret in illis Caerimoniale Episcoporum sonum organi nullo modo admittere, verum nonnulli auctores contendebant illis missis applicari posse quae de missis et officiis defunctorum habentur eodem capite Caerimonialis Episcoporum, § 13 : *In officiis defunctorum, organa non pulsantur ; in missis autem, si musica adhibeatur, silent organa, cum silet cantus :* (cfr. etiam decr. Compostellana 15 apr. 1905 [1]) eo vel magis quod ipsum Caerimoniale Episcoporum, postquam praedictam normam de missis defunctorum tradidit, protinus addit : *quod etiam tempore adventus et quadragesimae in ferialibus diebus convenit adhiberi ;* unde a fortiori idem de missis et officiis dominicalibus horum temporum affirmandum videtur. Sane casus in responso ad I excepti hic quoque excipiendi sunt, et insuper animadvertendum sonum organi prorsus prohiberi in matituno tenebrarum, necnon in missa et officio divino stricte liturgico feria V in Cena Domini post cantatum hymnum *Gloria,* usque ad Sabbatum sanctum eodem hymno intonato. (decr. Pisana, 20 mart. 1903.)

3. Ex responso ad III colligere possumus, ad valorem et essentiam benedictionis apostolicae in fine missionum, contionum, etc. a simplici sacerdote impertiendae, nihil aliud requiri quam *unicum* signum crucis *cum cruxifico.* Inde tamen concludi non debet illicitam ac multo minus invalidam fore benedictionem, quae etiam in hoc casu daretur, adhibita formula Benedicti XIV in appendice Ritualis inserta sub titulo : *For-*

---

1 PERIODIC. t. I, p. 155.

mula Benedictionis apostolicae, a Regularibus certis diebus impertiendae. Animadvertendum tamen est, cum plerumque, in his formulis, benedictio detur sub verbis : *Benedicat vos, etc.* in praesenti responso adhibendam praescribi formulam : *Benedictio Dei omnipotentis, etc.*

Iosephus Pauwels, S. I.

---

511. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

DECRETUM 16 MAII 1911

De legitima religiosorum expulsione seu dimissione

(A. A. S 31 maii 1911, 3, 235.)

Causa mutandi solemnitates.

Cum singulae praescriptiones ac sollemnitates a iure statutae, praesertim ab Urbano VIII, ad ferendam sententiam expulsionis vel dimissionis ab Ordinibus et Institutis Religiosis, commode servari nequeant, huic Sacrae Congregationi opportunum visum est alias statuere praescriptiones, magis expeditas et hodiernis temporum circumstantiis melius accommodatas.

Coetus cardinalicius 3 mart. 1911, haec statuit:

Quare Emi Patres Cardinales eiusdem Sacrae Congregationis, in Plenario Coetu die 3 martii 1911 ad Vaticanum habito, sequentia statuere decreverunt, nempe :

Curia competens.

1. Curiam competentem vel Tribunal competens ad ferendam sententiam constituunt Superior seu Moderator Generalis et Definitores vel Consiliarii seu Assistentes, non minus quattuor ; si qui deficiant, eorum loco totidem Religiosos eligat Praeses Curiae vel Tribunalis, de consensu aliorum Consiliariorum.

In Congregationibus Monachorum Tribunal constituunt Abbas Generalis cum suo Consilio. Si aliqua Abbatia nulli annexa sit Congregationi, recurrendum ad Sanctam Sedem in singulis casibus.

Promotor iustitiae.

2. In qualibet Curia seu Tribunali constituatur a Consilio Generali Promotor Iustitiae pro iuris et legis tutela, qui sit Religiosus eiusdem Ordinis vel Congregationis.

Summaria ratio processus.

3. Processus dumtaxat Summarius in posterum instituatur in expellendis vel dimittendis Religiosis, qui vel vota sollemnia in Ordinibus, vel vota perpetua in Congregationibus vel Institutis professi sunt, vel, si vota tantum temporanea emiserint, tamen in Sacris sunt constituti ; salvis specialibus privilegiis, quibus aliquis Ordo vel Institutum gaudeat.

Necessitas monitionis et correctionis trinae.

4. Ad Processum instruendum deveniri nequit, nisi postquam trina et data monitio et inflicta correctio incassum cesserint, salvis exceptionibus sub *num. 17 et 18.*

Monitionis leges.

5. Monitio facienda est a legitimo Superiore etiam locali de mandato tamen vel licentia Superioris Provincialis seu quasi-Provincialis ; qui postremae monitioni opportune adiunget expulsionis vel dimissionis comminationem. Ad effectum expulsionis vel dimissionis non valet monitio vel correctio, nisi ob grave aliquod delictum data fuerit.

6. Monitiones repeti nequeunt, nisi delictum repetitum fuerit, sed in delictis continuatis seu permanentibus intercedat necesse est inter unam et alteram monitionem spatium saltem duorum dierum integrorum. Post ultimam monitionem sex dies integros erit exspectandum, antequam ad ulteriora progressus fiat.

Quaenam constare debeant et quomodo.

7. Ex Processu constare debet de Conventi reitate, necnon de gravitate et numero delictorum, de facto triplicis monitionis, et de defectu resipiscentiae post trinam monitionem.

8. Ut de Conventi reitate constet, tales probationes afferendae sunt quae animum viri prudentis moveant. Hae probationes desumi possunt ex rei confessione, ex depositione duorum saltem testium fide dignorum, iuramento firmata, atque aliis adminiculis roborata et ex authenticis documentis.

9. Gravitas delicti desumenda est non tantum a gravitate legis violatae, sed etiam a gravitate poenae a lege sancitae, a gravitate doli, et a gravitate damni, sive moralis sive materialis, Communitati illati.

10. Ad effectum de quo agitur, requiruntur ad minus tria crimina gravia eiusdem speciei, vel, si diversae, talia, ut simul sumpta manifestent perversam voluntatem in malo pervicacem, vel unum tantum crimen permanens, quod triplici monitione virtualiter triplex fiat.

11. Ut constet de facto triplicis monitionis regulariter de hoc afferri debet authenticam documentum. Proinde oportet :

a) ut haec fiat vel coram duobus testibus, vel per epistolam, a publicis tabulariis inscriptam, exquisita fide receptionis vel repudii ;

b) ut documentum redigatur de peracta monitione, a dictis testibus subscriptum et in Regestis vel Tabulario servandum ; vel ut exemplar conficiatur supradictae epistolae, a duobus item testibus pro conformitatis testimonio ante expeditionem subscriptum, et in Regestis vel Tabulario pariter asservandum.

12. Defectum resipiscentiae probant novum crimen, post trinam monitionem commissum, vel pervicax et obdurata agendi ratio delinquentis.

Actionis initium.

13. Superior Provincialis vel quasi-Provincialis Religiosi delinquentis, postquam monitiones et correctiones incassum cesserint, omnia acta et documenta quae de huius Religiosi reitate exstant diligenter colliget et ad Superiorem Generalem transmittet, qui ea tradere debet Procuratori Iustitiae, ut ea examinet et suas accusationes, si quas proponendas existimabit, proponat.

Defensiones relictae accusato.

14. Accusationes a Procuratore Iustitiae propositae et Processus resultantia accusato notificari debent, eidemque tempus congruum, arbitrio Iudicis determinandum, concedi, quo suas defensiones, sive per se, sive per alium eiusdem Ordinis vel Instituti Religiosum, exhibere valeat ; quod si accusatus ipse proprias defensiones non praesentaverit, Curia vel Tribunal defensorem alumnum respectivi Ordinis vel Instituti ex officio constituere debet.

Sententia. Appellatio.

15. Curia seu Tribunal, diligenter perpensis allegationibus sive Promotoris sive Rei, si quidem eas adversari iudicaverit Convento, sententiam expulsionis vel dimissionis pronuntiare poterit ; quae tamen, si condemnatus intra decem dies a sententiae notificatione rite ad Sacram Congregationem de Religiosis appellaverit, exsecutioni demandari nequit, donec per eandem Sacram Congregationem iudicium latum fuerit.

Appellationis effectus.

16. Non obstante autem appellatione, reus poterit ad saeculum statim remitti a Moderatore supremo vel Abbate Generali, cum consensu sui Capituli vel Consilii, si ex eius praesentia periculum vel gravissimi scandali, vel damni item gravissimi Communitati eorumque alumnis immineat. Interim habitum dimittat et maneat suspensus, si in Sacris constitutus sit.

Quid si gravissimum detrimentum avertendum sit.

17. Qui reus fuerit etiam unius tantum delicti, ex quo periculum gravis scandali publici vel gravissimum detrimentum toti Communitati immineat, poterit, etiam a Superiore Provinciali vel Abbate, ad saeculum item remitti, habitu religioso illico deposito ; dummodo certo constiterit de ipso delicto et de Religiosi, cui illud imputatur, reitate ; et interim instituatur Processus ad sententiam expulsionis vel dimissionis ferendam. Qui in Sacris constituti sunt, pariter suspensi maneant.

Poena expulsionis ipso iure lata.

18. Item contra quaedam delicta censetur veluti lata a iure poena expulsionis vel dimissionis. Quae delicta sunt :

a) publica apostasia a Fide Catholica ;

b) apostasia ab Ordine vel Instituto, nisi intra tres menses Religiosus redierit ;

c) fuga a Monasterio, suscepta secum muliere ;

d) et multo magis contractus, ut aiunt, civilis, vel attentatio aut celebratio matrimonii, etiam validi, seu quando vota non sint sollemnia vel non habeant sollemnium effectum.

Sufficit in istis casibus, ut Superior Generalis vel Provinclalis cum suo respectivo Consilio emittat sententiam declaratoriam facti.

Communicatio Ordinario faciendа.

19. Sententia expulsionis vel dimissionis, quocumque modo lata, si agatur de Religioso in Sacris, illico communicanda erit Ordinario originis et Ordinario loci ubi ille moratur, aut sedem suam statuere velle dignoscatur.

Expulsionis effectus.

20. Omnes Religiosi de quibus agitur, in Sacris constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint, perpetuo suspensi manent, donec a competente auctoritate, post emendationem vitae, dispensationem obtinuerint. Religiosi vel Clerici, non in Sacris, expulsi vel dimissi, prohibentur quominus ad superiores Ordines ascendant sine venia Sanctae Sedis. Omnes autem expulsi vel dimissi, etiamsi sese vere emendaverint, ad suum vel ad alium Ordinem vel Congregationem admitti non poterunt, absque speciali licentia Sedis Apostolicae.

Quid de Monialibus vel Sororibus.

21. Ad expellendas Moniales, vota sive sollemnia sive simplicia in Ordine proprie dicto professas, et ad dimittendas Sorores quae vota perpetua emiserunt in Institutis Religiosis, exiguntur graves causae exteriores, una cum incorrigibilitate, iudicio Abbatissae vel Superiorissae cum suo Consilio, respective manifestando per secreta suffragia, experimento prius habito, ita ut spes resipiscentiae evanuerit et ex continuis culpis Monialis vel Sororis incorrigibilis damna immineant Monasterio vel Instituto. Causae minus graves requiruntur ad dimittendas Sorores votorum simplicium in Ordinibus Religiosis. Iustae et graves causae probari debent ab Ordinario loci et, si Monasterium Regularibus subiectum sit, etiam a Superiore Regulari. Insuper accedat necesse est confirmatio Sacrae Congregationis, ita ut expulsio vel dimissio ex parte Ordinis vel Instituti iuridicum effectum non sortiatur, antequam a Sacra Congregatione confirmata fuerit. Solummodo in casu gravis scandali exterioris, Episcopo

loci approbante, Monialis vel Soror statim ad saeculum remitti possit, ita tamen ut Sanctae Sedis confirmatio absque mora petatur.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae Decimo relatis ab infrascripto Sacrae Congregationis Secretario die octava martii 1911, Sanctitas Sua Decretum hoc approbare et confirmare dignata est; contrariis non obstantibus quibuscumque. *Approbatio SS^mi. Clausula.*

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die 16 maii 1911. *Dies (16 maii 1911).*

Fr. I. Card. Vives, *Praefectus.*
† *Donatus Archiep. Ephesinus, Secretarius.*

Annotationes

I. **Novae legis opportunitas.** — A pluribus annis hoc mirum cernebatur de regularium expulsione, eam Ordinibus quidem esse permissam sed iis sollemnitatibus munitam quae iuris concessi usum hodie prorsus impediebant. Ut uno exemplo contenti simus, regularis expelli non poterat nisi prius per annum, vel saltem (hanc indulgentiam S. Congregatio fecerat) per sex menses in carcere et in pane et aqua probatus, in perversa sua voluntate nihilominus perstitisset. Lex ista Urbani VIII, 21 sept. 1624, deinde, decreto *Auctis admodum* 4 nov. 1892, satis obscura ratione traducta est ad dimittendos alumnos Institutorum votorum simplicium, qui vota perpetua fecissent, vel in sacris constituti essent. Satis obscura, inquam, ratione. Dum enim servanda dicitur Urbani VIII methodus, in methodi indicatione, de carcere siletur.

Opportunum denique visum est, melius tempori accommodatas Ordinibus servandas leges praefinire. Quarum summa sic proponi posse videtur, distinguendo, sicut ipso decreto facere iubemur, monialium et sororum causas a causis regularium et religiosorum virorum.

II. **Summaria novi iuris propositio et explicatio.**

A. *De expulsione vel dimissione virorum.*

1. *De servanda forma.*

Poena esse potest latae vel ferendae sententiae; casus autem imminentis necessitatis esse vel dilationem admittere potest.

a) *De poena latae sententiae* (art. 18). Quaedam delicta publica poenam expulsionis vel dimissionis secum coniunctam habent, ut sententia declaratoria facti ad effectum sufficiat. Declarationem autem facere possunt vel Generalis vel Provincialis Superior, cum suo respectivo consilio.

Observes porro Generali Superiori Generalem Abbatem Congregationis monachalis, Provinciali vero, Abbatem localem hoc decreto aequiperari.

Delicta porro quibus poena ista coniuncta est, sunt :

publica apostasia a Fide catholica, — apostasia ab Ordine regulari vel Instituto, non statim tamen sed post tres menses sine paenitentia elapsos ; — fuga a Monasterio, non omnis tamen, sed suscepta secum muliere ; — contractus civilis matrimonii vel attentio aut celebratio matrimonii, quam religiosus votorum simplicium validam per se facere potest.

b) (art. 17) *Si* ob periculum gravis scandali vel gravissimi detrimenti pro Communitate, *res moram nullam patiatur,* Superior etiam Provincialis vel Abbas localis, religiosum qui *certo* talis delicti reus fuerit, statim ad saeculum, deposito illico religioso habitu, remittere potest. Statim tamen processus expulsionis vel dimissionis conficiendus est, ita ut ab hac tantum lata religiosus pro formaliter expulso aut dimisso haberi possit. Sed, quamvis repetita delicta vel demonstrata pervicacia regulariter requirantur, in praesenti casu unum sufficere delictum merito declaratur. Sin minus religiosus iste scandalosus saepe ipso decreto contra expulsionis vel dimissionis sententiam protegeretur. — A sententia ista ad S. Congregationem appellari posse, sed in *devolutivo,* manifestum est.

c) *De casibus minus instantis necessitatis.* (art. 1-16). Tunc :

α) *Tribunal constituendum est* ex Superiore vel Abbate Generali et quattuor saltem Consiliariis generalibus. Hi tamen si deficiant, Praeses, annuentibus aliis consiliariis, per alios religiosos supplebit. Si abbatia nulli Congregationi coniuncta sit, debet ad S. Sedem in singulis casibus recurri.

Religiosus eiusdem Instituti, tamquam promotor iustitiae, pro iuris et legis tutela, est Tribunali a Consilio Generali adiungendus.

β) Omissis longioribus ordinarii processus sollemnitalibus, *forma processus summarii* servanda est in expellendis vel dimittendis regularibus votorum sollemnium, ac religiosis qui in Congregationibus vota perpetua fecerunt vel in sacris sunt constituti.

Actionem praecedere debet incassum tentata *trina monitio* et *inflicta correctio.*

Monitio ista ab auctoritate Provincialis seu Quasi-Provincialis aliquo modo proficisci debet, ita ut Superior localis qui eam fecerit saltem licentiam Provincialis habere debeat. Monitio intellegitur quae ob grave delictum fiat. Postremae monitioni comminatio expulsionis vel dimissionis opportune, non necessario tamen, adiungitur. Monitio repeti nequit nisi iteretur delictum, vel, in delicto continuato, post duos integros dies a praecedente. Sex autem dies ab ultima monitione ad actionem elabi debent.

Probationes afferendae sunt de *culpa* (reitate) rei ; de *gravitate* et *numero* delictorum ; de *pertinacia* post trinam monitionem.

Omni probationis genere *culpa* demonstratur : confessione, duobus testibus iuratis, authenticis documentis.

Gravitas delicti gravem supponit legem ; id tamen non sufficit, sed gravitas ex poenali legis sanctione, ex dolo agentis, ex damno morali vel materiali communitatis aestimanda est.

Delictum porro requiritur *formaliter* vel *virtualiter* (quod triplici monitioni restiterit) triplex, eiusdem per se speciei. Si diversae, oportet ut simul sumpta delicta perversam atque in malo pervicacem voluntatem demonstrent.

De *triplici monitione* authenticum documentum regulariter afferendum est. Fiat itaque vel coram duobus testibus, qui documentum de peracta monitione subscribant, vel per epistolam cuius receptio vel repudium a publicis tabulariis significetur *(avis de réception ou de refus)*. Antequam haec mittatur, exemplar quod duo testes missae epistolae conforme testentur conficiatur. Documentum de facta monitione vel exemplar missae epistolae in archivio servandum est.

Pertinacia denique ex novo post monitiones crimine, vel pervicaci et obdurata agendi ratione demonstratur.

Actionis initium. Collecta a Provinciali documenta ad Generalem Superiorem transmittuntur, a quo tradi *debent* Procuratori iustitiae qui, si ipsi videbitur, accusationes suas proponat.

Accusato accusationes et incoepta actio communicandae sunt, et congruum ad defensionem suam parandam tempus, a iudice definiendum, linquendum est. Accusatus potest ipse se defendere vel patronum eligere eiusdem Instituti religiosum. Quod si neutrum fecerit, tribunal defensorem, alumnum Instituti, ex officio constituere debet.

γ) *Sententia* expulsionis vel dimissionis a tribunali pronuntiari potest. Ab hac, intra decem dies ad S. Congregationem de Religiosis appellari potest. Appellatio ista est *in suspensivo*. Attamen, si periculum gravissimi scandali vel damni id postulet, potest Generalis, annuente capitulo vel consilio suo, reum ad saeculum, dimisso habitu, remittere.

Communicatio sententiae eiectionis, si de religioso agatur in sacris constituto, statim communicanda est Ordinario originis et Ordinario loci ubi expulsus vel dimissus iam moratur, vel sedem suam statuere velle dignoscitur.

2. *Expulsionis vel dimissionis effectus.*

a) Quotiescumque, etiam si ante definitivam sententiam, sicut cum ob imminentem necessitatem iubetur e claustris discedere (art. 16 et 17), reus in saeculum legitime remittitur, habitum religiosum deponere et sacris ordinibus exercendis abstinere debet. Dicitur enim *interea* suspensus.

b) Facta expulsione vel dimissione, perpetua suspensione plectuntur religiosi in sacris. Quamquam, post vitae emendationem, a competente potestate, id est a S. Sede dispensari possunt.

Qui autem in sacris non sunt, ad superiores Ordines sine venia S. Sedis ascendere prohibentur. Superiores Ordines intellegas non tantum maiores, verum etiam minores *quos* nondum receperint. Immo, si clerici non erant, de prima tonsura perinde dicendum videtur.

c) Etiam emendati et correcti in proprium vel alium Ordinem recipi non possunt sine speciali S. Sedis venia.

B. *De expulsione vel dimissione monialium vel sororum.*

1. Articulo 21 sui decreti, S. Sedes tres genere distinguit mulieres quae religiosae vitae addictae sunt.

a) *Moniales,* quo nomine vocat quotquot, in Ordine religioso, professionem fecerunt vel iam *sollemnem,* vel simplicem qua *sollemnis* paratur.

b) *Sorores,* quae in Institutis religiosis votorum simplicium, vota *perpetua* fecerunt ;

c) *Sorores Ordinum Religiosorum.* Illas intellegas quae, choro non destinatae, quasi coadiutrices Monialibus adiunguntur, et vota non faciunt nisi simplicia, quamvis perpetua.

Restant Sorores quae tam in Ordinibus religiosis quam in Congregationibus vota *temporaria* fecerunt. De his sermo non habetur. Cfr. infra, quaesitum 9.

2. *Causae* requiruntur *graves* et *exteriores* coniunctae cum *incorrigibilitate,* et *communi damno,* si agitur, in *Ordine* religioso de moniali quae sollemnem professionem fecit vel simplicem quae ad sollemnem parat viam ; et in *Instituto* religioso, de sorore quae perpetua vota fecerit. *Minus graves* sufficiunt si de sororibus agitur quae in *Ordinibus* religiosis non faciunt nisi vota simplicia. (Cogita sorores istas quae Monialibus chori, tamquam coadiutrices adiunguntur.)

3. De causis *iudicat* Abbatissa vel Superiossa cum suo Consilio. Prius oportet ut, experimento habito, « spes resipiscentiae evanuerit, *et* (duo haec itaque requiruntur) ex continuis Monialis vel sororis incorrigibilis culpis damna immineant Monasterio vel Instituto. Causas adesse Consilium Abbatissae vel Superiorissae per secreta suffragia definit. Causae dein (etiam cum minus graves sufficiunt) approbandae sunt ab Ordinario loci et etiam a Superiore regulari si Moniales Regularibus obnoxiae sint. Ac confirmatio S. Sedis accedere debet antequam expulsio vel dimissio effectus suos habeat. Si tamen grave scandalum exterius habeatur, Monialis vel Soror statim ad saeculum remitti potest, ita tamen ut confirmatio S. Sedis absque mora petatur.

III. **Uberior per varia Quaesita explicatio.**

1. Quaenam res potissimum novatae sint decreto *Cum singulae ?*

a) In primis novum istud, valde rarum et paene inauditum deprehenditur, ut laicis ecclesiastica iurisdictio tribuatur. S. Sedes enim iuridicam vult expulsionem aut dimissionem, per processum summarium cuius essentiales partes definit. Ac, nulla distinctione facta inter clericalia et laicalia Instituta, omnibus Superioribus generalibus mandat ut cum suo consilio tribunal efficiant a cuius sententia proprie dictam ad S. Sedem appellationem concedit.

b) Quamvis ex C. *Sapienti*, 29 iun. 1908 iudiciales religiosorum causae ad S. Romanam Rotam deferri debeant [1], appellatio tamen a prioris tribunalis sententia ad S. Congregationem Religiosorum deferenda est.

c) Inducuntur casus in quibus *ipso iure* expulsio vel dimissio committitur.

d) Formalis facultas fit Superioribus urgenti necessitati occurrendi.

e) Ordinibus religiosis, qui antea legibus nimis severis Urbani VIII tenebantur forma proponitur quae observari potest. Abbatiae independentes ad S. Sedem recurrere debent.

f) Licet appellatio concedatur, attamen, in causis urgentibus suspensi condicio ante definitivam sententiam imponitur.

g) Antea Ordo debebat de conversione expulsorum curam gerere eosque emendatos recipere, dum nunc nova expulsi cooptatio fieri nequit sine venia S. Sedis.

h) Nullo hactenus iure providebatur ut permanens quispiam constitueretur in Institutis religiosis Promotor iustitiae (art. 2).

2. Quid *expulsionis* vel *dimissionis* nomine venit ?

Expulsio hoc loco actum iuridicum significat quo regularis *sollemniter* professus religione ob delicta sua pellitur.

Dimissio est actus quo religiosus votorum *simplicium* propter delicta sua Instituto pellitur. Non quaelibet itaque dimissio hic agitur, sed quae invito religioso propter gravia delicta imponitur. Qui sponte petiit et obtinuit dimissionem, praesenti decreto non afficitur.

3. Num contraria privilegia praesenti decreto supprimuntur ?

De *forma* expellendi vel dimittendi sua cuique Instituto privilegia manent. Tertio enim decreti articulo reservantur. Quae autem art. 18 instar poenae ipso iure latae expulsio

---

[1] PERIODICA, t. 4, n. **279**, p. 226.

inducitur de omnibus valere videtur, ita ut Generalis privilegiata forma utens, sententiam declaratioriam dare debeat. Omnibus etiam communes sunt effectus suspensionis in quam currit eiectus religiosus. Significatio denique quae art. 19. Ordinario originis et residentiae facienda praecipitur, a nullo Instituto omitti potest.

4. Habetne regularis ius *recusandi* iudices suspectos ?

R. De recusatione nullus sermo in decreto habetur. Sed generali lege c. Cum speciali, 61, De appellationibus (l. 2, t. 28), c. Si contra, 4, et Iudex, 5. De Officio iudicis delegati in 6, recusatio, etiam ubi appellatio locum non habeat, reo convento conceditur. Quare et hic fieri posse censemus. Recusatio autem ante inchoatam actionem per se facienda est. De iusta recusationis causa iudicant arbitri, communi consensu electi vel Superior iudicis. Denique quae, spreta recusatione acta fuerint, valebunt vel non valebunt, prout subinde pronunciatum fuerit recusationem iustam vel vanam fuisse. Cfr. Reiffenstuel. De appellationibus, etc. in l. 2, t. 28, n. 316-328.

5. Appellatio, quae reo diserte conceditur, potestne etiam fieri a Procuratore iustitiae ?

R. Cum is publicas legis ac iuris partes tueri iubeatur et appellatio per se sit agenti, tam accusatori quam reo permissa, non videmus quare facultatem appellandi a sententia absolutionis promotori negaverimus. Ceterum nisi pro stricta dicta appellatione, saltem pro recursu valebit ad S. Congregationem ad quam omnis religiosus adire potest.

6. Prohibitio superiores ordines recipiendi qua expulsus vel dimissus ex art. 20. plectitur, estne pro irregularitate habenda ?

R. Minime. Non enim absoluta est ; sed cautio licentiae S. Sedis accessui ad ordines superiores apponitur. Venia ista nullo modo cum dispensatione ab irregularitate confundi potest, neque odiosa est seu stricti iuris.

7. Cum expulsi vel dimissi in proprium Institutum, sine venia S. Sedis iterum recipi non possint, *debentne* gratiam istam petere ?

R. Distinctione opus esse videtur. Si, ut dimissis accidere solet, votis soluti saeculum repetunt, nullo, praeter emendationem suam, officio erga Institutum per se tenentur. Professi vero votorum sollemnium et quotquot votis astringuntur, ipso voto oboedientiae obligantur ad curandum ut, reduces in monasterium et sub Superioribus constituti, Deo praestent quae Deo promiserint. Excipe si perpetuam saecularizationem simul obtinuerint.

8. Cuiusnam rationis est *suspensio* quae expulso vel dimisso articulis 16, 17 et 20 imponuntur ?

R. Nulla est censura, cum vel *perpetua* imponatur vel hac saltem ratione reum attingat ut in huius potestate non sit ius sibi comparare absolutionis vel dispensationis. Ex sententia enim tribunalis pendebit utrum suspensio articulorum 16 et 17 auferatur, an convertatur in perpetuam suspensionem.

9. De *Monialibus* quaeritur :

a) Quid iuris si non quidem Regularibus sed Religiosis votorum simplicium obnoxiae sint, utputa Moniales SS. Redemptoris ?

R. Ob omnimodam causae paritatem, censemus tunc, si Superiores sint exempti, causam expulsionis vel dimissionis etiam huic Superiori probari debere.

b) Quaenam Superiorissa, utrum Generalis, an Provincialis, an localis, obstinationem vel delictum Sororis in suo Consilio iudicare debeat ?

R. Id art. 21 non definitur. Ex analogia cum viris arbitramur eam intellegendam esse quae in suo Instituto suprema sit.

c) Valentne de Monialibus causae ob quas religiosi viri ipso iure expulsi vel dimissi habeantur ? puta monialem cum viro fugere e monasterio ?

R. Non valent. Tacet lex. Et deficit apud Moniales tribunal quo sententia criminis declaratoria ferri queat.

d) Moniales antiqui Ordinis, quae in variis regionibus simplicia tantum vota faciunt, suntne aequiperandae Monialibus proprie dictis seu Sororibus quae expelli non possunt nisi incorrigibiles, an Sororibus Ordinum religiosorum, quae facilius dimitti possunt ?

R. Quamvis sollemnibus votis destitutae sint, condicione sua Monialibus stricte dictis similimae sunt. Quare nisi grave, externum et damnosum delictum obstinate fecerint, expelli nequeunt. Sed solent apud ipsas esse etiam Sorores quae minime choro sed operibus servilibus deputantur. Has putamus in condicione versari Sororum Ordinum religiosorum quae ob minus graves causae dimitti possunt.

e) Quid iuris de Sororibus quae vota *temporaria* habent ? De his, cum nihil in praesenti definiatur, remittimur ad ius ante constitutum. Sorores istae dimitti possunt ob iustam causam quae superiorissae generali et Consilio suo probetur. Facta dimissione, *dispensatio* a votis a S. Sede postulanda est. Cfr. *De Religiosis Institutis et Personis*, t. 2. Supplementum de Institutorum votorum simplicium imagine exemplari.

512. — S. CONGR. RITUUM

DECRETUM 17 MAII 1911

Super editionibus librorum sacram liturgiam spectantium (A. A. S. 31 maii 1911, 3, 242.)

Memoratis superioribus normis, hae traduntur servandae :

Pluries a Sacra Rituum Congregatione normae traditae sunt Typographis pro editione Librorum Liturgicorum, praesertim per decreta dd. 11 aug. 1905, 14 februarii 1906 ac 25 ianuarii vertentis anni, quod postremum respicit editionem vaticanam eiusque reproductiones super Libris cantum gregorianum continentibus. Quo vero eiusmodi normae latius pleniusque compleantur, Sacra eadem Congregatio, ad praecavendos et impediendos abusus, haec quae sequuntur, accurate discussa et perpensa, statuere voluit, atque servanda decrevit :

Duae genere sunt editiones.

I. Editiones Librorum Sacram Liturgiam spectantium, sive Ritus et Preces in Sacris Functionibus peragendis contineant, sive Sacras Caerimonias supradictos Ritus Precesque comitantes praescribant, sive huius Sacrae Congregationis Decreta in unum collecta referant, sunt vel *Typicae*, vel iuxta *Typicas*.

De typicis *editionibus.*

II. Editiones *Typicas* excudere tantum possunt vel Pontificia Typographia Polyglotta Vaticana, vel alii Typographi Pontificii, qui a Sacra Rituum Congregatione veniam obtinuerint.

III. Singula editionis typicae folia revisioni huius Sacrae Rituum Congregationis submittentur, quae seu Commissionis Liturgicae, seu Commissionis de Musica et Cantu Sacro, iuxta opportunitatem, sententiam exquiret.

IV. Quaevis typica editio approbationis referet Decretum, talem editionem esse typicam declarans, simulque omnibus editoribus praescribens, ut praedictae editioni typicae futuras editiones omnino conforment.

V. Editores, aliqua editione typica completa, duo exemplaria huic Sacrae Rituum Congregationi tradent, in Archivio ipsius Sacrae Congregationis maxima cura et studio conservanda.

De editionibus iuxta typicas.

VI. Quivis Typographus, accedente consensu et approbatione respectivi Ordinarii, editiones *iuxta typicas*, quae nempe adamussim praedictis editionibus typicis respondeant, excudere potest.

VII. R^mi^ locorum Ordinarii, diligenti rerumque liturgicarum perito constituto revisore, qui videat an praefatae editiones plane cum typicis concordent, talem concordantiam declarent et *imprimatur* apponant.

De editionibus Propriorum.

VIII. Quod ad editiones Missarum aut Officiorum alicuius Dioecesis Propriorum, de quibus editio typica non exstat, si in ipsa Dioecesi cudendae sint, R^mi^ locorum Ordinarii concordantiam cum originalibus declarent et *imprimatur* apponant. Quod ad vero editiones Propriorum tum alienae Dioecesis, tum Ordinum Regularium seu Congregationum, R^mi^ locorum Ordinarii, quorum iurisdictioni Typographi subiacent, *imprimatur* apponant, postquam vel Ordinarius Dioecesis, vel Superior Ordinis seu Congregationis, ad quos praedicta Officia seu Propria pertinent, de harum editionum concordantia cum originalibus a Sacra Rituum Congregatione approbatis Rescriptum, quod pariter edendum est, sibi remiserint.

IX. Inter Libros Sacram spectantes Liturgiam, ad effectum praesentis Decreti, sequentes praecipue annumerandi sunt : *Quinam libri comprehendantur decreto.*

a) Breviarum Romanum
b) Missale Romanum
c) Rituale Romanum
d) Pontificale Romanum
} eorumque excerpta.

e) Martyrologium Romanum.
f) Caerimoniale Episcoporum.
g) Propria tum Officiorum, tum Missarum alicuius Dioecesis, Ordinis, seu Congregationis Religiosae.
h) Memoriale Rituum Benedicti Papae XIII pro minoribus Ecclesiis.
i) Instructio Clementina pro expositione Sanctissimi Sacramenti.
j) Collectio Decretorum Sacrae Rituum Congregationis.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. *Clausula.*

Die 17 maii 1911. *Dies (17 maii 1911).*

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*
† *Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., Secretarius.*

ANNOTATIO

Sat mirum videri potest hoc decretum, quod tamen indolem legis generalis praefert, nulla Pontificis approbatione muniri.

---

513. — S. CONGR. RELIGIOSORUM

DECRETUM 24 MAII 1911

De iurisdictione ordinariorum Hispaniae in religiosos e claustris eiectos et in monasteria monialium exempta

(A. A. S. 31 maii 1911, 3, 339.)

Cum in Hispanica Dicione adhuc perdurent peculiares illae circumstantiae, ob quas die 10 decembris 1858 Religiosi e claustris eiecti et Monasteria sanctimonialium Virginum iurisdictioni respectivorum Ordinariorum Dioeceseon, ad certum determinatumque tempus, Apostolicae Sedis Decreto, ibidem subiecta fuerant : Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa Decimus, referente infrascripto Cardinali Sacrae Congregationi de Religiosis Praefecto, die 16 decurrentis mensis maii, dignatus est prorogare ad aliud triennium praefatas Ordinariorum facultates : 1° in Religiosos qui extra claustra anno 1835 positi fuerant, si quis adhuc ipsorum supersit, et 2° in ea Sanctimonialium Monasteria quae de iure exempta sunt ; sanans omnia quae post ultimam earundem facultatum prorogationem ab ipsis Ordinariis peracta sunt, quaeque sanatione indigent ; salvis tamen modificationibus, quae infra hoc triennium Apostolica Sedes huic Decreto afferre posset, si futura rerum adiuncta id expostulaverint. *Indultum 1858, permanente eius causa, in tres annos prorogatur, sanatis actis praeteritis.*

Voluit tamen eadem Sanctitas Sua, ut in interpretandis iisdem facultatibus apprime serventur ea omnia, quae a sa. me. Pio Papa Nono, per *Commendationes*

factae de religiosis primi Ordinis.

Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium, in epistola typis cusa, d. d. 10 decembris 1858 [1] statuta sunt; utque R^mi Ordinarii prae oculis praesertim habeant specialem Sanctae Sedis mentem, his verbis ibidem expressam: « ... verum admodum congruum esse, ut Ordinarii, « nisi pro peculiaribus rerum et Monasteriorum adiunctis aliter in Domino « existimaverint, in deputandis eorundem Monasteriorum Vicariis, Con- « fessariis, Moderatoribus seu Directoribus spiritualibus, deligant Reli- « giosos eiusdem Ordinis, quatenus illi scientia, vitae probitate, prudentia « ceterisque qualitatibus praediti reperiantur ».

Corollarium de Confessario Ordinario;

Poterunt igitur R^mi Ordinarii, absque ulteriore facultate Apostolica, ipsi per se deputare in Confessarios Ordinarios Religiosos respectivorum Ordinum, praevio tamen consensu respectivorum Superiorum Regularium; ea semper servata lege, ut iidem Religiosi in Confessarios designati in suo proprio Conventu vivant, nisi in aliquo determinato casu et ob peculiares omnino circumstantias, R^mi Ordinarii una cum Superioribus Maioribus Ordinis speciale Indultum ab Apostolica Sede impetraverint et obtinuerint; servatis ceterum de iure servandis quod ad triennalem mutationem Confessariorum Ordinariorum reliquisque Apostolicis praescriptis.

de Visitatore delegato.

Poterunt item R^mi ipsi Ordinarii, si et quando id opportunum duxerint, adhibere Superiores Regulares ad Visitationem canonicam Monasteriorum

---

[1] Perillustris ac Reverendissime Domine uti Frater,

Peculiaribus inspectis circumstantiis in quibus Monasteria Sanctimonialium Virginum Superioribus regularibus subiecta, nec non Religiosi viri e claustris electi in Hispanica dicione in praesens reperiuntur, Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. IX existimavit iis speciali Apostolicae Sedis providentia consulendum esse. Idcirco Sanctitas Sua praedicta Monasteria Sanctimonialium Virginum, quae Praesidibus Regularibus subsunt, ac insuper praefatos Religiosos viros extra claustra degentes in Hispaniarum regno iurisdictioni Antistitum seu Ordinariorum locorum, in quibus eadem Monasteria respective reperiuntur, et memorati Religiosi commorantur, Apostolica Auctoritate ad triennium, a data praesentium computandum, nisi interim a Sancta Sede aliter provideatur, subicit, et subiecta ac subiectos esse decernit; quin tamen impediatur, quominus enuntiati Religiosi viri libere confugere possint ad suos Praesides seu Superiores Regulares, quando agitur de rebus conscientiam respicientibus, quae ad votorum observantiam et ad obligationes e religiosa professione promanantes, referantur. Quod vero spectat ad Sanctimonialium Monasteria, de quibus agitur, Sanctitas Sua expresse declarat ea, vi huius pontificiae dispositionis, in omnibus omnino Ordinariis locorum subici, et ab iis unice regi debere, quin Regulares in iis sese ullo modo immiscere possint; verum admodum congruum esse ut Ordinarii, nisi pro peculiaribus rerum et Monasteriorum adiunctis aliter in Domino existimaverint, in deputandis eorundem Monasteriorum Vicariis, Confessariis, Moderatoribus, seu Directoribus spiritualibus, deligant Religiosos eiusdem Ordinis, quatenus illi scientia, vitae probitate, prudentia, ceterisque qualitatibus praediti reperiantur.

Haec quidem Tibi ex Sanctitatis Suae mandato communicamus, ut delegata superius iurisdictione, pro ea qua praestas prudentia in tua Dioecesi utaris, facta tamen in singulis actis expressa mentione huius specialis Apostolicae delegationis: Teque simul monitum volumus ut si in earundem facultatum usu dubitatio vel difficultas exoriatur, eam ad hanc S. Congregationem negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praepositam, solvendam proponas.

Interim vero Amplitudini Tuae fausta ac prospera cuncta apprecamur a Domino.

Romae, ex S. Congregatione Episcoporum et Regularium, die 10 decembris 1858.

Amplitudini Tuae

addictissimus servus
G. Card. De Genga, *Praefectus.*
A. Archiepiscopus Philippen., Secretarius.

respectivorum Ordinum peragendam. Hi tamen Visitatores eas tantum habeant facultates quas Rmi Ordinarii ipsis commiserint, quaeque, hac non obstante delegatione, Episcopis integrae manent.

Decreti communicatio. Hoc autem decretum una cum exemplari supradictae Epistolae « Peculiaribus inspectis circumstantiis » d. d. 10 decembris 1858, omnibus et singulis Rmis Ordinariis Hispaniae notum fiat et communicetur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. *Clausula.*

Dies. Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die 24 maii 1911.

Fr. I. C. Card. VIVES, *Praefectus.*
† *Donatus Archiep. Ephesinus, a Secretis.*

---

514. — S. CONGR. S. OFFICII (Sectio de Indulgentiis)

DECRETUM 26 MAII 1911

De Indulgentia Portiunculae 2 aug. 1911

(A. A. S. 31 maii 1911, 3, 233.)

Preces oblatae. **Portiunculae,** quam vocant, Indulgentiae lucrandae redeunte iam die, innumerae propemodum Apostolicae Sedi preces undequaque gentium oblatae sunt aliaeque offerendae praevidentur, tum ad iam obtentarum hac in re concessionum prorogationem, tum ad novarum elargitionem impetrandam. Cum igitur Supremae huius Sacrae Congregationis Sancti Officii, cui Indulgentiarum moderandarum munus incumbit, mens sit certas ac fixas super praestantissimo huiusmodi spirituali favore normas praestituere, ne forte alicubi fideles, dum hae parantur, eo fraudari contingat, Emi ac Rmi DD. Cardinales Inquisitores Generales, in plenario conventu habito feria IV die 24 huius mensis, generali Decreto, *usque ad novam dispositionem valituro,* statuendum censuerunt : *Occasio et ratio decreti ad tempus condendi.*

Prorogatio sine die, concessionum factarum. 1° Omnes et singulae tam pro fidelibus in saeculo viventibus quam pro piis communitatibus antea a Sancta Sede factae et iam nunc expiratae vel in posterum expiraturae de Portiunculae Indulgentia concessiones prorogatae habeantur sine die, firmis, quod ad cetera, clausulis et condicionibus praecedentis Indulti, habitaque ratione, quod ad utile sacris visitationibus peragendis tempus, novissimi huius eiusdem Supremae Sacrae Congregationis Decreti diei 26 ianuarii anni currentis (ACTA APOSTOLICAE SEDIS, *an. III, vol. III, pag. 64).*

Facultas concedendi facta respectivis Ordinariis. 2° Quod ad novas concessiones, tam pro fidelibus in saeculo viventibus quam pro piis communitatibus, providendum pariter sine die committitur respectivis Ordinariis cum facultatibus necessariis et opportunis, salvis tamen clausulis et condicionibus *Motu-Proprio* die 11 iunii anni elapsi praescriptis (ACTA APOSTOLICAE SEDIS, *an. II, vol. II, pag. 443).*

Facultas transferendi in dominicam proxime sequentem. 3° Itidem, demum, respectivis Ordinariis prorogatur sine die facultas, praefato *Motu-Proprio* superiore anno iisdem concessa, statuendi ad supradictam Indulgentiam lucrandam, loco diei secundae augusti, Dominicam proxime insequentem, servatis clausulis et condicionibus ibidem appositis.

Approbatio SS.

Quae omnia SSmus D. N. D. Pius divina providentia PP. X, in solita audientia R. P. D. Assessori sequenti die impertita, benigne approbare ac suprema Sua auctoritate confirmare dignatus est.

Clausula.

Contrariis quibuscumque, etiam specialissima atque individua mentione dignis, non obstantibus.

Dies (26 maii 1911).

Romae, ex Aedibus S. O., die 26 maii 1911.

Aloisius Giambene,
Substitutus pro Indulgentiis.

Annotationes

1. *Decreti ratio atque occasio.* Binas praesentis decreti condendi causas fuisse suspicamur. Lege 7 apr. 1910, *Cum per apostolicas* [1], cui accesserunt declarationes 17 iun. et 13 iul. 1910 [2], plurimae indulgentiarium concessiones S. Officio ad recognitionem exhiberi debuerunt. Inter quas non minimam partem indulgentia Portiunculae tenuit, ut ipsum S. Officii exordium clare fatetur cum dicat : « innumerae propemodum Apcae Sedi preces undequaque gentium oblatae sunt aliaeque offerendae praevidentur, tum ad iam obtentarum hac in re concessionum prorogationem tum ad novarum elargitionem impetrandam. » Ipso tamen suo consilio normas certas huic indulgentiae praestituendi impediebatur S. Officium ne singularum precum merita accurate libraret. Quare, ut fidelium pietati et suis etiam commoditatibus opportune consuleret, statuit generale condere decretum quod « usque ad novam dispositionem » valeret. Itaque,

2. Prima decreti parte prorogantur sine die quotquot indulta Portiunculae a S. Sede concessa sunt in certam diem, sive haec iam advenerit sive etiam longe distet. Indulti autem uniuscuiusque leges observandae sunt, nisi quod visitationes decreto 26 ian. 1911 reguntur, ac proinde a meridie diei proxime praecedentis, usque ad mediam noctem diei propriae utiliter institui possint. Cfr. PERIODICA, t. 5, n. **486**, p. 8.

Quaeres num indultum a pluribus annis exstinctum et neglectum praesenti beneficio denuo valere incipiat ? Id negandum arbitramur. A mente S. Sedis alienum videtur ut quae vetustate perierunt sine ullo conatu vel voto eorum quorum intererat restaurentur; nec verbis huius modi extensio postulatur. Concessiones enim « *iam num expiratae* » eae esse videntur quae, ad hunc usque annum valentes, hoc anno renovandae erant.

3. Altera decreti parte *respectivi Ordinarii* opportunis facultatibus muniuntur ut novis instantiis satisfacere ipsi

---

[1] PERIODICA, t. 5, n. **394**, p. 126.
[2] PERIODICA, t. 5, n. **424**, p. 162.

queant. Respectivi Ordinarii sunt tum Ordinarii locorum, pro fidelibus in saeculo commorantibus et pro sibi subiectis communitatibus, tum Ordinarii proprii pro regularibus et religiosis exemptis, id est, Abbates qui monasterio sui iuris praesunt, et saltem Provinciales Superiores. Probabilis opinio locales Superiores eodem nomine vocat.

Atque, hac parte, amplior est superiore praesens concessio. Motu enim proprio 11 iun. 1910 Ordinariis *locorum*, id est Episcopis et Abbatibus Nullius, concessae sunt facultates quae iam *omnibus* Ordinariis communes factae sunt.

Ordinariis autem observandae dicuntur leges Motu proprio 11 iun. 1910 praescriptae. Observes decretum quod hic ad 11 iunii ascribitur, anno superiore ad 9 iunii in A. A. S. ascriptum esse. Cfr. PERIODICA, t. 5, n. **421**, p. 159.

Motu proprio isto praecipitur ut communitates quae ecclesiam suis aedibus coniunctam habeant, hanc, non autem domesticum sacellum visitare debeant. Visitandum porro sacellum asservandae eucharistiae privilegio instructum esse debet.

Quid ergo si communitas monasterii quae ecclesiae commoditate frui consuevit, propter aliquam causam, puta ferias, in loco versetur a sua ecclesia nimis, v. gr. ultra miliare, distantem? Poteritne Praelatus ipsi concedere ut in oratorio domus ubi ad paucos dies sedem posuit indulgentiam Portiunculae lucretur? Id probabile censemus, dummodo in oratorio isto SS. Eucharistia asservetur. Si quidem ampla praesentis gratiae interpretatio facienda est.

4. Tertia demum parte, Ordinariis facultas tribuitur assignandi Portiunculae pro die 1ª augusti proxime sequentem dominicam. Facultas, inquam, *tribuitur*, quamvis in decreto *prorogari* dicatur. Sed re vera, soli locorum Ordinarii *prorogatam* habent facultatem, cum alii ex Motu Proprio 1910 nullo pacto iuvarentur. Cum autem a mente S. Sedis alienum videatur ut alii Ordinarii aliter circumscripta facultate donarentur, *tributam* existimamus facultatem iis quibus proprie prorogari non potuit, ita ut usum vocis *prorogatur* quadam indulti 1910 oblivione explicemus.

Iterum autem servandae sunt clausulae decreti 9 iun. 1910, quo statuitur neminem bis praesentis gratiae beneficio frui posse. Itaque, qui die 2ª aug. Portiunculae indulgentiam lucratus sit, non poterit dominica proxime sequenti eandem iterum lucrari.

5. De *modo* quo Ordinarii sua potestate utantur haec notasse iuvabit: a) Nulla clausula prohibentur generalem facere facultalem quae, v. gr. prosit omni ecclesiae parochiali; — b) Facultatem indulgere possunt ad septennium, usque ad revocationem, vel donec novae normae a S. Sede

promulgatae sint. His tamen promulgatis, omnes concessae facultates statim cessabunt. — c) Nec ulla distantiae lex observanda videtur, cum huiusmodi condicio Motu Proprio 1910 et praesenti decreto penitus praetereatur.

6. Gratiam istam sola Portiuncula 2 augusti circumscribi satis ex lecto decreto perspicitur.

7. In Motu Proprio 9 iun. 1910, S. Pontifex commendavit etiam ut publicae ad Deum supplicationes fierent « pro S. Pontifice, ministris sanctuarii, universaque militanti Ecclesia ».

---

515. — S. CONGR. RITUUM

RESPONSA 27 ET 31 MAII 1911

De expositione et benedictione SSi; dubiis variis; dominicali absolutione pro defunctis

A. *Responsa 27 maii 1911 de expositione et benedictione SSmi* **Westmonasterien.** (A. A. S. 26 iun. 1911, 3, 279.)

Orator. Hodiernus Magister Caerimoniarum in Ecclesia Metropolitana Westmonasterien., de consensu sui Revmi Domini Archiepiscopi, sequentia

Dubia. dubia Sacrae Rituum Congregationi enodanda humillime proposuit, nimirum :

De missa sine cantu in expositione XL Horarum. I. Defectu ministrorum et cantorum licetne Missam Votivam Sanctissimi Sacramenti, in expositione vel repositione pro Oratione XL Horarum, celebrare sine cantu ; et totam functionem sine cantu peragere simili modo quo fit Feria V in Cena Domini, secundum Memoriale Rituum ?

De missa 2ae diei. II. Licetne legere aut omittere Missam Votivam celebrandam secunda die in Oratione XL Horarum ?

De nocturna interruptione. III. Estne necessarium Indultum, ut in Oratione XL Horarum expositio ac adoratio suspendatur horis nocturnis ?

De throno expositionis. IV. Cum difficile sit habere thronum expositionis inamovibilem, nisi Crux ponatur in eo ; quaeritur : Utrum liceat super tabernaculum erigere inamovibilem thronum, seu parvum ciborium fixum pro expositione Sanctissimi Sacramenti ; an debeat erigi thronus tantummodo propter expositionem et amoveri post expositionem ?

V. Num liceat thronum expositionis construere in muro paucis metris ab altari seiuncto ?

VI. Utrum alio throno, seu baldachino parvo, opus sit ad expositionem SSmi Sacramenti, ubi magnum baldachinum, seu ciborium invenitur ?

De tangendo Ostensorio et cooperiendo VII. Licetne laicis tangere Ostensorium sine privilegio Apostolico, quod requiritur ad tangenda vasa sacra ?

VIII Debetne Ostensorium cooperiri velo albo, quando stat in Altari ante et post expositionem SSmi Sacramenti ?

De colore stolae IX. Cuiusnam coloris debet esse stola presbyteri exponentis, quando Benedictio SSmi Sacramenti immediate sequitur Vesperas sollemnes, nec celebrans cum pluvialistis recedit a choro ?

X. Utrum cuilibet celebranti, an soli Episcopo vel Praelato, liceat genuflexo manere super pulvinari in infimo gradu altaris ? *De pulvinari in gradu altaris.*

XI. An Ordinarius, in medio Sanctuario Benedictioni SSmi Sacramenti assistens cum cappa, debeat adorare utroque genu, quando ad incensandum accedit ad altare, vel ab eo recedit ? *De genuflexione Ordinarii.*

XII. An Decreta quae prohibent quominus preces liturgicae cantentur in lingua vernacula extendantur etiam ad Litanias, vel Pater, vel Salve Regina, quae recitantur vel leguntur coram SSmo Sacramento exposito ? *De lingua vernacula pro precibus liturgicis.*

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque accurate perpensis, ita respondendum censuit : **Responsa.**

Ad I, II et III. Ad effectum Indulgentiarum et privilegii Altarium necessarium esse Indultum, a Sacra Congregatione S. Officii expetendum, ut derogetur formae Clementinae Instructionis. Alias Episcopus utatur iure suo, sed circa Missas Votivas serventur Rubricae et Decreta, nisi exstet vel obtineatur speciale Indultum. *Ad I, II, III.*

Ad IV. Negative ad primam partem ; affirmative ad secundam. *Ad IV.*

Ad V. Affirmative, dummodo thronus expositionis haud nimis distet ab altari, cum quo debet quid unum efficere. *Ad V.*

Ad VI. In casu servari potest consuetudo, quae viget. *Ad VI.*

Ad VII. Serventur Decreta. *Ad VII.*

Ad VIII. Affirmative. *Ad VIII.*

Ad IX. Eiusdem coloris ac paramenta celebrantis. *Ad IX.*

Ad X. Negative ad primam partem ; affirmative ad secundam. *Ad X.*

Ad XI. Affirmative in casu. *Ad XI.*

Ad XII. Dentur Decreta no 3530, Neapolitana, ad I et II, et no 3157, Mechlinien. 5 septembris 1867, ad VIII. *Ad XII.*

Atque ita rescripsit, die 27 maii 1911. *Dies (27 maii 1911).*

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secretarius.*

B. **Baionen**. *Responsa 27 maii 1911 dubia varia.* (A. A. S. 26 iun. 1911, 3, 280.)

Hodiernus Redactor Kalendarii Dioeceseos Baionensis, in Gallia, de consensu sui Rmi Episcopi, insequentia dubia pro opportuna declaratione Sacrae Rituum Congregationi humiliter subiecit ; nimirum : *Orator.* **Dubia.**

I. Utrum Decreto 8 maii 1899, Augustodunen. seu Galliarum, extendente Officium et Missam S. Odilonis, Abbatis Cluniacensis, sub ritu duplici minori, ad cunctas Galliarum Ecclesias, obligatio facta fuerit omnibus Gallarium Dioecesibus illud adoptandi, vel simpliciter haec extensio non sit nisi facultas ? *De celebrando festo S. Odilonis.*

II. Utrum dies 7 iulii sit quasi natalicia pro Ss. Cyrillo et Methodio, Epp. Conf. iuxta Martyrologium Romanum ? *De die SS. Cyrilli et Methodii.*

III. Utrum in Festo Ss. Septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V. utrisque Vesperis carente, hymnus *Matris sub almae* recitari debeat ad Laudes, iunctis ad Matutinum hymnis *Bella dum late* et *Sic Patres vitam ?* *De coniungendo hymno SS. Septem Fundatorum.*

IV. Si in tertio Nocturno alicuius Sancti vel Mysterii, Lectiones de Homilia excerptae sunt ex operibus eiusdem Sancti, aut sunt historicae circa Mysterium, utrum tres Lectiones debeant in duas redigi, ut fit in Festo S. Hilarii, Ep. Conf. Doct., in casu quo nona Lectio legi debeat de alio Officio eodem die commemorato ? *De lectionibus 3i Nocturni.*

De S. Silvestri vesperis.

V. Ubi S. Silvester est Patronus vel Titularis, utrum secundae eius Vesperae sumendae sint de Communi Confessoris Pontificis, vel usque ad Capitulum dicendae sint de Nativitate Domini, ut in aliis diebus infra Octavam ?

De bened. nuptiali post nuptias supplenda.

VI. Cum nuptiae celebratae fuerint tempore prohibito, et sponsi postea benedictionem nuptialem petierint, iuxta Decretum S. C. U. I. diei 31 augusti 1881, utrum eligendus sit dies in quo Missa votiva pro sponsis dici possit, ut praetendunt aliqui, innixi super Decretum Generale de Missis Votivis diei 30 ianuarii 1896. vel in casu benedictio nuptialis impertiri possit infra Missam, puta de festo duplici 2 classis cum commemoratione pro Sponsis, iuxta rubricam in capite Missae pro Sponsis positam ?

VII. Utrum ad impertiendam benedictionem nuptialem post tempus feriatum coniugibus antea matrimonio iunctis, necessaria sit praesentia amborum, vel sufficiat solius sponsae ?

De ritu Missae pro populo et translata sollemnitate ex decreto Card. Caprara.

VIII. Utrum in Ecclesiis Parochialibus unam tantum Missam habentibus, Parochi debeant ad normam Decreti n° 3887 diei 21 februarii 1896, Missam pro populo applicandam iuxta officium diei celebrare, etiam in Dominicis ad quas iussu Card. Caprara transferuntur sollemnitates Epiphaniae Domini, SS. Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, ac praecipui Patroni loci, atque etiam quorundam aliorum festorum ex peculiaribus Indultis, vel possint per Missam dictarum sollemnitatum oneri suo satisfacere ?

IX. Utrum sollemnitates iussu Card. Caprara ad Dominicam proxime sequentem translatae, ceteraeque ex Indulto particulari similiter faciendae, celebrari debeant an possint etiam in Oratoriis semipublicis ubi singulis Dominicis solet Missa cantari ?

De consecratione exponendae Hostiae.

X. Si extra Expositionem XL Horarum, et Festum SS. Corporis Christi, fieri contingat expositio SS. Sacramenti immediate post Missam, Hostia debeatne intra hanc Missam consecrari, vel accipi possit Hostia iam prius consecrata ?

De hostiae impositione.

XI. Quatenus affirmative ad secundam partem : utrum Hostia iam antea consecrata poni possit in Ostensorio ante purificationem et ablutiones, vel exspectari debeat usque ad expletum ultimum Evangelium ?

De stola in Vesperis.

XII. Utrum celebrans in Vesperis sollemnibus possit stolam induere sub pluviali a principio Officii, cum immediate post Vesperas, quin ipse recedat a Presbyterio, fiat Expositio cum Benedictione Sanctissimi Sacramenti ?

De colore paramentorum.

XIII. Utrum Processio cum SS^mo Eucharistiae Sacramento, quae immediate ut supra subsequitur Vesperas cum paramentis rubris vel viridibus cantatas, cum iisdem fieri debeat, vel albi coloris assumi debeant paramenta ?

De veneratione SS. Oleorum.

XIV. In benedictione Olei Catechumenorum, feria V Cenae Domini, Rubrica Pontificalis statuit : « duodecim Sacerdotes reverenter salutant Oleum ipsum dicentes : Ave Sanctum Oleum ». Haec verba : « reverenter salutant » suntne ita interpretanda, ut debeat fieri genuflexio, sicut ad Sanctum Chrisma, vel simplex inclinatio capitis ?

Responsa.

Et Sacra Rituum Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae voto, propositis dubiis sedulo expensis ita respondendum censuit :

Ad I.

Ad I. Singulis petentibus Sacra Congregatio reservavit sibi concessionem iuxta Decretum citatum.

Ad II. Affirmative. *Ad II.*
Ad III. Provisum in Decreto 8 aprilis 1908. *Ad III.*
Ad IV. Decernendum in casibus particularibus. *Ad IV.*
Ad V. Negative ad primam partem ; affirmative ad secundam. *Ad V.*
Ad VI. Negative ad primam partem ; affirmative ad secundam. *Ad VI.*
Ad VII. Affirmative ad primam partem ; negative ad secundam. *Ad VII.*
Ad VIII. Affirmative ad primam partem ; negative ad secundam. *Ad VIII.*
Ad IX. Sollemnitates enunciatas celebrari posse in Oratoriis semipublicis de quibus agitur in Decreto nº 4007, diei 23 ianuarii 1899. *Ad IX.*
Ad X. Negative ad primam partem ; affirmative ad secundam. *Ad X.*
Ad XI. Negative ad primam partem ; affirmative ad secundam. *Ad XI.*
Ad XII. Affirmative. *Ad XII.*
Ad XIII. Affirmative ad primam partem ; negative ad secundam. *Ad XIII.*
Ad XIV. Affirmative ad primam partem ; negative ad secundam. *Ad XIV.*
Atque ita rescripsit, die 27 maii 1911. *Dies (27 maii 1911).*

Fr. SEBASTIANUS Card. MARTINELLI, *S. R. C. Praefectus.*
† *Petrus La Fontaine, Ep. Çharystien., Secretarius.*

C. **Quinque ecclesiarum**. *Responsa 31 maii 1911, de absolutione defunctorum, post missam die festivo.* (A. A. S. 26 iun. 1911, 3, 283.)

Hodiernus Episcopus Dioeceseos Quinque Ecclesiarum, in Hungaria, Sacrae Rituum Congregationi ea quae sequuntur humillime exposuit ; nimirum : *Orator*

Pluribus abhinc annis, inscio Episcopo, viget in nonnullis Ecclesiis Filialibus Dioeceseos Quinque Ecclesiarum consuetudo Anniversaria fundata, cum *Libera me Domine*, diebus Dominicis et Festis peragendi, prout sequitur. Primo quidem celebratur Missa cantata de Dominica aut Festo in colore. Finita Missa, celebrans accedit ad Sacristiam, depositaque casula et induto pluviali nigri coloris, illico ingreditur Ecclesiam pro Absolutione facienda ante tumulum seu castrum doloris, quod tantum post finem Missae in Ecclesia construitur. Quaeritur : An in casu consuetudo retineri possit, cum dicta Anniversaria diebus Dominicis et Festis ex fundatione sint affixa et, propter distantiam ab Ecclesia Matre et alia officia Sacerdotum, vel etiam ob defectum competentis dotis, in dies feriales vix transferri possint ? *Propositae consuetudinis confirmationem* **petit**

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit : Pro gratia, attenta consuetudine ; exceptis tamen duplicibus primae classis et dummodo Absolutio et Responsorium locum habeant omnino independenter a Missa de die, iuxta Decretum num. 3870 [1], *Romana*, 12 iulii 1892, ad VIII. *Et* **obtinet,** *exclusis sollemnioribus festis.*

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.* *Dies (31 maii 1911).*
† *Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., Secretarius.*

ANNOTATIONES

A. *De decreto in Westmonasterien.*

1. Ad I, II et III. Expositio sanctissimi Sacramenti, dicta

[1] Sic ACTA APOSTOLICAE SEDIS, sed mendose, pro 3780.

Oratio XL horarum, multis a Summis Pontificibus ditata est indulgentiis, et in specie, ex concessione Pii VII, omnia altaria ecclesiae tempore adorationis, sunt privilegiata ; verum ad hoc requiritur ut adamussim observetur *Instructio Clementina*, et in specie ut adoratio protrahatur per XL continuas horas : ut prima et ultima die cantetur, pro expositione vel repositione, missa sollemnis de Sanctissimo, et die intermedio missa sollemnis de pace. Potest quidem episcopus iure suo utens, ac proinde sine ullo indulto, permittere expositionem Sanctissimi, etiam per plures dies, non observata Instructione Clementina, quae extra Urbem non obligat ; sed talis expositio per se nullo gaudet privilegio, neque quod ad indulgentias, neque quod ad missas votivas. Unde practice, nisi observetur forma Instructionis Clementinae, ut adoratio gaudeat privilegio indulgentiarum, expetendum erit indultum sacrae Congregationis S. Officii ; ut cantari vel dici possint missae votivae, requiritur indultum sacrae Rituum Congregationis.

2. Ad IV, V et VI. Ratio cur non admittatur thronus inamovibilis, de quo in IV, videtur esse allegata necessitas ponendi crucem in eo : quod iam prohibitum erat decr. 11 iun. 1904 ad 4. Quod si contra res sic ordinari possunt ut etiam in throno inamovibili crux non ponatur, talis thronus prohibitus esse non videtur.

3. Ad VII. A plerisque auctoribus admittitur vasa sacra *consecrata,* ut calix, patena, *post consecrationem*, necnon vasa *benedicta*, *quae destinantur ad recludendum ss. Eucharistiam,* ut pyxis, custodia, lunula, *post usum,* a laicis nuda manu tangi non posse sine privilegio. De ostensorio, idem non constat, cum sanctissimum Sacramentum directe non tangat.

4. Ad VIII. Nullibi prohibetur quominus ostensorium cum SS^{o} in tabernaculo recludatur ; saepe tamen propter exiguas huius dimensiones, hoc est impossibile, ac proin post unamquamque SS^{i} expositionem, lunula ex ostensorio auferri debet, et ante expositionem in eo reponi, et ideo in hoc casu, ante et post expositionem ostensorium remanet in altari ; iamvero ex praesenti responso debet tunc velo albo cooperiri. Sic iam dicebant Gavanti et Van der Stappen, qui etiam, quod facilius intellegitur, volunt idem esse velo cooperiendum quando cum sanctissima Hostia in tabernaculo recluditur.

5. Ad XI. Eodem modo iam responderat Congregatio quod ad celebrantem ministrosque sacros ante benedictionem post missam sollemnem ab altari discedentes, ut ad scamna casulam et manipulos deponant ; inde tamen concludi non debet in casibus non omnino similibus, v. g. quando celebrans et

ministri ad scamna tendunt, ut ibi sedeant per cantum *Gloria* vel *Credo*, ipsos pariter debere utrumque genu flectere.

6. Ad XII. Decr. 3530 prohibet quominus immediate ante benedictionem SSi recitentur preces lingua vulgari ; decretum vero 3157 permittit praedictas preces coram SSo exposito, dummodo sint ex approbatis. Notandum tamen est decreto 3537 prohiberi quominus preces liturgicae *cantentur* coram SSo exposito ; ex praesenti decreto proin concludere possumus hanc prohibitionem ad preces *recitatas* vel *lectas* sese non extendere.

B. *De decreto in Baionen.*

Ad II. Dies quasi-natalicia cuiuspiam sancti illa est quam S. Sedes eligit extra nataliciam ad liturgica eius festa recolenda (decr. gen. 3811 ad 5). Hoc autem infert definitivam amotionem non tantum officii, sed et ipsius festi a die 5 iulii, cui hoc festum prius assignatum fuerat [1]. Dies quasi-natalicia diei nataliciae fere in omnibus aequiperatur.

Ad III. Decretum 8 apr. 1908 [2] indicat quomodo, ob extensionem ad universalem ecclesiam festi Apparitionis B. M. V. die 11 febr. et translationem festi ss. Septem Fundatorum in diem sequentem, hoc ultimum officium sit ordinandum. Porro in secundis vesperis recitandum indicatur hymnus *Matris sub almae,* nec dicitur ubinam praedictus hymnus sit reponendus si festum ss. Septem Fundatorum utriusque vesperis careat. Res proinde ex regulis generalibus et aliis decretis dirimenda est. Porro hic hymnus, etsi vere historicus, ad integritatem historiae tamen necessario non pertinet; cum vero in casu nequeat servari sine hymnorum coniunctione, de congruo in privata recitatione ad matutinum coniungentur hymni *Bella dum late* et *Sic Patres,* et ad laudes ponetur hymnus *Matris sub almae ;* in publica vero recitatione, postremus iste hymnus foret omittendus. (Cfr. decr. Atrebaten. 23 mart. 1911 ad IV [3].)

Ad IV. Regula est tres lectiones tertii nocturni in duas esse redigendas, in casu quo 9a lectio legi debeat de alio officio, si 9a lectio ipsius officii sit vere historica ; praedicta coniunctio fieri etiam convenit, in privata recitatione, quotiens 9a lectio officii laudem contineat sancti de quo fit officium.

Ad IX. In praedicto decreto oratoria semipublica dicuntur ea quae, etsi in loco quodammodo privato, vel non absolute

---

1 VAN DER STAPPEN, *Sacra Liturgia,* t. 1, c. 174.

2 *Confer* PERIODICA, *t. 4,* n. **272,** *p. 214.* Decretum ibi refertur uti legitur apud ACTA SANCTAE SEDIS, *vol. 41, p. 408 ;* necnon in MONITORE ECCLESIASTICO, *t. XX p. 161.* Videntur tamen ibi quaedam verba excidisse : nempe legendum est : Laudes. Capitulum. I Petri 4 *Carissimi, communicantes* :.. Hymnus *Sic Patres vitam...* per extensum, etc.

3 PERIODICA, *t. 6,* n. **495,** *p. 19.*

publico, auctoritate Ordinarii erecta sunt, commodo tamen non fidelium omnium nec privatae tantum personae aut familiae, sed alicuius communitatis vel personarum coetus inserviunt.... Huius generis oratoria sunt quae pertinent ad Seminaria et Collegia ecclesiastica ; ad pia instituta et societates votorum simplicium, aliasque communitates sub regula sive statutis saltem ab Ordinario approbatis viventes ; ad domus spiritualibus exercitiis addictas ; ad convictus et hospitia iuventuti litteris, scientiis aut artibus instituendae destinata ; ad nosocomia, orphanotropia, necnon ad arces et carceres ; atque similia oratoria in quibus ex instituto aliquis Christifidelium coetus convenire solet ad audiendam missam. In his omnibus proinde oratoriis praedicta missa sollemnitatum cantari *potest ;* sed nulla videtur haberi obligatio [1].

Ad X et XI. In missa quae celebratur in sollemnitate Corporis Christi, ante processionem praescribitur, ut *sacerdos duas hostias consecret, et sumpta una, alteram in tabernaculum in processione deferendam ita reponat, ut per vitrum seu cristallum quo ipsum tabernaculum* [2] *circumseptum esse debet exterius adorantibus appareat, veloque operiatur, donec auferatur ab altari.* (Rit. rom. t. 9, cap. 5, § 2.) Idem praescribitur quod ad expositionem XL horarum in Instructione Clementina. Quod tamen non ideo ad alias expositiones extendi debet.

Ad XII. Regulariter celebrans in vesperis, etiam sollemnibus, stolam non induit, sed tantum pluviale super superpellicium ; attamen, si ante vesperas exponendum esset sanctissimum Sacramentum, et statim post vesperas cum eodem benedictio danda esset, ex decreto 3593 ad 2 celebrans stolam assumere potest ab initio vesperarum ; idem nunc fieri potest, etiam si Sanctissimum exponatur tantum post cantatas vesperas, dummodo tamen celebrans post vesperas et ante benedictionem ab altari non discedat.

Ios. Pauwels, S. I.

---

516. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

RESPONSA 15 IUN. 1911

De libris religiosorum (A. A. S. 26 iun. 1911, 3, 270.)

Dubia.

De obligatione religiosorum.

Quaesitum est ab hac Sacra Congregatione de Religiosis :

I. An Religiosi pertinentes ad Instituta votorum simplicium iisdem teneantur legibus ac Regulares votorum sollemnium quod ad *Imprimatur*

---

[1] Confer Collationes Brugenses, *t. 16, p. 553.* — [2] Id est ostensorium.

seu beneplacitum a suis Superioribus expostulandum, quotiens aliquod suum manuscriptum in lucem edere cupiunt?

II. An Religiosi, quotiens iis a suis Moderatoribus publicatio alicuius manuscripti fuerit interdicta, vel *Imprimatur* denegatum, possint idem manuscriptum alicui typographo tradere, qui illud publicet cum *Imprimatur* Ordinarii loci, suppresso auctoris nomine? *Quid si negata licentia.*

Emi autem Cardinales Sacrae Congregationis de Religiosis, in plenario Coetu ad Vaticanum habito die 2 mensis iunii 1911, suprascriptis Dubiis responderunt:

Ad I. Affirmative. *Ad I.*

Ad II. Negative. *Ad II.*

Quam Emorum Patrum responsionem Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa Decimus, referente infrascripto Sacrae Congregationis Secretario, ratam habuit et confirmavit, die 11 iunii 1911. *Confirmatio SS^is.*

Datum Romae, ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die 15 iunii 1911. *Dies.*

Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus.*
† *Donatus, Archiep. Ephesinus, Secretarius.*

Annotationes

1. Priore responso in primis firmatur istud quod serio ambigi non poterat, ex hodierna oboedientiae religiosae disciplina, religiosos omnes suis Superioribus in edendis libris obnoxios esse. Verum lex de Regularium libris istud praeterea habet ut licentia Superioris, saltem quotiescumque e iure pontificio exquirenda est, in principio vel in fine libri imprimatur. Ita pronunciavit C. *Officiorum* Leonis XIII. Cfr. nostrum opus *De prohibitione ac censura librorum*, ed. 4, n. **113**.

Dubitari itaque poterat num praeceptum istud ad religiosos transferendum esset. S. autem Congregatio id affirmare videtur, cum Religiosos iisdem quibus Regulares legibus teneri dicat. Et quando agitur de Institutis clericalibus res ista incommodo vacabit. Sed fortasse mirationem quampiam movebit, in opere de re sacra tractante licentiam Superioris laici iuxta Episcopi approbationem typis scriptam occurrere legendam.

Quare nolimus istud ad Instituta monialium vel Sororum traducere, ita ut v. gr. recentem lucubrationem exegeticam Dnae M. Teresiae Breme, Sororis Ursulinae [1], non debeat, nostra sententia, praeter approbationem Ordinarii loci, Superiorissae suffragium referre. Quamquam etiam Monialis ac Soror, ad opus scribendum et vulgandum, licentia Superiorissae se munire debet.

2. Patet etiam, quod altero responso definitur, religioso

[1] *Ezechias und Senacherib. Exegetische studie von M. Theresia Breme, Ursulinnerin.* Freiburg in Br. Herder, 1906. In Biblische Studien, XI, 5.

non licere ut, suppresso nomine suo, Superioris vetitum neglegat. Quare manuscriptum suum bibliopolae tradere ut suppresso auctoris nomine, cum solius Episcopi venia publici iuris fiat, religiosus a S. Congregatione merito prohibetur.

Cum autem, saltem ex consuetudine, manuscripta possint, sine violata paupertatis obligatione, a religiosis dono dari, quid si religiosus manuscriptum suum, a Superiore improbatum, amico possidendum tradat, isque, operis dominus factus, sine ulla, ne tacita quidem religiosi participatione seu conniventia, curet ut opus in lucem edatur? Casum istum praesenti responso attingi non putamus. S. enim Congregatio mere vetuit me ipse auctor manuscriptum suum, invito suo Superiore, per typographum inlucem ederet, dum in hac altera specie, amicus proprio nomine tamquam operis dominus agere videtur.

Tacita autem religiosi complicitas, si qua accesserit, plerumque vituperanda erit. Non decet enim ut religiosus indirecta via pertingat ad finem directe sibi a legitimo Superiore prohibitum.

---

517. — COMMISSIONIS PONTIFICIAE DE RE BIBLICA

RESPONSA 19 IUN. 1911

De evangelio S. Matthaei (A. A. S. 26 iun. 1911, 3, 294.)

Propositis sequentibus dubiis, Pontificia Commissio « de re Biblica » ita respondendum decrevit.

De Evangelii auctore.

I. Utrum, attento universali et a primis saeculis constanti Ecclesiae consensu, quem luculenter ostendunt diserta Patrum testimonia, codicum Evangeliorum inscriptiones, sacrorum librorum versiones vel antiquissimae et catalogi a Sanctis Patribus, ab ecclesiasticis scriptoribus, a Summis Pontificibus et a Conciliis traditi, ac tandem usus liturgicus Ecclesiae orientalis et occidentalis, affirmari certo possit et debeat Matthaeum, Christi Apostolum, revera Evangelii sub eius nomine vulgati esse auctorem?

Resp.: Affirmative.

De ordine inter Evangelistas.

II. Utrum traditionis suffragio satis fulciri censenda sit sententia quae tenet Matthaeum et ceteros Evangelistas in scribendo praecessisse, et primum Evangelium patrio sermone a Iudaeis palaestinensibus tunc usitato, quibus opus illud erat directum, conscripsisse?

Resp.: Affirmative ad utramque partem.

De antiquitate Evangelii.

III. Utrum redactio huius originalis textus differri possit ultra tempus eversionis Hierusalem, ita ut vaticinia quae de eadem eversione ibi leguntur, scripta fuerint post eventum; aut, quod allegari solet Irenaei testimonium (*Advers. haeres.*, lib. III, cap. I, n. 2), incertae et controversae interpretationis, tanti ponderis sit existimandum, ut cogat reicere eorum

sententiam qui congruentius traditioni censent eandem redactionem etiam ante Pauli in Urbem adventum fuisse confectam ?

Resp. : Negative ad utramque partem.

De S. Matthaei opere.

IV. Utrum sustineri vel probabiliter possit illa modernorum quorundam opinio, iuxta quam Matthaeus non proprie et stricte Evangelium composuisset, quale nobis est traditum, sed tantummodo collectionem aliquam dictorum seu sermonum Christi, quibus tamquam fontibus usus esset alius auctor anonymus, quem Evangelii ipsius redactorem faciunt ?

Resp. : Negative.

De relatione evangelii graeci ad prius a S. Matthaeo conscriptum.

V. Utrum ex eo quod Patres et ecclesiastici scriptores omnes, immo Ecclesia ipsa iam a suis incunabulis, unice usi sunt, tamquam canonico, graeco textu Evangelii sub Matthaei nomine cogniti, ne iis quidem exceptis qui Matthaeum Apostolum patrio scripsisse sermone expresse tradiderunt, certo probari possit ipsum Evangelium graecum identicum esse quod ad substantiam cum Evangelio illo, patrio sermone ab eodem Apostolo exarato ?

Resp. : Affirmative.

De veritate Evangelii.

VI. Utrum ex eo quod auctor primi Evangelii scopum prosequitur praecipue dogmaticum et apologeticum, demonstrandi nempe Iudaeis Iesum esse Messiam a prophetis praenuntiatum et e davidica stirpe progenitum, et quod insuper in disponendis factis et dictis quae enarrat et refert, non semper ordinem chronologicum tenet, deduci inde liceat ea non esse ut vera recipienda ; aut etiam affirmari possit narrationes gestorum et sermonum Christi, quae in ipso Evangelio leguntur, alterationem quandam et adaptationem sub influxu prophetiarum Veteris Testamenti et adultioris Ecclesiae status subiisse, ac proinde historicae veritati haud esse conformes ?

Resp. : Negative ad utramque partem.

De authenticitate quarundam partium.

VII. Utrum, speciatim solido fundamento destitutae censeri iure debeant opiniones eorum qui in dubium revocant authenticitatem historicam duorum priorum capitum, in quibus genealogia et infantia Christi narrantur, sicut et quarundam in re dogmatica magni momenti sententiarum, uti sunt illae quae respiciunt primatum Petri (Matth., XVI, 17-19), formam baptizandi cum universali missione praedicandi Apostolis traditam (Matt., XXVIII, 19-20), professionem fidei Apostolorum in divinitatem Christi (Matth., XIV, 33), et alia huiusmodi, quae apud Matthaeum peculiari modo enuntiata occurrunt ?

Resp. : Affirmative.

Approbatio SS^mi.

Die autem 19 iunii 1911, in audientia utrique infrascripto R^mo Consultori ab Actis benigne concessa, SS^mus Dominus Noster Pius Papa X praedicta responsa rata habuit ac publici iuris fieri mandavit.

Dies (19 iun. 1911.)

Romae die 19 iunii 1911.

Fulcranus Vigouroux, Pr. S. S.
Laurentius Janssens, O. S. B., *Consultores ab Actis.*

518. — S. CONGR. CONCILII

RESCRIPTUM 10 NOV. 1910

De Confraternitatibus (A. A. S. 16 aug. 1911, 3, 390.)

Orator. AD R. P. D. IOSEPHUM BILCZEWSKI, ARCHIEPISCOPUM LEOPOLIENSEM (LEMBURG) RITUS LATINI

Revme Domine uti Frater,

Dubia. Relatis in S. C. Concilii ab A. T propositis dubiis : — 1° An scilicet sufficiant pro erigenda in parochia confraternitate tres sorores religiosae, quae veritates religionis christianae docent, et insuper una persona civilis, quae pueros invigilat tempore discendi ?

I. De numero personarum qui erigendae confraternitati sufficiat.

2° An sit condicio sine qua non ad lucrifaciendas indulgentias, ut omnes, qui inter membra confraternitatis doctrinae christianae in paroecia admitti volunt, in speciali libro inscribantur, et ut habeant cartulam admissionis in confraternitatem ?

II. De sociorum inscriptione.

Responsa. Emi Patres respondendum censuerunt :

Ad I. Ad I. Pro erigenda quacumque confraternitate nullus est praescriptus numerus ascribendorum.

Ad II. Ad II. Negative, nisi confraternitas erecta sit ad modum organici corporis, ita ut haberi debeat uti confraternitas sumpta stricto sensu.

His notificatis eidem A. T. cuncta fausta precor a Domino.

Dies (10 nov. 1910). Die 10 novembris 1910.

uti frater,
C. Card. GENNARI, *Praefectus.*
Basilius Pompili, Secretarius.

ANNOTATIO

Distinctionem istam qua confraternitates strictioris nominis ab aliis iuridice distinguantur, iam memoravimus in opere nostro *De Religiosis* I, n. 551.

---

519. — S. CONGR. RITUUM

DECRETUM 24 MAII 1911

De ascriptione canonicorum inter Praelatos domesticos
(A. A. S. 12 iul. 1911, 3, 317.)

DECRETUM SUPER INTERPRETATIONE MOTUS PROPRII « INTER MULTIPLICES »

Memorato Motu Proprio 21 febr. 1905, Super legitima interpretatione art. II, n. 14 et 34 et art. III, n. 43, in Motu Proprio *Inter multiplices*, diei 21 februarii 1905, Sacrae Rituum Congregationi sequens quaestio proposita fuit :

Dubium *de honore Canonicorum qui ad privilegiata collegia pertinent.*

An Canonicus rite ascriptus Capitulo, quod collegialiter gaudet privilegiis seu insignibus et iuribus ad Protonotarios Apostolicos, vel supranumerarios, vel ad instar participantium pertinentibus, ius aliquod acquisierit, quo inter Praelatos Domesticos cum expeditione Brevis recenseatur ?

Et Sacra eadem Congregatio, audito Commissionis Liturgicae suffragio, reque accurato examine perpensa rescribendum censuit :

Responsum.

Negative, et ascriptionem coetui Praelatorum Domesticorum unice pendere ex benigna liberalitate Summi Pontificis, attentis, in singulis casibus, omnibus circumstantiis et specialibus meritis personae.

Approbatio specialis.

Quam resolutionem, Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem eidem Sacro Consilio Praefectum relatam, Sanctitas Sua ratam habuit et probavit ; simulque eiusmodi interpretationem tamquam veram et authenticam declaravit.

Dies (24 maii 1911).

Die 24 maii 1911.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., Secretarius.*

---

520. — S. CONGR. RITUUM

RESPONSA 8 IUN. 1911

De variis dubiis (A. A. S. 12 iul. 1911, 3, 322.)

Baionen.

Orator.

Dubia.

Ab hodierno Kalendarista Dioecesis Baionensis, praehabito consensu Rev^mi^ Episcopi eiusdem Dioeceseos, Sacrae Rituum Congregationi nova quaedam dubia pro opportuna solutione reverenter exposita sunt ; videlicet :

De praelatione sollemnitatis SS. Ap. Petri et Pauli.

I. Ubi Festum Titularis ex longaeva consuetudine celebratur ad instar Patronorum, Dominica infra Octavam eiusdem cum concursu populi, per unam Missam sollemnem de Festo cum commemoratione Dominicae, utrum sollemnitas S. Ioannis Baptistae Titularis in eandem Dominicam incidens ac sollemnitas Ss. Apostolorum Petri et Pauli in Galliis praeceptiva, debeat huic praeferri, vel in aliam subsequentem Dominicam reponi, utpote non praeceptiva, sed tantum permissa ?

De communione inservientis laici.

II. Utrum laico Missae inservienti ministrari possit Sacra Communio intra Presbyterium et in ora suppedanei Altaris, etiamsi non sit indutus habitu clericali ?

De precibus post missam, in Ia feria VI.

III. Utrum preces post Missam privatam iussu Leonis XIII dicendae, omitti debeant post Missam votivam lectam de SS. Corde Iesu, prima cuiusque mensis feria VI celebratum cum privilegiis Missae votivae solemnis pro re gravi ?

De genuflexione inter Vesperas, exposito SS^mo^.

IV. Quando celebrans ad Vesperas coram SS^mo^ Sacramento exposito Officium facit ad scamnum, debetne, cum accedit ante medium Altaris ad Magnificat, genuflectere unico genu super infimum gradum, vel utroque genu in plano ?

De paratu celebrantis sacerdotis et ministrorum in iisdem.

V. Cum cantantur Vesperae coram SS^mo Sacramento exposito, utrum celebrans possit a principio amictu, alba, stola et pluviali indutus Officium facere, eique Diaconus et Subdiaconus alba, dalmatica et tunica induti assistere a principio Vesperarum, ratione Processionis immediate post Vesperas instituendae, praesertim in Ecclesiis quae pluribus carent pluvialibus pro assistentibus ?

Quid in Quadragesima.

VI. Utrum in Quadragesima, quando Vesperae immediate post Missam sollemnem cantantur, celebrans possit pluviali super albam et stolam indutus Officium facere cum assistentia Diaconi et Subdiaconi dalmatica et tunica indutorum ?

De oratione in sollemnitate beatificat. vel canonizat.

VII. Utrum iuxta Decreta 23 novembris 1906, *Dubia*, ad XI, et 1 februarii 1907, Eremitarum Camaldulensium Montis Coronae, ad X, Oratio *Deus cuius misericordiae non est numerus* in Functione Tridui vel Octidui intra annum post Beatificationem vel Canonizationem, cantari debeat ante *Tantum ergo*, vel in hoc casu servari debeat specialis dispositio Decreti 16 decembris 1902, ad VI, super privilegiis Octidui vel Tridui concedi solitis ?

De novemdiali supplicatione ad Spir. SS.

VIII. Utrum Novemdialis supplicatio quae, ex Litteris Encyclicis Leonis PP. XIII, *Divinum illud munus*, diei 9 maii 1897, Festum Pentecostes praecedere debet, incipi debeat feria VI infra Octavam Ascensionis Domini, ut terminetur in ipsa Vigilia Pentecostes, vel possit iuxta praxim huius Dioeceseos incipi tantum Sabbato, ita ut finem habeat novemdialis supplicatio ipso die Festo Pentecostes ?

Responsa.

Et Sacra Rituum Congregatio, audita Commissionis Liturgicae sententia, omnibus sedulo perpensis, ita respondendum censuit :

Ad I. Ad I. In casu praeferatur sollemnitas Ss. Apostolorum Petri et Pauli in Galliis praeceptiva.

Ad II. Ad II. Affirmative.

Ad III. Ad III. Missa de qua in precibus habeatur uti sollemnis, eique applicari potest Decretum num. 3697, *Ordinis Minorum Capuccinorum S. Francisci*, 7 decembris 1888, ad VII.

Ad IV. Ad IV. Negative ad primam partem ; affirmative ad secundam.

Ad V. Ad V. Negative.

Ad VI. Ad VI. Negative.

Ad VII. Ad VII. Satis provisum in Decreto citato.

Ad VIII. Ad VIII. Affirmative ad primam partem ; negative ad secundam.

Dies (8 iun. 1911). Atque ita rescripsit, die 8 iunii 1911.

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secretarius.*

Annotationes

1. Ad I. Cum ex nuperrimo *Motu proprio de diebus festis* diei 2 iulii 1911, dies festus Nativitatis S. Ioannis Baptistae celebrandus sit, tamquam in sede propria, dominica quae festum ss. Petri et Pauli apostolorum antecedat, haec occurrentia utriusque sollemnitatis in eandem dominicam iam locum habere non potest ; immo iam nullo modo quaestio moveri potest de sollemnitate s. Ioannis Baptistae, cum huius festum semper in dominicam incidat.

2. Ad II. Hoc responsum congruit cum decreto 1074, quo praescribitur ut minister prior communionem accipiat ratione ministerii, quod reapse saepissime valde difficile foret, si ipse sacram communionem recipere non posset in ora suppedanei ; ceteroquin nulla videtur ratio cur minister, qui sine habitu clericali ad altare accedit ad missae inserviendum, non posset accedere ad communionem recipiendam.

3. Ad III. Hoc responsum discedit a solutione data a plerisque auctoribus [1], qui contendebant ad praedictas preces omittendas non sufficere ut missa lecta aequiparetur sollemni, sed exigebant ut reapse sit sollemnis vel cantata, aut conventualis (decr. 3697 ad 7) caracterem vero missae conventualis ab hac missa votiva abiudicabant. Ex praesenti responso concludi potest has preces pariter omitti posse post missam ordinationis, post missam exsequialem lectam, necnon post missam quam immediate praecedit benedictio candelarum, cinerum vel palmarum, utpote per se conventuales.

4. Ad IV. Responsio concordat cum decr. Westmonasterien, 27 maii 1911 ad 11 [2].

5. Ad V. Ex decreto tamen 3593 ad 2 et Baionen 27 maii 1911 ad XII [3], celebrans amictum et stolam induere potest dummodo e presbyterio ne recedatur ; prohibitio proin videtur cadere in assistentiam diaconi et subdiaconi paratorum.

6. Ad VII. Regulariter, quando coram Sanctissimo exposito cantatur hymnus *Te Deum,* statim post praedictum hymnum, et antequam cantetur *Tantum ergo,* dici debent versiculi cum oratione *Deus, cuius misericordiae* [4] ; postremo vero tridui vel octidui die intra annum post sollemnem canonizationem vel beatificationem celebrandi, ex decreto 16 dec. 1902 ad 6, hymnus *Te Deum* cum *Tantum ergo* et orationibus de Sanctissimo Sacramento ac pro gratiarum actione, *sub unica conclusione*, numquam omitti potest. Quo casu, ut patet, non dicuntur versiculi post *Te Deum* cantari soliti.

Ios. Pauwels, S. I.

---

1 Ephemerides liturgicae, t. 10, p. 699. — Victorius ab Appeltern, *Manuale liturgicum*, t. 1, p. 192.
2 Cfr. supra, p. 61.
3 Cfr. supra, p. 62.
4 Cfr. resp. 1 febr. 1907.

521. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

RESCRIPTUM EX AUD. SS[1] 20 DEC. 1910

Quintus socius Magistri Generalis Ord. Praedicatorum privilegiis priorum quattuor donatur [1]

Privilegia quattuor assistentium

Ab antiquis temporibus Magister Generalis Ordinis Praedicatorum Socios seu Assistentes Consiliaros quattuor habet, qui Provinciales titulares quattuor Provinciarum desolatarum dicuntur, et iure suffragii in Capitulis Generalibus gaudent, e quibus etiam duos Magisterii in sacra theologia honore potest Magister Generalis decorare, ex concessione Iulii III, 15 septembris 1553, et Benedicti XIV, 6 maii 1752.

Cur quintus addendus. Votum Capituli Generalis.

Cum autem, ob negotiorum multiplicitatem, iam ab aliquibus annis, iis quattuor Sociis quintum adiungere necessarium visum fuerit, aequum existimavit Capitulum Generale, mense septembri huius anni Romae celebratum, ut qui laboris et oneris particeps fit, iisdem etiam honoribus et privilegiis fruatur ; et ideo Magistro Generali commisit, ut ab apostolica Sede pro quinto Socio ea impetraret.

Orator. **Petitio.**

Quapropter frater Hyacinthus Maria Cormier, Ordinis Praedicatorum Generalis Magister, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter implorat sibi suisque successoribus fieri facultatem illum quintum Socium instituendi in Provincialem titularem Lithuaniae, eum ad magisterii gradum promovendi eique omnia iura et privilegia concedendi, quibus alii quattuor Provinciales Socii Magistri Generalis ex Apostolica concessione et ex Ordinis constitutionibus fruuntur et gaudent.

Et Deus.

Gratia.

Ex audientia Sanctissimi, habita ab infrascripto Cardinali sacrae Congregationi de Religiosis Praefecto, die 20 decembris 1910 : Sanctitas Sua, attentis expositis, benigne annuit reverendissimo Patri Magistro Generali Oratori pro gratia in omnibus, iuxta preces.

Clausula.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dies (20 dec. 1910).

Datum Romae, die, mense et anno ut supra.

Fr. I. C. Card. Vives, *Praef.*
† *Donatus Arch. Ephesinus, Secret.*

---

522. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

DECRETUM EX AUD. SS[1] 28 APRIL. 1911

Varias Fratrum Minorum provincias in Austria et Italia dividens

Enumerantur provin-

Sanctissimus Dominus Noster Pius Divina Providentia Papa X, repetitis diversisque votis Sibi oblatis mature perpensis, decernere dignatus est,

---

[1] Transcriptum ex ANALECTA ECCLESIASTICA, t. 19, p. 289.

ut in Provinciis Ianuensi, Bononiensi, SS. Stigmatum, S. Bonaventurae, et S. Iosephi in Thuscia, Terrae Laboris, Principatus, Lyciensi, Vallis Nemoris et Vallis Mazariae in Italia, necnon in Provincia Galiciae Ordinis Fratrum Minorum efficacior evadat Moderatorum Provincialium sollicitudo, facilior maturiorque singulorum Conventuum visitatio, et ut fraterna dilectio animorumque coniunctio vel plene restituatur vel perfecta efficiatur, attentis insuper Conventuum numero aliisque gravibus de causis Animum Suum moventibus, unamquamque ex supradictis Provinciis dividendam vel, ob specialissimam causam, aliter circumscribendam decrevit : simulque sollemniter confirmandum praecepit principium canonicae unionis quattuor ex-familiarum Ministro Generali totius Ordinis Minorum subiectarum, a Leone XIII auspicato peractae : quam unionem non solum integram, firmam et incolumen vult servatam, immo strictiorem et in mutua caritate magis in dies solidatam ; prohibens omnino, ne Provinciae divisae aliam vitae rationem sequantur, quae vere absona sit a Constitutionibus Generalibus, Caerimoniali liturgico et Rituali Ordinis iam rite a S. Sede approbatis, nec ad unam vel aliam ex antiquis familiis pertinere dicantur, neve uno alterove antiquarum familiarum nomine sive publice, sive privatim a Superioribus vel subditis vocentur ; servatis semper tum Bulla « Felicitate quadam », tum decretis et declarationibus praefatae Sanctitatis Suae circa Triplicem Seraphici Patris Familiam earumque Supremos Moderatores aliisque Apostolicis praescriptionibus. In praefata autem divisione sequentia servanda praescribit Summus Pontifex, videlicet :

ciae quae pacis tutandae causa dividendae videntur.

Confirmatur omnino unio inducta a Leone XIII.

Describuntur deinde, a n. I-VIII, *novae provinciae eorumque territoria. Praeterea,*

IX. — Harum Provinciarum Moderatores, ipsa huius decreti promulgatione per Revmum P. Procuratorem Generalem O. F. M. facta constituuntur, et constituti ad proximum triennium declarantur, nulla renuntiatione sub quovis praetextu admissa, sequentes : videlicet Provinciae....

S. Pontifex provinciales administrationes constituit.

Sequuntur tum nomina eorum qui singulis 21 provinciis constituuntur Provincialis, Custos et Definitores.

X. — Omnes religiosi Ordinem ingressi ante Provinciarum fusionem ad illam Provinciam pertineant in qua ad Ordinem recepti sunt a Ministris Provincialibus quorum domicilium et series ante praedictam Provinciarum fusionem sequentibus locis seu conventibus fixa erant, videlicet :

Ad quamnam provinciam pertineant Religiosi ante fusionem recepti.

Sequitur demum enumeratio provinciarum ad quas pertineant religiosi, pro Provinciali a quo recepti essent.

XI. — Religiosi vero qui Ordinem ingressi sunt post fusionem Provinciarum, et nati sunt in territorio unius ex praedictis Provinciis, ad eam Provinciam pertineant in cuius territorio nati sunt. Si qui sunt Religiosi nati extra territorium Provinciarum respective divisarum, ad unam vel ad aliam possunt optare.

Et religiosi post fusionem ingressi.

XII. — Facultas pariter omnibus Religiosis tam ante quam post fusionem Ordinem ingressis conceditur optandi ad unam vel aliam ex respectivis Provinciis divisis, dummodo Definitorio propriae Provinciae illud notum fecerint et a Definitorio illius Provinciae ad quam optaverint recepti fuerint [1].

Optio relicta religiosis.

[1] Quae facultas optandi dein revocata est a S. Congregatione, quod ad utramque Provinciam Bononiensem (Ex. ACTA ORD. F. M., pag. 229).

XIII. — Iure autem optionis Religiosi, in Italia et in Galicia actu permanentes, uti possunt intra septem dies tantum a notitia huius decreti; qui vero extra Italiam et extra Galiciam commorantur, intra annum.

Prohibitio omnis formae suasionis.

XIV. — Praecipitur tamen omnibus et singulis religiosis sub praecepto S. Oboedientiae ne ullo modo, sive dictis, sive scripto, vel quacumque alia forma suasionis, negotio optionis religiosorum se immisceant, ut iis liberum sit eam sui territorii provinciam eligere quae magis placuerit.

Ordo praecedentiae.

XV. — Quod attinet ad praecedentiam Provinciarum in eodem territorio divisarum, illa eam obtinebit in qua Conventus pro sede Provincialis assignatus antiquior erit. Quod autem spectat ad praecedentiam istarum relate ad reliquas Ordinis Provincias, unaquaeque Provinciarum divisarum sive Decretis 15 octobris et 8 ianuarii 1911, sive praesenti Decreto, eam habebit praecedentiam quae vi legis ante Provinciarum fusionem ad antiquiorem pertinebat; ita ut Provinciarum nunc divisarum altera alteram immediate sequatur.

Praeceptum divisionem confirmans.

XVI. — Vult autem Sanctitas Sua ac stricte praecipit ut limites seu fines territoriales, pro unaquaque Provincia designati ac statuti, firmi atque stabiles remaneant, nec ullus audeat, quovis modo et sub quocumque praetextu, illos umquam mutare, aut contra eos ne per modum quidem novae petitionis, reclamare.

Moderatores nominati censentur iam possidentes.

XVII. — Praesentium vigore Moderatores supradicti pro unaquaque Provincia assignati, ipso facto, possessionem suorum officiorum sumpsisse censendi sunt, omnibusque proprii muneris iuribus potiri.

Parantur ipsis normae.

XVIII. — Ad rectum communitatum regimen, ad abusus eliminandos, ad tutamen et perfectionem religiosae observantiae, Superioribus Provincialibus tradentur normae speciales, a singulis fideliter observandae.

Clausula.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, non obstantibus.

Fr. J. C. Card. Vives, *Praef.*
† *Donatus, Arch. Ephesinus, Secret.*

Annotatio

Post varia praecepta et decreta, supra, t. 5, n. **337**, p. 27 ss.; **372**, p. 90; **426**,H, p. 182; **446**, p. 216 ss. et t. 6, n. **483**, p. 4, in Periodicis istis relata, quibus S. Pontifex tres Franciscanas Familias aequalis esse iuris statuit, et, ubicumque ambiguum esset, iussit ut *Fratres Minores ab unione Leoniana* appellarentur, haec ipsa unio videtur pluribus minus grata facta esse, ita ut de restituendis usibus propriis, propter Leonianam Unionem derelictis, cogitari coeptum sit. Hinc novum istud decretum quo, omnino confirmata Unione Leoniana, fovendae mutuae paci nova Provinciarum divisione et constitutis praepositis consulitur. Cum cetera decreta dedissemus, neque istud praetereundum duximus, exceptis tamen longis personarum vel conventuum numerationibus. Decretum videntur ex Acta Ordinis Fratrum Minorum, Analecta Ecc[a] (t. 19, p. 284 ss.) exscripsisse, unde ad nos etiam pervenit.

523. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

DECRETUM 30 IUN. 1911

Privilegia Ordinis Franciscani communicantur cum Ursulinis (A. A. S. 16 aug. 1911, 3, 391.)

Oratrices.

Superiorissae Societatis quam Sancta Angela Mericia, sicut caelesti voce ac visione mandatum sibi fuerat, sub certa disciplina sanctisque vivendi regulis constituit, quamque Sanctae Ursulae invictae Virginum ducis patrocinio ac nomine insignivit, Sanctissimo Domino nostro Pio Papae Decimo preces porrexerunt, ab Emo Cardinali Archiepiscopo Mediolanensi et ab aliis plurium locorum Ordinariis commendatas, ad obtinendas per specialem favorem Indulgentias et privilegia Franciscali Ordini concessa.

Petitio.

Gratia *ex aud. 20 iun. 1911.*

Sanctissimus vero Dominus noster, in Audientia habita ab infrascripto Cardinali Sacrae Congregationis Religiosorum Praefecto, die XX iunii anno MCMXI, attento praesertim quod Fundatrix Ursulinarum Sancta Angela Mericia habitum et regulam Tertii Ordinis Franciscalis amplexa sit, eaque de causa in universo Seraphico Ordine gaudeat officio duplici maiori; ad augendum iuxta spiritum Beatae Fundatricis inter eiusdem filias studium in promovenda vita christiana et in curandis apud privatas familias et in ipsa societate bonis operibus, praesentis Decreti tenore, canonicam aggregationem Tertio Franciscali Ordini, ad instar aliarum Congregationum Seraphico Ordini pariter aggregatarum, concedere dignatus est, quatenus opus sit, et iuxta preces, salva semper eiusdem Societatis autonomia et independentia ad normam iuris.

Dies (30 iun. 1911).

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die 30 iunii 1911.

Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus.*
† *Donatus Archiep. Ephesinus, Secretarius.*

Annotatio

Gratia ista extraordinaria est, cum sine consuetis condicionibus canonicam aggregationem concedat. Cum autem facta sit uni Ursulinarum Societati, non videtur, sine nova declaratione, prodesse variis conventibus Ursulinarum quae in Anglia, Belgio et Germania omni vinculo cum ista Societate solutae sub Ordinariorum auctoritate existunt.

524. — EX AUDIENTIA SS[i]

RESCRIPTUM 11 IUL. 1911

Privilegia eucharistici pauperum senum foederis Lovaniensis [1]

Beatissime Pater,

Proposita institutione sodalicii Lovaniensis, et descriptis eius legibus,

Eucharisticum pauperum senum foedus, Lovanii in domo Sororum pauperum, ad fovendam cotidianam communionem constitutum, Emus Archiepiscopus Mechliniensis, die 1a iulii 1911, in canonicam confraternitatem erexit.

Finis istius sodalicii est ut per pium et assiduum eucharisticae dapis usum ac faciliorem inde factam virtutum exercitationem, senes qui apud Sorores pauperum hospitantur, ex humilore sua conditione, ex habitatione in pia domo, et bene ordinata vitae ratione, insitos non solum iustitiae sed christianae perfectionis fructus percipiant.

Quocirca confraternitatis *Statuta* id ferunt ut socii non tantum, probante confessario, quinquies saltem in singulis hebdomadis ad sacram mensam accedere soleant, sed praeterea nitantur bono docilitatis exemplo, grati animi erga Sorores testificatione, mutua caritatis exhibitione, et sedula temperantiae in potu cura, inter ceteros senes eminere. Dum sic duplici propensioni ad egoïsmum et sensualitatem obsistunt, spem dant ut a Domini Spiritu in Ipsius imaginem transformentur a claritate in claritatem. Porro, ex cotidianis communionibus novem, singulis mensibus, in potissimos christianae pietatis fines dirigunt, id est, in honorem Sacratissimi Cordis, pro Summo Pontifice et Ecclesia, pro Archiepiscopo Mechliniensi eiusque dioecesi, pro Rege et Patria, pro Sororibus et hospitio Lovaniensi et pro eius benefactoribus, pro Instituto Sororum Pauperum, pro senibus qui apud Sorores hospitantur, pro Fidei propagatione, pro conversione peccatorum : huiusmodi enim apostolicis intentionibus corda sancte dilatabuntur omnique bono cooperari pauperes senes docebuntur.

atque successu,

Successus porro institutionis spem minime fefellit, immo superavit. Quamvis enim plures morbo vel senio cotidiana communione arceantur, iam ex 120 senibus, circa 50 (nec viri mulieribus numero cedunt), sacra dape cotidie reficiuntur. Quorum exemplo permoti alii etiam frequentius caelestem panem appetere coeperunt.

Postulantur

Quae cum ita sint, ad S. V. nomine istius sodalicii supplices preces porriguntur ut pro suo studio fideles divino cibo pascendi, et pio in pauperes senes affectu, thesauros Ecclesiae confratribus misericorditer aperire dignetur.

Gratiae spirituales,

Si id patefacere liceat, hoc praecipue est in votis, ut socii *eucharistici pauperum senum foederis* possint, ipso Communionis quasi cotidianae usu, frui, singulis hebdomadis plenaria indulgentia quam fideles quilibet impetrare possunt a confessariis qui *eucharistico sacerdotum foederi* nomen dederint (senes enim expeditam facultatem non habent adeundi confessarium quemlibet, ita ut socium foederis eucharistici eligere queant);

---

[1] Ex litteris authenticis transumptum.

— et, praeterea, singulis mensibus, in prima fer. VI, qua generalis communio celebrari consuevit, a sacerdote celebrante apostolica benedictio cum plenaria indulgentia defunctis applicabili, sociis praefatae confraternitatis impertiri possit.

et facultas aggregandi similia sodalicia.

Gratissimo etiam animo accepta fuerit facultas qua Rector pro tempore istius confraternitatis, similes laïcorum consociationes, ad promovendam cotidianam communionem institutas, confraternitati Lovaniensi communicatis privilegiis et indulgentiis aggregare possit.

Magna quidem privilegia postulantur, sed pro senibus pauperibus a Vicario Christi qui pauperum amantissimum se demonsttavit.

Et Deus, etc.

Has preces enixe commendamus,
† *Des. Ios. Card. Mercier, Arch. Mechl.*

EX AUDIENTIA SS^mi

Audientia SS^i.

Die 11 iulii 1911

Dies (11 iul. 1911).

Gratiae.

SS^mus, auditis retro expositis, sodalibus omnibus ascriptis et ascribendis confraternitati *Eucharistici pauperum senum foederis*, in domo Sororum pauperum Lovanii canonice erectae, qui Eucharisticam communionem quinquies saltem in hebdomada frequentant, plenariam indulgentiam, fidelibus etiam in Purgatorio detentis profuturam, consequi posse benigne concessit. Singulis insuper mensibus in prima feria VI in qua generalis habebitur communio, sacerdoti celebranti facultatem tribuit benedictionem apostolicam impertiendi, qua plenariam indulgentiam, defunctis etiam applicabilem, omnes, qui sacramento paenitentiae expiati et Sacra Communione refecti fuerint, consequi valeant. Quod vero ad alias similes laïcorum consociationes, providebitur in casibus particularibus. Contrariis quibuscumque minime obstantibus, et praesertim Motu proprio diei aprilis 1910.

Quid de similibus sodaliciis.

In quorum fidem, etc.

CASIMIRUS Card. GENNARI.

ANNOTATIO

Singularem istam gratiam cum cultoribus cotidianae communionis eo magis communicandam duximus quod S. Pontifex propensum se ostendit ad eandem similibus consociationibus elargiendam. Qua vero via id commodius obtineatur, Rector modo dictae confraternitatis Lovaniensis poscentem libenter docebit.

---

525. — S. RITUUM CONGREGATIONIS

RESPONSUM 18 IUL. 1911

De S. Pyxidis illuminatione (A. A. S. 16 aug. 1911, 3, 396.)

Dubium. Expostulatum est a Sacrorum Rituum Congregatione : Utrum liceat, iuxta prudens Ordinarii iudicium, tempore expositionis

Dubium.

privatae vel publicae, interiorem partem Ciborii cum lampadibus electricis in ea collocatis illuminare, ut Sacra Pixis cum Sanctissimo Sacramento melius a fidelibus conspici possit ?

Responsum. Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito Commissionis Liturgicae suffragio, praepositae quaestioni respondendum censuit : *Negative.*

Dies (28 iul. 1911). Atque ita rescripsit, die 28 iulii 1911.

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., Secretarius.*

---

526. — SS. D. N. PII PP. X

MOTU PROPRIO 2 IUL. CUM DECRETIS S. R. C. 24, 28 IUL. ET 7 AUG. ; ET S. C. C. 8 AUG. 1911

De diebus festis

A. *Motu Proprio 2 iul. 1911* (A. A. S. 12 iul. 1911, 3, 305)

Pro more RR. Pontificorum, attentis adiunctis hodiernis, quae describuntur, et oblatis precibus, S. Pontifex legem de festis de praecepto temperandam esse duxit.

Supremi Disciplinae Ecclesiasticae custodes et Moderatores Pontifices Romani, si quando christiani populi bonum id Ipsis suaderet, sacrorum Canonum sanctiones relaxare benigne consueverunt. Nos quidem Ipsi, quem ad modum iam alia, ob mutatas temporum et civilis societatis condiciones, immutanda existimavimus, ita etiam in praesens ecclesiasticam legem de festis diebus ex praecepto servandis, ob peculiaria aetatis adiuncta, opportune temperandam censemus. Lata enim terrarum marisque spatia, mira nunc celeritate homines percurrunt, facilioremque per expeditiora itinera aditum ad eas nationes nanciscuntur quibus minor est festivitatum de praecepto numerus. Aucta etiam commercia, et citatae negotiorum tractationes videntur ex interposita frequentium festorum dierum mora aliquid pati. Succrescens denique in dies rerum ad vitam necessariarum pretium stimulos addit, ne saepius servilia opera ab illis intermittantur quibus est victus labore comparandus.

His de causis iteratae preces, praesertim postremis hisce temporibus, Sanctae Sedi adhibitae sunt ut festivitatum de praecepto numerus minueretur.

Haec omnia Nobis animo repetentibus, qui unam christiani populi salutem cordi habemus, opportunum maxime consilium visum est festos dies ex Ecclesiae mandato servandos imminuere.

Quare : Itaque, Motu Proprio et matura deliberatione Nostra, adhibitoque consilio Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium qui ad Ecclesiae leges in Codicem redigendas incumbunt, haec quae sequuntur de festis diebus edicimus observanda.

Festa in posterum servanda numerantur. I. Ecclesiastico praecepto audiendi Sacri et abstinendi ab operibus servilibus hi tantum, qui sequuntur, dies subiecti manebunt · Omnes et singuli dies dominici, festa Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae et Ascensionis Domini Nostri Iesu Christi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Almae Genitricis Dei Mariae, Beatorum Petri et Pauli Apostolorum, Omnium denique Sanctorum.

II. Dies festi Sancti Ioseph, Sponsi Beatae Mariae Virginis, et Nativitatis Sancti Ioannis Baptistae, uterque cum octava, celebrabuntur, tamquam in sede propria, prior, Dominica insequente diem XIX martii, immoto permanente festo si dies XIX martii in Dominicam incidat ; alter, Dominica quae festum Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum antecedat. Festum vero Sanctissimi Corporis Christi, idemque cum octava privilegiata, Dominica post Sanctissimam Trinitatem, tamquam in sede propria, celebrabitur, statuta pro festo Sacratissimi Cordis Iesu feria VI intra octavam.

Tria festa S. Ioseph, S. Ioannis Bapt. SS. Corporis Christi in dominica, tamquam in die propria, cum octava celebrentur.

III. Ecclesiastico praecepto, quod supra diximus, dies festi Patronorum non subiacent. Locorum autem Ordinarii possunt sollemnitatem exteriorem transferre ad Dominicam proxime sequentem.

Specialis dispositio de festo SSi Cordis, et de Patronis.

IV. Sicubi aliquod festum ex enumeratis legitime sit abolitum vel translatum, nihil inconsulta Sede Apostolica innovetur. Si qua vero in natione vel regione aliquod ex abrogatis festis Episcopi conservandum censuerint, Sanctae Sedi rem deferant.

Quid de speciali iure regionum.

V. Quod si in aliquod ex festis quae servata volumus, dies incidat abstinentiae vel ieiunio consecratus, ab utroque dispensamus ; eandemque dispensationem etiam pro Patronorum festis, hac Nostra lege abolitis, concedimus, si tamen sollemniter et cum magno populi concursu ea celebrari contingat.

Dispensatio a ieiunio et abstinentia in servatis festis, immo in suppresso festo Patroni.

Novum Apostolicae sollicitudinis argumentum huiusmodi praebentes, spem Nos certam fovemus, fideles universos iis etiam diebus quos nunc de numero festivitatum praecepto obstrictarum expungimus, suam in Deum pietatem et in Sanctos venerationem, non minus quam antea, fore testaturos, ceterisque diebus festis qui in Ecclesia servandi supersunt, diligentiore, quam antehac, studio observandum praeceptum curaturos.

Votum S. Pontificis.

Contrariis quibusvis, licet speciali et individua mentione dignis, non obstantibus.

Clausula.

Datum Romae, apud S. Petrum, die II mensis iulii MCMXI, Pontificatus Nostri anno octavo.

Dies (2 iul. 1911).

PIVS PP. X.

B. *S. Rituum C. Decretum 24 iulii 1911.* **Urbis et Orbis.** (A. A. S. 31 iul. 1911, 3, 350.)

Evulgato *Motu Proprio* Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae X *De diebus festis,* die 2 iulii vertentis anni, nonnulli Sacrorum Antistites, ne accidat ut dies Octava S. Ioseph, in Dominicis privilegiatis Quadragesimae occurrens, nullam in Officio et Missa commemorationem accipiat, et Officium dierum infra Octavam, Tempore Passionis adveniente, saepius omitti debeat, ab Ipso Sanctissimo Domino Nostro instantissime petierunt, ut ad augendum cultum erga S. Ioseph, Ecclesiae Universalis Patronum, Festum Eius die 19 martii sine feriatione et sine Octava recolatur ; Festum vero Patrocinii Eiusdem iuribus et privilegiis omnibus quae Patronis principalibus competunt, augeatur, et sub ritu duplici primae classis cum Octava celebretur, prout iam in aliquibus locis et institutis recoli legitime consuevit ; eo vel magis quod Tempus Paschale aptius recolendae sollemnitati conveniat, et Festum idem in Dominica III post Pascha numquam impediri valeat.

Instantiae Episcoporum de Motu Proprio 2 iul. 1911.

Item R^mi Episcopi, quod ad Sollemnitatem Sanctissimi Corporis Christi,

ab Eodem Sanctissimo Domino Nostro humillimis precibus postularunt, quod, remanente Feria V post Dominicam SS^mae Trinitatis Eius Festo, absque tamen feriatione, externa Sollemnitas ad insequentem Dominicam transferatur.

Hinc novae de festis diebus sanctiones.

Sanctissimus Dominus Noster, referente infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, audito Commissionis Liturgicae suffragio, huiusmodi votis clementer deferens, firmo remanente *Motu Proprio* quod ad reliqua Festa, statuit et decrevit :

De festo S. Ioseph natali.

I. Festum Natale S. Ioseph, die 19 martii, sine feriatione et sine Octava, sub ritu duplici primae classis recolatur, adhibito titulo : *Commemoratio Sollemnis S. Ioseph, Sponsi B. M. V., Confessoris.*

Eiusque patrocinii.

II. Festum Patrocinii Eiusdem S. Ioseph Dominica III post Pascha, sub ritu duplici I classis cum Octava, addita Festi primarii qualitate, recolatur sub titulo : *Sollemnitas S. Ioseph, Sponsi B. M. V., Confessoris, Ecclesiae Universalis Patroni.*

III. Diebus infra Octavam et die Octava Sollemnitatis S. Ioseph adhibeatur Officium uti prostat in Appendice Octavarii Romani.

De festo SS. Trinitatis.

IV. Festum Sanctissimae Trinitatis, Dominicae I post Pentecosten affixum, amodo sub ritu duplici primae classis recolatur.

De festo SS. Corporis Christi

V. Festum Sanctissimi Corporis Christi celebretur, absque feriatione, sub ritu duplici primae classis et cum Octava privilegiata, ad instar Octavae Epiphaniae, Feria V post Dominicam SS^mae Trinitatis, adhibito titulo : *Commemoratio Sollemnis Sanctissimi Corporis Domini Nostri Iesu Christi.*

et dominicali sollemnitate.

VI. Dominica infra Octavam huius festivitatis, in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, recitato Officio cum relativa Missa de eadem Dominica, unica Missa sollemnis cani potest, uti in Festo, cum *Gloria*, unica Oratione, Sequentia, *Credo* et Evangelio S. Ioannis in fine. Ubi vero non adsit Missae Conventualis obligatio, addatur sola commemoratio Dominicae sub distincta conclusione, eiusque Evangelium in fine. Hac vero Dominica peragatur sollemnis Processio cum SS^mo Sacramento, praescripta in Caerimoniali Episcoporum, lib. II, cap. XXXIII.

De Festo Sacr. Cordis Iesu.

VII. Feria VI post Octavam celebretur, ut antea, Festum Sacratissimi Cordis Iesu, sub ritu duplici primae classis.

Vis praesentis decreti.

Valituro praesenti Decreto etiam pro Familiis Regularibus et Ecclesiis ritu latino a Romano diverso utentibus. Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis.

Dies (24 iul. 1911).

Die 24 iulii 1911.

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., Secretarius.*

C. *S. Rituum C. Decretum 28 iul. 1911.* (A. A. S. 31 iul. 1911, 3, 352.)

Variae explicationes liturgicae.

Ad quasdam liturgicas quaestiones de diebus Festis nuper propositas enodandas, inspecto *Motu Proprio* Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae X diei 2 iulii vertentis anni 1911, una cum subsequenti Decreto *Urbis et Orbis* Sacrorum Rituum Congregationis diei 24 eiusdem mensis et anni, Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito Commissionis Liturgicae suffragio, atque approbante Ipso Sanctissimo Domino Nostro, haec statuit ac declaravit :

De festo nativitatis S. Ioannis Baptistae.

I. Cum Festum Nativitatis S. Ioannis Baptistae in posterum celebrandum sit Dominica immediate antecedente Festum Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac proinde duae Octavae simul occurrere possint ; hoc in casu agatur Officium de Octava Nativitatis S. Ioannis cum commemoratione Octavae SS. Apostolorum.

De vigilia eiusdem festi.

II. Vigilia Nativitatis S. Ioannis Baptistae affigatur Sabbato ante Dominicam quae praecedit Festum SS. Apostolorum Petri et Pauli. Quando in hoc Sabbato simul occurrant Vigilia Nativitatis S. Ioannis et Vigilia SS. Apostolorum, fiat Officium de prima, cum commemoratione alterius in Missa tantum. Si vero in hoc Sabbato incidat Festum sive Officium ritus duplicis aut semiduplicis, nona lectio erit de Vigilia Nativitatis S. Ioannis, et in Missa fiat commemoratio utriusque Vigiliae.

Quid in cathedralibus et collegiatis ecclesiis faciendum sit.

III. In Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, in casu praecedenti, dicatur post Nonam Missa de Vigilia Nativitatis S. Ioannis cum commemoratione Vigiliae SS. Apostolorum. Si vero occurrat Festum IX lectionum, dicantur duae Missae Conventuales, una de Officio currenti post Tertiam, altera de Vigilia Nativitatis S. Ioannis post Nonam, cum commemoratione Vigiliae SS. Apostolorum.

Quid si festum S. Ioann. Bapt. inciderit in 28 iun.

IV. Si Festum Nativitatis S. Ioannis Baptistae incidat in diem 28 iunii, secundae Vesperae integrae erunt de hac sollemnitate, cum commemoratione sequentis Festi SS. Apostolorum, iuxta Rubricas.

De missis votivis et de Requie, in octava Corporis Christi et aliis diebus festivis.

V. Cum ex Decreto supracitato diei 24 iulii 1911 ad instar Octavae Epiphaniae sit privilegiata Octava Commemorationis sollemnis Sanctissimi Corporis D. N. I. C., infra hanc Octavam prohibentur etiam, tum Missae votivae pro sponsis, tum Missae cum cantu de Requie pro prima vice post obitum, vel eius acceptum nuntium ; die vero Octava prohibentur Missae privatae de Requie, quae die vel pro die obitus alias cum exsequiali Missa permittuntur.

VI. Missa cum cantu de Requie die vel pro die obitus, aut depositionis, praesente, insepulto, non ultra biduum, cadavere, vetita est in sequentibus Festis nuper suppressis, nempe Commemorationis sollemnis Sanctissimi Corporis Christi, Annuntiationis B. M. V., Commemorationis sollemnis S. Ioseph, et Patroni loci.

VII. Item praedicta Missa inhibetur in Festis Sollemnitatis S. Ioseph, Sanctissimae Trinitatis, et in Dominica in quam transfertur sollemnitas externa Commemorationis SS^mi Sacramenti.

Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis.

Die 28 iulii 1911.

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secretarius.*

D. *S. Rituum C. Responsum 7 aug. 1911.* (A. A. S. 16 aug. 1911, 3, 397.)

Dubitandi occasio.

Cum ex *Motu Proprio* Sanctissimi Domini Nostri Pii Papae X diei 2 elapsi mensis iulii, Festum Nativitatis S. Ioannis Baptistae, a die 24 iunii perpetuo translatum, assignatum fuerit Dominicae ante Sollemnia SS. Apostolorum Petri et Pauli, tamquam in sede propria, nonnulli R^mi Episcopi, paragraphum quartum eiusdem *Motus Proprii* perpendentes, quo cautum est in locis peculiari Indulto Apostolico utentibus nihil esse innovandum inconsulta Sede Apostolica, huic dispositioni obtemperantes,

Dubium *de celebratione festi S. Ioannis Baptistae.*

ipsam Sanctam Sedem adierunt, reverenter postulantes a Sacra Rituum Congregatione :

Utrum Dioeceses ubi hucusque Festum Nativitatis S. Ioannis Baptistae quofannis celebratum est die 24 iunii cum Apostolica dispensatione a Feriatione, possint hunc diem retinere, vel potius debeant sumere praefatam Dominicam in Kalendario Universali nuper assignatam Nativitati Sancti Praecursoris Domini ?

Responsum

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, attento novissimo *Motu Proprio* « De diebus festis » una cum subsequentibus declarationibus, propositae quaestioni rescribendum censuit : *Negative ad primam partem ; affirmative ad secundam.*

Approbatio SSmi.

Hanc vero resolutionem Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X ratam habuit, probavit atque servari mandavit.

Dies (7 aug. 1911).

Die 7 augusti 1911.

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus.*
† *Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secretarius.*

E. *S. C. Concilii, Responsa 8 aug. 1911.* **Romana et aliarum.** (A. A. S. 16 aug. 1911, 3, 391.)

Dubiorum occasio et **Dubia.**

Sacrae Congregationi Concilii circa interpretationem eorum quae nuperrimo Motu Proprio *De diebus festis* a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X die 11 [1] mensis iulii hoc anno 1911 edito constituta sunt, dubia quae sequuntur enodanda proposita fuerunt :

De Missa pro populo.

I. An in festis nuperrimo Motu Proprio suppressis quod ad forum, nempe SSmi Corporis Christi, Purificationis, Annuntiationis et Nativitatis B. M. V., S. Ioseph Sponsi eiusdem B. M. V., S. Ioannis Apostoli et Evang., et Patroni cuiusque loci vel dioecesis, obligatio remaneat Sacrum faciendi pro populo.

De celebratione in ecclesiis cathedralibus et collegiatis.

II. An in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis omnia in praedictis festis suppressis servanda sint prout in praesenti sive quod ad officiaturam choralem, sive quod ad sollemnitatem tum Missarum tum Vesperarum.

De festis celebrandis ex voto vel constituto.

III. An festa ex voto vel constituto, auctoritate etiam ecclesiastica firmato sancita, a numero festorum cum obligatione sacrum audiendi vigore novissimae huius legis expungantur.

De initio obligationis.

IV. An eadem lex novissima de diebus festis servandis immediate vigeat.

Responsum *ex speciali SSi facultate.*

S. C. Concilii omnibus mature perpensis, ex speciali facultate a SSmo D. N. Pio PP. X tributa, ad omnia haec dubia respondendum censuit : *Affirmative.*

Dies (8 aug. 1911).

Datum Romae ex Secretaria S. C. Concilii, die 8 augusti 1911.

C. Card. Gennari, *Praefectus.*
B. Pompili, Secretarius.

Annotationes

A. *Observationes generales*

1. Ex ecclesiastica disciplina, plena celebratio festi *de*

[1] Sic Acta Apostolicae Sedis. Lex tamen Motu Proprio lata ad 2 diem iulii est ascribenda.

praecepto complectitur a) Obligationem audiendi sacrum ; b) Prohibitionem operum servilium ; c) Missam pro populo ; d) Facultatem habendi ordinationes ex privilegio ordinandi extra tempora ; e) Facultatem proclamandi banna matrimonialia.

Age porro, postremum festorum universalium ex praecepto in Ecclesia latina celebrandorum catalogum promulgavit Urbanus VIII, C. *Universa*, 13 sept. 1642, nisi quod Clemens XI, C. *Commissi*, 6 dec. 1708, in album festorum iure communi celebrandorum, festum Immaculatae Conceptionis restituit.

Multis tamen indultis *particularibus*, catalogus iste est temperatus quod ad obligationem audiendi sacrum et vacandi ab operibus servilibus. Quod ad tres autem posteriores effectus plenam suam vim servavit.

Nunc autem SS. D. N. Pius Pp. X, tribus motus rationibus quae in Motu Proprio exponuntur, novam legem communem condidit de celebratione festorum.

2. Hinc statim magna quaestio moveri potuit de vi atque efficacia novae istius legis, id est utrum quinque memorati effectus in posterum nova lege aestimandi forent, an contra nonnulli, id est tres posteriores, lege Urbani VIII sicut antea regerentur, ita ut, quod satis mirum videri potest, Ecclesia duplici festorum catalogo uteretur cuius alter obligationes fidelium, alter vero obligationes vel facultates Pastorum definiret.

Quaestio ista statim divisos habuit interpretum animos. Motus mente Ecclesiae quae, sicut iam Benedictus XIV C. *Cum semper,* 19 aug. 1744, et Pius IX, C. Amantissimi, 3 maii 1858 monuerunt, dum levare vult obligationes fidelium, nihil de pastorali caritate detrahere cogitavit, Em^us^ Card. Gennari in Monitore Ecclesiastico, t. 36, p. 234 disciplinam de celebratione pro populo intactam manere existimavit. Idem, in Collationibus Brugensibus, t. 16, p. 542, ex legis novae silentio collegit R. D. Callewaert. Contra, logica canonicae legis ratione quam modo indicabamus, permotus, Cl. Professor Parisiensis R. D. Boudinhon, in Canoniste contemporain, t. 34, p. 402 et 406, omnia iam ad novam legem esse accommodanda iudicavit. Sacra demum Concilii Congregatio voluntatem S. Sedis, in cuius arbitrio res ista posita est, esse ut obligatio celebrandi pro populo intacta permaneat, rescripto ex speciali SS. Domini facultate dato, die 8 aug. 1911, declaravit.

Sed, dum recenti Motu Proprio et Decreto S. Rituum Congregationis ex 36 festis quae catalogo Urbani VIII continentur, 27, quod ad feriationem, supprimuntur, unum autem (S. Ioannis Baptistae) in Dominicam transfertur, quaestio de septem tantum festis proposita est, ita ut interrogare possis,

quid de celebratione pro grege in aliis suppressis diebus, v. gr. in festis S. Stephani, S. Silvestri, Purificationis B. M. V. ? Verum quia nulla ratio exsistit cur inter suppressa festa sub hoc respectu distinguas, et iam ante (quae causa fortasse fuit cur quaestio de his mota non esset) variis indultis reliqua festa simul quod ad feriationem suppressa, et quod ad celebrationem pro grege confirmata essent, respondemus in omnibus istis festis, si demas festum S. Ioannis Baptistae, cuius dies propria mutata est, obligationem celebrandi pro grege manere, donec a S. Sede aliter provideatur. *Manere*, inquam, in statu quo vel lege generali constituta est vel reperitur post indulta quae, in variis locis, facultatem fecerunt applicandi, certis diebus, missam pro stipendiis erogandis in publicas dioecesis utilitates. Generalior etiam provisio non videtur improbabilis. Sunt enim regiones magnae et opulentae, quales Status Foederati Americae Septemtrionalis, quarum parochi, deficiente canonica paroeciarum institutione, ab omni positiva obligatione celebrandi pro grege adhuc immunes sunt, dum pauperiores aliarum regionum parochi antiqua et satis severa frequentis celebrationis lege tenentur. Veri simile itaque est fore ut in reformatione iuris canonici aequior istius oneris distributio inducatur.

Hactenus de missa pro grege. De binis autem aliis effectibus, qui ordinationes vel banna respiciunt, perinde dicendum videtur, dies quibus ordinationes extra tempora haberi vel banna nuntiari possunt, esse ex catalogo Urbani VIII sicut ante aestimandos. Excipe tamen rursus festum Nativitatis S. Ioannis Baptistae de qua nullum, excepta martyrologii nuntiatione, die 24 iunii, vestigium supererit, cum in Dominicam tamquam in sedem propriam translatum sit.

3. Praeter vim quam in magis generalem disciplinam exercet, catalogus festorum liturgicos vel rituales effectus habet. Ex festi qualitate et forensi celebratione pendet festi translatio, facultas missae exsequialis vel missarum pro defunctis, etc. Atque haec magis ad novas leges vel privilegia de festis aptari consueverunt.

Quare etiam perspicitur ordinationem de celebrandis festis ad binarum Congregationum Romanorum provinciam pertinere : ad S. Congregationem Concilii, cui disciplina cleri saecularis et populi ac proinde praecepta audiendi sacrum vel celebrandi pro grege commissa sunt ; atque ad S. Rituum Congregationem, quae suprema est calendariorum et rubricarum moderatrix et ordinatrix.

Ac re quidem vera, novas de festis sanctiones, quales Motu Proprio 2 iulii exhibentur, paravit coetus Cardinalium qui in Codice canonum conficiendo versantur ; perfecit subinde S. Rituum Congregatio, decreto Urbis et Orbis, 24 iul. 1911, declaraverunt autem eadem S. Rituum Congregatio decretis

31 iul. et 7 aug. 1911, et S. Congregatio Concilii, decreto 8 aug. 1911, quae omnia, ad faciliorem usum, hic uno conspectu proposita sunt.

4. Motu Proprio 2 iul. supprimitur feriatio etiam illorum festorum quae ex voto vel peculiari statuto, etiam ecclesiastico, celebranda praecipiebantur. Sic sonat responsum S. Congregationis Concilii, 8 aug. 1910.

Quaeres itaque quid si festum quodpiam ex *consuetudine* immemorabili vim praeceptivam hauriat ? Sic, in dioecesi Melitensi, consuetudo plus quam bis centenaria feriationem imponit, in singulis paroeciis, festi titularis ecclesiae paroecialis, addita obligatione celebrandi pro populo.

R. Cum ex decl. 8 aug. 1911 satis constet abrogari etiam ea festa quae, quamvis catalogo Urbani VIII fortasse non contenta, nihilo minus ex voto celebranda erant, vis praesentium sanctionum ultra ius commune catalogo isto firmatum, spatiari dicenda est. Praeterea tum Motu Proprio, tum generali S. C. Rituum decreto, amplissimae abrogationis clausulae ponuntur. Dicemus itaque etiam istorum festorum feriationem supprimi. Sic etiam Monitore, t. 36, p. 195.

Rursus autem, eodem responso 8 aug. 1911 perspicitur celebrationem pro grege nullo pacto affici. Haec itaque intacta manebit donec aliter positivo indulto Melitensibus parochis consulatur.

5. Minus absoluta sanctione festa de praecepto conservantur quam supprimuntur. Modo enim vidimus etiam in votiva festa cadere festorum suppressionem. Atque ex n. IV Motu Proprio 3 iulii, Episcopi si quod festum ex suppressis conservatum velint, rem ad S. Sedem deferre debent. Contra vero, si alicubi abolitum sit vel translatum festum quod iure communi vigere pergat, usus iste servandus est nisi a S. Sede aliud caveatur. Ita idem n. IV qui, in hac parte, de solis festis agit quorum feriatio praecepta manet.

Quare, cum festum S. Ioannis Baptistae, cui dominica tamquam sedes propria obtingit, nullam iam speciaiem feriationem secum trahat, sicubi, v. gr. in nostris partibus, festum, sine feriatione, ipsa die 24 iunii celebrabatur, regimen istorum locorum ad ius commune est accommodandum, ita ut festum S. Ioannis Baptistae ibi etiam in dominicam transferendum fit. Sic sapienter respondit S. Rituum C. 7 aug. 1911. Sed, sine novo Indulto, morem nostrum in Belgio servabimus de Circumcisione Domini, de Immaculata Conceptione B. M. V. etc. quae post Concordatum cum Napoleone I populo praecepta non sunt.

Ex quo episcopi ad S. Sedem adire iubentur ut festum novo iure suppressum conservare possint, confirmatur etiam istud iam apud scriptores receptum, potestatem episcoporum in festa imponenda vel tollenda ipso usu desiisse.

6. In festis quorum praeceptam servat celebrationem S. Pontifex per modum legis dispensare declarat a ieiunio vel abstinentia si quae tunc occurrant. In nullum tamen diem festum ex servatis ieiunium incidere potest, excepta Immaculata Conceptione quae in adventu celebratur. Sunt autem regiones v. gr. Austria et Italia, ubi in adventu, vel feria IV et VI, vel feria VI et Sabbato, ieiunatur.

Duplex autem hac occasione quaestio fieri potest.

a) Quid si alicubi alia festa praeterea servanda sint ? Num reipsa nec ieiunium nec abstinentia forte occurrentia ibi servari debeant ?

Quod negandum est. Ex nulla enim legis sanctione colligere possumus regulam *generalem* qua festo praecepto repugnaret praecepta simul abstinentia vel ieiunium.

b) In regionibus ubi, sicut in Belgio, plura ex servatis festis non iam a populo celebranda sunt, valetne etiam, diebus iam non praeceptis, v. gr. Epiphaniae, Immaculatae Conceptionis, dispensatio facta a ieiunio et abstinentia ?

De responsione quidam dubitant v. gr. R. D. Callewaert (Collationes Brugenses, t. 16, p. 544 et 545), et R. D. Boudinhon (Canoniste contemporain, t. 34, p. 406) qui potius in partem negativam propendet.

Nos, contra, affirmandum putamus. Verbis enim absolutis S. Pontifex dispensat non pro locis tantum ubi festa servantur, sed *in festis quae servata vult* iure communi. Valet itaque illud : Ubi lex non distinguit, ipsi distinguere non debemus. Praeterea iam pro Belgio suppressa erat lex abstinentiae in die Circumcisionis Domini, quae tamen ibi non est festum praeceptum ; et cum (ut pluries factum est) in aliquo ex servatis iure communi festis, id est in festo Immaculatae Conceptionis et SS. Apostolorum Petri et Pauli, S. Sedes, quasi novo iuri praeludens, dispensasset actu transeunte ab occurrente abstinentia, numquam dispensationem suam circumscripsit iis regionibus ubi re vera festum observabatur, sed eam in universo orbe valere declaravit. Accedit commodum maioris unitatis. Quid, quod dispensatio ista sollemnitatem festi fidelibus inculcat, ita ut eandem quam ante pietatem facilius demonstrent. Quod S. Pontifex de omnibus quidem festis fieri velit, magis autem velle censetur de festis quae iure communi servata vult et peculiari tantum iure suppressa sunt.

Attamen cfr. notandum quod ex responso 28 aug. 1911 exscripsimus, p. 92.

7. In recens suppressis festis, ecclesiae cathedrales et collegiatae nec officiaturam nec sollemnitatem Missarum et Vesperarum mutare possunt, sed easdem, sicut in praesenti exstant, servare debent. De aliis ecclesiis nihil edicitur.

8. In quattuor festis suppressis, Commemoratione Sollemni

SS. Corporis Christi, Annuntiatione B. M. V., Commemoratione sollemni S. Ioseph et Patrono loci, missa exsequialis, etiam praesente corpore, prohibetur. Itaque in aliis, v. gr. in Dedicatione ecclesiae, in festo Titularis ecclesiae iam permissa videtur.

Contra autem, cum missa exsequialis aeque prohibeatur in Commemoratione sollemni SS. Corporis Christi et in dominica in quam exterior eius sollemnitas transfertur, in Commemoratione sollemni S. Ioseph et in Sollemnitate S. Ioseph, dici posse videtur, in regionibus in quibus, sicut in Belgio, sollemnitas exterior Epiphaniae et SS. Apostolorum Petri et Pauli in dominicam sequentem transfertur, missas exsequiales in ipsa festivitate et in dominica sollemnitatis aeque prohiberi.

9. Nova lex immediate viget, ita ut nulla vacatio legis concessa sit ; atque omnes afficit ecclesias et familias regulares ritus *latini*, quamvis a romano diversi ; nec obstant contraria etiam speciali mentione digna.

B. *Observationes peculiares.*

1. *De Sollemnitate Corporis Christi.* Simul componendo quae Motu Proprio 2 iul. et posterioribus decretis habentur, haec colligenda sunt :

a) Remanet festum Corporis Christi feria V post Dominicam SS. Trinitatis, sed sine feriatione ; eiusque sollemnitas in Dominicam proxime sequentem transfertur.

b) Quocirca Processio peragenda est non iam feria V, sed in dominica. Praeterea, in omnibus ecclesiis et oratoriis ubi missa sollemnis fieri potest, permittitur missa sollemnis de Festo. Quae missa unicam habebit orationem in ecclesiis cathedralibus et Collegiatis ubi missa de Dominica iam est celebrata, dum in aliis ecclesiis dominica ista sub distincta conclusione commemoranda erit, suppressa omni alia commemoratione.

Ex generalibus principiis, indulgentiae ipsam sollemnitatem sequentur, ita ut in Dominica lucrandae sint.

c) Octava fit privilegiata ad instar octavae Epiphaniae. Quare, nisi festum duplex primae classis celebrandum occurrat, per octo dies missa et officium erunt de octava, vel de dominica infra octavam.

d) Quamvis feriatio suppressa sit, festum tamen missam exsequialem etiam praesente corpore excludere pergit. Haec etiam in dominica sollemnitatis prohibetur. Die vero octavae prohibentur missae privatae de Requiem, quae aliis diebus cum exsequiali missa celebrari possunt. Infra octavam denique prohibentur missae votivae pro sponsis, et missae cum cantu de requiem pro prima vice post obitum vel eius acceptum nuntium.

e) Novo hoc titulo festum insignitur : *Commemoratio sollemnis Sanctissimi Corporis Domini Nostri Iesu Christi.* Nuntiatio martyrologii consequenter mutanda erit.

2. *De Festo SS. Cordis Iesu* nulla mutatio inducta est.

3. *Festum SS. Trinitatis* solita die sed sub ritu duplici primae classis recolendum erit. Qua die prohibetur etiam missa exsequialis, praesente corpore.

4. *Annuntiatio B. M. V.*, cuius feriatio supprimitur, missam tamen exsequialem etiam praesente corpore excludit.

5. *De Festo S. Ioannis Baptistae* ac de *Festo SS. Apostolorum Petri et Pauli*, haec brevis summa tradenda est.

a) Ex tribus festis quae Motu Proprio 2 iul. 1911 Dominicam tamquam sedem propriam accipiebant solum festum S. Ioannis Baptistae re vera transfertur in dominicam quae festum SS. Apostolorum antecedit. Sicut ante autem, celebratur cum octava ; et, cum nullo modo supprimatur sed mere diem mutet, missam exsequialem etiam praesente corpore excludere pergit. Ac, pro dignitate sua, nulli, ne Patroni quidem vel Dedicationis festo, locum cedere debet. Eidem sola sollemnitas Corporis Christi praeferebatur. Nunc autem ambo festa eadem die occurrere iam nequeunt.

b) In occurrentia octavae cum octava SS. Apostolorum, officium fit de octava S. Ioannis, cum commemoratione octavae SS. Apostolorum.

c) Vigilia Nativitatis S. Ioannis celebratur sabbato ante dominicam quae festum SS. Apostolorum praecedit atque horum vigiliae anteponitur.

d) Si festum incidat in diem 28 iunii, secundas vesperas integras habebit, cum commemoratione SS. Apostolorum.

e) De *Martyrologii* nuntiationibus veri simile est futurum ut festum S. Ioannis B. bis, idest in pristina sua die, 24 iunii et in Dominica ubi nunc celebrandum est, nuntiari debeat. Vigilia vero pridie ante istam dominicam, non autem 23 iunii nuntianda erit.

6. *De festo S. Ioseph.*

a) Motu Proprio 2 iulii imperabatur celebratio festi S. Ioseph in Dominica Quadragesimae ; et quidem, quod ab usu vigente alienum erat, cum octava. Nunc, ex decreto 24 iul. 1911, consuetae diei suae restituitur, suppressa tamen feriatione et paulo ante concessa octava, ac mutato titulo, ita ut in martyrologio nuntiari debeat : *Commemoratio sollemnis S. Ioseph, Sponsi B. M. V. Confessoris.*

b) Officiatura tamen et sollemnitas Missarum et Vesperarum eaedem quae ante, in ecclesiis *cathedralibus* et *collegiatis* manere debent. De aliarum ecclesiarum usibus nihil praecipitur. Regula ista communis est festis modo suppressis.

c) Simul autem festum Patrocinii S. Ioseph donatur octava, quae iam in octavarii romani supplemento descripta erat, et sub ritu duplici 1 classis, addita qualitate festi *primarii*, iam recolendum iubetur (quod in martyrologio servandum erit) tamquam *Sollemnitas S. Ioseph, Sponsi B. M. V. Confessoris, Ecclesiae Universalis Patroni.* Hinc : in occursu, concursu et quod ad translationem, privilegia festi primarii huic sollemnitati tribuenda erunt. Atque eodem decreto 31 iul. sollemnitas ista inter maximas reponitur, cum etiam missae exsequiales praesente corpore die ista, sicut in ipsa *Commemoratione sollemni S. Ioseph,* prohibeantur.

d) Hinc iam quaeres de qualitate et privilegiis Commemorationis diei 19 martii. Nullo decretorum verbo quicquam de pristinis privilegiis detrahitur. Contra, ex decreto 31 iul. n. VI missa exsequialis etiam praesente corpore die illa fieri prohibetur. Quare cum non repugnet ut duo sint primaria eiusdem sancti festa, dicemus festum 19 martii primarium manere et nullo suo privilegio orbari.

Itaque, solis dominicis 1ae classis et feriis Maioris Hebdomadae locum cedit ; concurrente alio festo, 2as vesperas semper integras servat. Si in Dominica Passionis inciderit, in proximam feriam II transferetur ; si vero in hebdomada maiore occurrerit, feria IV post Dominicam in albis celebrabitur.

7. *De festo patronorum,* haec memoranda sunt :

a) Ex catalogo Urbani VIII celebrandi erant cum feriatione tum Patronus loci, tum principalis Patronus regni vel provinciae.

Utraque feriatio supprimitur ; sed Ordinariis locorum fit potestas sollemnitatem exteriorem ad Dominicam proxime sequentem transferendi.

b) Ubi celebrentur sollemniter et cum magno populi concursu, S. Pontifex dispensat a lege abstinentiae vel ieiunii quae die illa occurrant.

Quod etiam de tempore Quadragesimae valere arbitramur.

Manebit tamen, ni fallimur, prohibitio carnes piscibus, in iisdem epulis, miscendi.

c) In suppresso festo *Patroni loci* (non itaque in suppresso festo principalis patroni regni vel provinciae) missa exsequialis etiam praesente corpore prohibetur. Si fas est analogiam iuris appellare, dicemus eandem prohibitionem manere, quamvis Ordinarius sollemnitatem exteriorem in dominicam transtulerit. Immo ad hanc dominicam praedicta prohibitio extendenda videtur.

Poteritne autem, facta ista translatione, cani missa sollemnis de alterutro Patrono ? Cum nusquam id concessum legatur, apostolico indulto opus esse videtur.

Minus tamen movemur responsis S. Sedis quibus in Monitore Ecclesiastico, t. 36, p. 194, eadem sententia confirmatur, quam ratione generali qua in re liturgica Episcopus cognoscitur non posse, nisi quod ei concessum est. Vesperae tamen votivae fieri possunt. Sed S. Sedes hanc vel similem clausulam suis declarationibus constanter addit : « Dummodo qui ad horas canonicas tenentur, privatim recitent vesperas occurentis officii. » Cfr. resp. 7 aug. 1875 ad 10, n. 3341, 29 dec. 1848, ad 12 n. 3624, *Decreta authentica S. R. C.*

NOTANDUM

De ieiunio et abstinentia ex nuperrimo responso S. Congr. Concilii

Nuperrimis litteris 28 aug., non in plenario coetu sed ex congressu, ad Em. Archiepiscopum Mechliniensem datis, S. Concilii Congregatio argumentans ex dispensationis causa, quae sollemnitas festi est, et ex n. IV decreti Motu Proprio 2 iul. 1911, quo dicitur nihil esse, inconsulta S. Sede innovandum in regionibus ubi festa aliqua, ex conservatis, legitime suppressa sint, declaravit dispensationem a ieiunio et abstinentia Belgio non prodesse pro iis festis quae ibi non sunt in foro seu a populo servanda. Manet tamen, ut perspicitur, indultum anni 1903 quo in die Circumcisionis Domini, incidente in feria VI, abstinentia toti Belgio relaxatur.

Declarationem istam, quae interpretationi supra datae contraria est, novimus tantum postquam omnia typis scripta iam erant. Ex ea generalis haec regula colligitur : in singulis regionibus dispensatio praefata non valet nisi pro iis festis iuris communis, quae re vera ibi praecepta manent. Quae cum alia in aliis regionibus sint, inducitur sic discrepantia observantiarum quae priori S. Pontificis intentioni fortasse minus consentanea videtur. Si itaque, instantibus episcopis, universalior dispensatio novo indulto mox concedatur, id minime mirabimur.

DECRETA SUMMATIM RELATA

527. — *SS. D. N. PII PP. X*

A. *Basilica S. Mariae in monte Sancto commiititur operi piaculari N. D. de Montligeon.* (A. A. S. 31 iul. 1911, 3, 337.)

Decreti causae et argumentum.

Cum collegium canonicorum *Reginae Caeli*, suis beneficiis destitutum, iam non posset cultui divino in Basilica Minore S. Mariae « in Monte Sancto » congruenti modo providere, ibique R. D. Paulus Buguet opus piaculare pro defunctis dictum a N. D. de Montligeon instituisset, Motu Proprio 23 oct. 1910, SS^us^ Dominus opportuna occasione liberalitatis dicti Domini usus, ac reservata sibi proprietate, per delegatum Card. Urbis Vicarium exercenda, intactis etiam omnibus oeconomicis Basilicae iuribus, usum eius R. D. Buguet ut moderatori operis piacularis et sociis sacerdotibus concessit, quamdiu sacra in Basilica procurarent. Sacerdotes porro qui ibi divina officia peragunt, quamvis nullo potiantur beneficio ecclesiastico, iuribus, privilegiis atque insignibus veterum canonicorum fruuntur.

Sacerdotes canonicorum privilegiis fruentes.

B. *Festum S. Othmari abbatis in paroecia S. Galli in choro tantum celebrari permittitur.* (A. A. S. 26 iun. 1911, 3, 257.)

Festi suppressio in foro.

Litteris in forma brevis 24 febr. 1911, propter difficultates in dies maiores rite celebrandi in foro festum alterius Patroni S. Othmari, conceditur ut fideles iam nec sacro interesse nec servilibus operibus abstinere debeant.

C. *Instituti Biblici alumnis imponuntur annua pericula.* (A. A. S. 31 maii 1911, 3, 230.)

Inst. Bibl. annua examina.

Litteris 22 mart. 1911, S. Pontifex Praesidi et Doctoribus gratulatur incrementum Instituti ; imponit alumnis annua pericula subeunda, quorum materia pro singulis tribus annis adumbratur.

D. *Constituitur novus Vicariatus apostolicus in regione Coreana de « Tai-Kou » nuncupatus.* (A. A. S. 31 maii 1911, 3, 224.)

Summa decreti.

Litteris in forma brevis 8 apr. 1911, S. Pontifex dividit Vicariatum Coreanum, qui hucusque complectebatur totam regionem Coreanam, sub Iaponensium potestatem modo redactam, et partem meridionalem in novum Vicariatum erigit, committitque alumnis Seminarii Parisiensis pro Missionibus ad exteras gentes.

E. *Erigitur novus Vicariatus apostolicus Scen-si Septemtrionalis.* (A. A. S. 31 maii 1911, 3, 225.)

Causa et summa decreti.

Litteris in forma brevis, 12 apr. 1911, S. Pontifex, aucto fidelium numero in regione Scen-si, partem septemtrionalem erigit in Vicariatum distinc-

tum, reliquae parti imposito deinceps nomine Scen-si centralis. Novus vicariatus committitur Ordini Fratrum Minorum.

F. *Erigitur in Vicariatum apostolicum Praefectura de « Ho-Nan » occidentali.* (A. A. S. 31 maii 1911, 3, 226.)

Causa et summa decreti.

Litteris in forma brevis 2 maii 1911, S. Pontifex, considerato studio quod in hac regione impenderunt alumni Instituti Aemiliani a S. Franc. Xav. et aucto fidelium numero, hanc apostolicam Praefecturam in Vicariatum erigit iisdem Missionariis concreditum.

G. *Eligitur in perpetuum Moderator supremus Societatis a Corde Matris admirabilis Superior Generalis pro tempore Congregationis Iesu et Mariae.* (A. A. S. 31 maii 1911, 3, 227.)

Summa et causa decreti.

Litteris in forma brevis 2 maii 1911, S. Pontifex Societati a Corde Matris admirabilis nuncupatae, a B. Ioanne Eudes conditae (quae etiam Tertius Ordo Sacri Cordis, vel Tertius Ordo Eudistarum vocatur), praeficit in perpetuum Superiorem Generalem pro tempore Congregationis Iesu et Mariae, quo melius eius Consociationis unitas et vigor regiminis conserventur.

H. *S. Pontifex Episcopos Galliae valde hortatur ut opus dioecesanarum Missionum omni conatu promovere studeant.* (A. A. S. 26 iun. 1911, 3, 268.)

Argumentum epistolae.

Occasione sumpta alterius Episcoporum conventus istis missionibus provehendis, S. Pontifex, epistola 15 maii 1911, opus istud et Missionariorum praeparationem valde commendat.

I. *Invocationi « Gesù mio, misericordia » et « O Iesu, in sanctissimo sacramento, miserere nobis » amplior indulgentia annectitur.* (A. A. S. 26 iun. 1911, 3, 258.)

Indulgentia 300 dierum totiens quotiens annectitur.

Litteris in forma brevis 20 maii 1911, S. Pontifex illis invocationibus, quae iam centum dierum indulgentia ditatae erant, quolibet idiomate, dummodo versio fidelis sit, prolatis, annectit tercentum dierum indulgentiam totiens quotiens lucrandam, et animis in purgatorio detentis applicabilem.

K. *Neapolitanum B. Iacobi templum in basilicam minorem erigitur.* (A. A. S. 31 iul. 1911, 3, 340.)

Argumentum litterarum.

Litteris in forma brevis, 20 maii 1911, regale templum Neapoli B. Iacobo apostolo erectum titulo ac privilegiis Basilicae Minoris decoratur.

L. *Reprobatur violatio iurium Ecclesiae catholicae in Lusitania.* (A. A. S. 31 maii 1911, 3, 217 et 228.)

Argumentum litterarum quibus S. P. dolet de impugnata Ecclesia, et episcopis eius defensionem gratulatur.

1. Encyclicis litteris **Iamdudum in Lusitania**, 24 maii 1911, S. P. vehementer conqueritur de omnibus tentaminibus quae adversus iura Ecclesiae moliuntur nefarii homines: expulsionem Religiosorum, legem divortii, legem separationis Status ab Ecclesia, usurpationem bonorum ecclesiasticorum, regimen Ecclesiae ad laicos et ad ipsum Statum devolutum. Quae omnia sollemniter damnantur.

2. Prioribus litteris ad Patriarcham Olyssiponensem et ad alios Lusitaniae Antistites (15 mart. 1911), ipsis gratulatur S. P. sapientem defensionem iurium Ecclesiae.

M. *Societas Puerorum a comitatu SS. Sacramenti, in primariam erigitur.* (A. A. S. 26 iun. 1911, 3, 260.)

Summa decreti.

Litteris in forma brevis 1 iun. 1911, praefata Societas Romae in Basilica SS. XII Apostolorum instituta, cum iam in pluribus Urbis et Italiae paroeciis pariter floreat et alibi etiam exoptetur, donatur omnibus iurtbus quae Archisodaliciis competunt.

N. *Consilia quaedam diriguntur ad Antistites Brasiliae.* (A. A. S. 26 iun. et 12 iul. 1911, 3, 261 et 310.)

Litterarum occasio et varia consilia.

1. Die 18 dec. 1910, S. P., occasione sumpta a Paulopolitano Antistitum conventu, ipsis inculcat rectam cleri institutionem tum asceticam, tum scientificam, non tantum in seminariis sed etiam Ordinibus iam susceptis, iubetque clerum identidem vacare spiritualibus exercitationibus. Insuper multum commendat « actionem socialem catholicam » ad normas a Leone XIII et a Semetipso datas, et institutionem diariorum catholicorum.

2. Die vero 6 iun. 1911, S. Pontifex gratulatur Brasiliae incrementa hierarchiae, ac summopere exoptat ut episcopi curent sufficientem sacerdotum copiam, populi institutionem per adhortationes dominicales, divulgationem opusculorum et diariorum bonorum, varias consociationes, praecipue sociales, puerilem institutionem.

O. *Mitigatur in Dalmatia lex ieiunii et abstinentiae.* (A. A. S. 16 aug. 1911, 3, 361.)

Decreti causa. Generalis dispensationis facta episcopis potestas.

Motus precibus quas suo et suffraganeorum nomine archiepiscopus Iadriensium ipsi obtulerat, Sanctissimus Dominus, litteris in forma brevis 10 iun. 1911, leges ieiunii et abstinentiae Dalmatiae mitiores constituit, facta etiam episcopis potestate ut, excepto Adventus et Quadragesimae tempore, ieiunium et abstinentiam, pro tota dioecesi vel pro certis locis, vel in diem liberum anticiparent, vel etiam ob gravissimas causas sive sollemnitatis sive populi concursus, ex toto dispensarent.

P. *Associationi catholicae internationali a patrocinio puellarum plenaria iudulgentia conceditur.* (A. A. S. 31 iul. 1911, 3, 341.)

Indulgentiae occasio et tenor.

Motus precibus praesidum consociationis catholicae internationalis operum pro patrocinio puellarum, S. Pontifex litteris in forma brevis 19 iun. 1911, fidelibus allectis in comitatus, sodalibus operis, atque ipsis protectis, indulgentiam plenariam, defunctis applicabilem, quotannis die festo B. M. V. a Bono Consilio vel Dominica proxime sequenti lucrandam concedit, solitis condicionibus, addita tamen visitatione cuiuslibet oratorii publici.

Q. *Erigitur novum Sanctuarium in territorio Neptunensi.* (A. A. S. 12 iul. 1911. 3, 307.)

Summa et scopus decreti.

Die 28 iun. 1911, Motu proprio, S. P. ad curam animarum fovendam, erigendum decrevit novum sanctuarium concreditum PP. Passionistis, et accurate descripsit quatenus iura parochialia ipsis competerent.

R. *Ecclesia Deiparae oppidi Gandino in dioecesi Bergomensi, fit basilica minor.* (A. A. S. 16 aug. 1911, 3, 363.)

Argumentum et causa ecreti.

Aedis Deiparae in caelum assumptae, quae in dioecesis Bergomensis oppido exstat, celebratis patronis, antiquitate, iam concessis indulgentiis, recenti instauratione, sanctorum reliquiis, et cultus decore, summus Pontitex, litteris in forma brevis 28 iun. 1911, eandem in basilicam minorem erigit.

S. *Circumscriptio archisodalicii Pragensis a S. Maria Reparatrice, et nova archisodalicii erectio in Austria.* (A. A. S. 31 iul. 1911, 3, 342.)

Decreti ratio et argumentum.

Propter linguarum difficultates, S. Pontifex, litteris in forma brevis 30 iun. 1911, archisodalicium a Maria Reparatrice in ecclesia Strahoviensi erectum ad Bohemiam, Moraviam et Silesiam circumscribit, alterum vero erigit in ecclesia abbatiae Plagensis (Schlägl) in Austria, pro iis qui germanica lingua utuntur.

528 — *S. CONGREGATIONIS CONCILII*

A. *Sententia in causa Lausanen. interpretationis voluntatis.* (A. A. S. 26 iun. 1911, 3, 271.)

Testamenti cui ore derogatum erat vis permanens.

Die 29 apr. 1911, S. C. standum esse censuit testamento scripto Baronissae Helenae de Reiff (defunctae anno 1825), nulla ratione habita declarationis derogatoriae oretenus factae sine formis iure requisitis.

B. *Solvuntur dubia circa abstinentiae et ieiunii legem.* (A. A. S. 26 iun. 1911, 3, 274.)

De permisso adipe.

Die 29 apr. 1911, interpretatio data est indulti specialis concessi 19 febr. 1851 Episcopo Aurien. Confirmatnr doctrina communis : adipem, non tamen iusculum carnis, cuiuslibet animalis cum adipe suino aequiperari ; similiter non prohiberi usum simultaneum huiusmodi pinguedinis et piscium.

C. *Solvitur controversia de cura animarum et sacramentorum administratione.* (A. A. S. 16 aug. 1911, 3, 366.)

De vi factae compositionis circa curam animarum.

In causa Nullius seu Montis Cassini, de ecclesia Atinensi, cuius cura parochialis ad annum 1767 penes capitulum fuit, tum vero ab ipso capitulo, ad salutem animarum melius procurandam, commissa est duobus canonicis curatis, quos, praevio concursu, Abbas Cassinensis nominare debebat, re vera autem uni tantum canonico parocho obtingere consuevit, S. Congregatio Concilii, in generalibus comitiis 29 april. 1911, varia dubia solvit secundum pactionem 1767, quae mutuas Abbatis Cassinensis, capituli et canonicorum parochorum rationes definivit, ita ut qui curam exercet non vicarius-curatus sed canonicus curatus appellandus sit, functiones ecclesiasticae quamvis parochiales ab hebdomadario peragi possent, singulis canonicis baptismum non tamen S. Viaticum et Extremam Unctionem administrare liceret.

529. — *S. CONGR. INDICIS*

Opera proscripta.

Proscripta opera decreto 6 iun. 1911 (A. A. S. 26 iun. 1911, 3, 278.)

Der Modernisteneid. *Ein appel an deutsche Priester von Clericus Germanicus*. Augsburg, 1910.

Dr W. Koch and Dr O. Wecker. Religiös-Wissenchaftliche Vorträge. Dritte Reihe: *Katholizismus und Christentum*. I. u. Aufl. Rottenburg, 1910.

Auguste Humbert. *Les origines de la Théologie moderne*. I. *Le Renaissance de l'antiquité chrétienne* (1450-1521). Paris, 1910.

Ottokar Prohaszka. *Az intellektualismus túlhaitásai*. Budapest, 1910. — *Több békességet* (*in Egyházi Közlöny*), Dec. 23, 1910. — *Modern Katholicizmus*. Budapest, 1907.

530. — *S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE*

A. *Praefectura apostolica de Sumatra erigitur*. (A. A. S. 31 iul. 1911, 3, 347.)

Praefecturae de Sumatra erectio et limites.

Ex separatis a Vicariatu apostolico Bataviensi insula Sumatra et adiacentibus, etiam ea quae vulgo « Billiton » vocatur, S. C. de Propaganda Fide, ex sententia sua 29 maii et audientia Pontificia 20 iunii 1911, decreto 30 iunii 1911, praefecturam apostolicam de Sumatra erigit eamque Patribus Capulatis Hollandicae Provinciae regendam tradit.

B. *Nova praefectura apostolica de Katanga Septemtrionali in Congo belgico erigitur*. (A. A. S. 31 iul. 1911, 3, 348.)

Praefecturae de Katanga erectio et limites.

Decreto 30 iun. 1911, ex sententia sua 29 maii et audientia SSi 20 iunii 1911, S. C. de Propaganda Fide separatam praefecturam apostolicam de Katanga Septemtrionali, ex praefectura apostolica Kassai superioris erigit et committit Congregationi S. Spiritus et Immaculati Cordis Mariae. Limites vero sunt : « ad Septemtrionem recta linea quae ab ostio amnis Elila ducitur ad oppidum Benakamba ; ad occidentem Lomani fluminis cursus ab oppido praedicto ad eius fontes ; ad meridiem Lovoi flumen ; ad orientem denique Lualaba cursus ab ostio Lovoi ad Elila. »

C. *Nova Praefectura apostolica de Matadi in Congo belgico erigitur*. (A. A. S. 31 iul. 1911, 3, 349.)

Praefecturae de Matadi erectio et limites.

Ex sententia sua 29 maii et audientia SSi 20 iun. 1911, decreto 1 iul. 1911, S. C. de Propaganda Fide a Vicariatu apostolico Congi belgici distrahit regionem quae sub nomine praefecturae apostolicae de *Matadi*, PP. SS. Redemptoris regenda committitur. Limites continentur « ad Boream flumine Congo, ab ostio amnis Kodia ad ostium Binza, deinde Binza cursu usque ad eius fontes ; posthac linea exinde ducitur ad ostium Binza-Nzau, attingendo fontes trium amnium in Congo flumen parallelo cursu influentium, ac tandem flumine Congo usque ad Praefecturam apostolicam de Kwango ; — ad Orientem, limitibus Praefecturae apostolicae de Kwango ; — ad Meridiem, limitibus Belgicae coloniae ; — ad Occidentem, flumine Bidizi ab ostio ad eius fontes, et exinde linea quae per fastigia montium pervenit ad origines amnis Lukokote, demum cursibus Lokokote et Kodia usque ad flumen Congo. »

531 — *S. RITUUM CONGREGATIONIS*

A. *Beatificationes et canonizationes.* (A. A. S. 12 iul. 1911, 3, 317. 319 320 ; et 16 aug. 1911, 3, 392. 394.)

B. Ioannis Eudes.

1. Decreto 14 iun. 1911, in causa Baiocen. promulgatur, a S. Pontifice propria manu signatam esse reassumptionem causae canonizationis beati Confessoris Ioannis Eudes, missionarii apostolici et institutoris Congregationis Iesu et Mariae necnon Ordinis B. M. V. de Caritate.

S. D. Iacobi Cappocio.

2. Decreto 14 iun. 1911, in Neapolitana, promulgatur, a S. Pontifice confirmatum esse cultum ab immemorabili tempore praestitum servo Dei Iacobo Capoccio a Viterbio Ordinis Eremitarum s. Augustini archiepiscopo neapolitano, Beato nuncupato.

S. D. Dominici a Matre Dei.

3. Decreto 14 iunii 1911, in Romana seu Westmonasterien. promulgatur, a S. Pontifice propria manu signatam esse Commissionem introductionis causae beatificationis et canonizationis ven. servi Dei Dominici a Matre Dei, sacerdotis professi e Congregatione Clericorum sanctissimae Crucis et Passionis D. N. I. C.

S. D. Mariae ab Incarnatione.

4. Decreto 19 iul. 1911, in causa Quebecen. promulgatur, a S. Pontifice declaratum esse constare de heroïcis virtutibus V. S. Dei Mariae ab Incarnatione, fundatricis monasterii Ursulinarum in civitate Quebecensi, ita ut procedi posset ad discussionem quattuor miraculorum.

S. D. Ludovicae de Marillac, viduae le Gras.

5. Idem, decreto eiusdem diei, in causa Parisiensi, promulgatur de V. S. Dei Ludovica de Marillac vidua Le Gras, confundatrice Congregationis Filiarum a caritate.

B. *Variae gratiae* [1].

Ordini Praedicatorum, de festo B. Ioannis Sarcander ;

1. Rescripto 16 dec. 1910, S. Rituum Congregatio Olomucensi conventui Fratrum Praedicatorum concessit ut quotannis, die 17 martii, sub ritu *Toto Duplici* (id est Duplici maiori) celebrarent festum B. Ioannis Sarcander, qui Olomuci martyr occubuit.

B. Ceslai BB. Iacobi a Voragine et Damiani.

Binis vero rescriptis 11 ian. 1911, ex audientia Sanctissimi, festum B. Ceslai, Confessoris, quod in toto Ordine Praedicatorum 18 iulii celebratur, ad ritum *totum duplicem* pro Bohemiae provincia, quam fundavit, elevatum est ; et festa SS. Iacobi a Voragine, episcopi, et Damiani a Furcherio Ord. Praedicatorum pro coenobio *Varazze* ad eundem ritum elevata sunt. B. Iacobus in loco *Varazze* natus est ; B. Damiani vere insignis reliquia in coenobio praedicto asservatur.

Ordini Fr. Minorum Capuccinorum, de festo B. Agnelli a Pisis ;

2. Rescripto 16 dec. 1910, Provinciae anglicae Fratrum Minorum Capuccinorum, S. Rituum Congregatio concessit sub ritu duplici maiore die 7 maii festum B. Agnelli a Pisis, institutoris Anglicae Provinciae. Voluit lectiones I Nocturni fieri de Scriptura occurrente, noluit autem ut festum S. Stanislai martyris ad ritum simplicem redigeretur.

De caeruleis paramentis.

Rescripto vero 11 ian. 1911, ad *quinquennium* Provinciae Catalauniae Fratrum Minorum Capuccinorum concessit ut de Immaculata paramenta caerulea adhibere possent.

[1] Transumpta ex ANALECTA ECCLESIASTICA. t. 19, p. 290-292.

3. Rescripto 9 april. 1911, S. Rituum Congregatio, Neapolitanae Fratrum Minorum ecclesiae, cui nomen *S. Maria la Nova*, concessit ut sacerdotes peregrini vel turmarum peregrinorum duces possent missam votivam S. Iacobi de Marchia celebrare, exceptis diebus festi duplicis I vel II classis, et privilegiatis. *Ordini Fr. Minorum de missa votiva S. Iacobi de Marchia.*

532. — *COMMISSIO DE RE BIBLICA*

Ratio periclitandae doctrinae. (A. A. S. 26 iun. 1911, 3, 296.)

Varia statuuntur, tempus, modus etc. ad conferendum prolytatum et lauream. *De examine praescripto.*

533. — *SACRA ROMANA ROTA*

A. Die 20 ian. 1911, S. Romana Rota, in causa Divionen. (Dijon) Lugdunen. Nullitatis matrimonii, inter Georgium Turk et Germanam Fallu, appellatam sententiam curiae Lugdunensis confirmans, non constare declaravit de nullitate matrimonii propter insufficientem delegationem parochi non proprii coram quo (29 sept. 1904) matrimonium celebratum est. (A. A. S. 26 iun. 1911, 3, 284.) *De competente parocho pro matrimonio.*

B. Die 20 mart. 1911, S. Romana Rota, in causa Vercellensi, Nullitatis Matrimonii, inter Ioannem Ardizzona et Innocentiam Balbio, appellatam sententiam curiae Vercellensis confirmans, non constare declaravit de nullitate matrimonii propter impedimentum vis et metus, idest propter aliquem metum reverentialem Ioanni Ardizzone a Patre incussum. (A. A. S. 31 maii 1911, 3, 244.) *Nullitas Matrimonii ob vim et metum.*

C. Die 24 mart. 1911, S. Romana Rota, in causa Parisien. Nullitatis matrimonii, inter Haroldum Smith et Magdalenam Rottner, appellatam sententiam curiae Parisiensis confirmans, constare declaravit de nullitate matrimonii propter matrimonium celebratum (8 aug. 1899) coram parocho non proprio alterutrius contrahentium, et aliunde sine delegatione Ordinarii. (A. A. S. 12 iul. 1911, 3, 324.) *Nullitas matrimonii ob incompetentiam parochi.*

D. Die 13 iun. 1911, in causa Parisien. Nullitatis matrimonii, inter Ioannem du Breuil de S. Germain et Mariam Denison, declaravit non constare de impedimento disparitatis cultus. In causae propositione relator memoravit sententiam plurium qui putant matrimonium quod in dubio alterius partis baptismi cum parte baptizata contractum est non infirmari ob postea detectam baptismi nullitatem. Quam tamen sententiam parum ad responsa S. Congregationis quadrare existimavit. — Etiam in priore instantia curia Parisiensis de nullitate matrimonii constare negavit. (A. A. S. 16 aug. 1911, 3, 398.) *De impto disparitatis cultus.*

E. Citatur ad comparendum 20 iulii coram Rotae Tribunali, D. Vedasti Guillerault ignoti domicilii in causa Versalien. Nullitatis matrimonii. (A. A. S. 31 maii 1911, 3, 253.) *Citatio edictalis.*

534. — *SIGNATURA APOSTOLICA*

De iuribus parochi ex usu.

1. In causa Segusina, De iure celebrandi, sine parochi assensu, missas adventicias in ecclesia S. Mariae de Suffragio, post contrarias sententias curiae Segusinae et tribunalis Rotae, Signatura Apostolica plenario consessu die 27 iunii 1911 restitutionem in integrum concessit. (A. A. S. 31 iul. 1911, 3, 353.)

De appellatione a sententia interlocutoria.

2. In causa Novarien. refectionis damnorum, in qua Iosephus ac Ioannes fratres Carbone a canonico Melchiore Barberis damna sarcienda petunt ob consilium quod infelicem habuit successum, Signatura Apostolica die 27 iun. 1911 actui iudiciali Rotae 23 nov. 1910 vim tribuit sententiae interlocutoriae ad effectum appellationis, et exclusive ad datum consilium articulos interrogationum nimis multos a turno rotali admissos, circumscribendos esse dixit. (A. A. S. 31 iul. 1911, 3, 356.)

BIBLIOGRAPHIA [1]

Jules Pacheu, *L'expérience mystique et l'activité subconsciente*. 1 vol. in-16, VII-314 p. Paris, Perrin, 1911. Venit 3,50 fr.

Avant-propos. — Première partie. Les faits mystiques. Leur origine passive. — Problèmes posés.

Deuxième partie. *Le mécanisme physiologique des faits mystiques.*

Troisième partie. *Valeur éthico-religieuse des faits mystiques. Résumé. — Conclusion.* — Utilité, déficits et limites de la théorie des automatismes subconscients.

J. Mahieu, (R. D.) *Manuel des jeunes communiants*. 1 vol. in-32, 128 p. Bruges, Beyaert 1911.

Première partie. De la Confession : La Doctrine, Exercice.

Deuxième partie. De la Communion : La Doctrine, Exercice, Deux prières.

J. Lintelo S. J. *Catéchisme et Communion fréquente*. 1 vol. in-8 60 p. La Chapelle Montligeon (Orne), 1911.

Preface. Ch. I. Le problème de la fréquentation des catéchismes ; quelques solutions. — Ch. II. La communion fréquente, solution adéquate. — Ch. III. Les principes. — Ch. IV. Les raisons de la communion fréquente et quotidienne. — Ch. V. Nécessité d'une croisade. — Ch. VI. Moyens d'apostolat. — Ch. VII. Exemples d'apostolat des petits enfants.

Conclusion. Statuts d'une ligue de communion fréquente.

J. B. Ferreres, (S. J.) *La Muerte real y la Muerte aparente con relacion a los santos sacramentos*. Etudio fisiológico teológico 1 vol. in-16 214 p. Cuarta edición corregida y aumentada. Madrid Administración de Rayon Y Fe. 1911. Venit, 1,50 fr.

[1] Tous les ouvrages cités dans la Bibliographie sont en vente chez M. Beyaert Libraire, Bruges.

MONUMENTA

535. — S. CONGR. CONCILII

LITTERAE AD EPISCOPOS AMER. SEPTENTR. AUG. 1911

De temporalibus Ecclesiae rebus gerendis [1]

Laudata antistitum sollicitudine, memoratis statutis Baltimorensibus, et piurium episcoporum petitione, narratur coetus S. Congregationis, 29 iul. 1911, in quo normae statutae sunt.

Sacrorum Antistitum foederatorum Statuum Americae magna laus est quod, inter sedulas curas quibus pro incremento catholicae religionis et pro fidelium pietate fovenda animum et vires impendunt, etiam rerum temporalium Ecclesiae tuitioni et rectae administrationi prudenter consulere numquam omiserint. Eorum pastoralis sollicitudinis et in hoc plura praesto sunt argumenta, quae inter profecto annumeranda sunt quae de bonorum administratione in plenariis synodis Baltimorensibus constituta inveniuntur.

Nuper autem nonnulli ex Episcopis, praesentibus attentis circumstantiis et aliquorum locorum peculiaribus necessitatibus perspectis, consilia a S. Sede expetere opportunum censuerunt, simulque SSmum D. N. exorarunt, ut aptae normae ad res temporales gerendas pro tota Statuum foederatorum Americana re publica constituerentur.

Sacra autem haec Concilii Congregatio, cui negotium demandatum est, omnibus mature perpensis, ac prius per R. P. D. Delegatum Apostolicum exquisito voto Rmorum Archiepiscoporum istius regionis, atque huic voto praesertim inhaerens, in plenariis comitiis diei 29 iulii postremo elapsi, sequentia proponere et statuere censuit :

Praefertur «Parish Corporation», quam formam omnes inducere conentur.

1° Ex methodis quae pro possidendis et administrandis ecclesiasticis bonis nunc vigent in Statibus Americae Foederatis ea ceteris praeferenda est, quae vulgo dicitur *Parish Corporation*, cum illis tamen condicionibus et cautelis quibus in Statu Neo-eboracensi in usu est. Hanc igitur methodum Episcopi, si lex civilis consentiat, quod ad bona temporalia in suam dioecesim introducere statim curabunt. Si vero lex non consentiat, apud civiles auctoritates efficaciter instabunt ut quam primum concedatur.

Interea permittitur «Corporation sole», addita cautela quadam.

2° In locis tantum in quibus a lege civili non admittitur *Parish Corporation*, et donec eius concessio obtineri nequeat, permittitur alia methodus quae dici solet *Corporation sole*, ita tamen ut Episcopus in administratione bonorum ecclesiasticorum procedat, auditis interesse habentibus et consultoribus dioecesanis, et in negotiis maioris momenti de eorum consensu, super hoc ipsius Episcopi conscientia onerata.

---

[1] Ex ECCLESIASTICAL REVIEW, nov. 1911, p. 585. Dies qua litterae missae sunt desideratur in his commentariis. De argumento cfr. conc. Baltimor. III, n. 266. 267.

Aboletur methodus « in Fee simple ».

3° Methodus quam vocant *in Fee simple* omnino est abolenda.

Conclusio litterarum.

Haec quae EE. PP. salubriter constituere opportunum duxerunt, A. T. de auctoritate SS. D. N. communicare gaudeo, spe fretus ex eorum exsecutione in ista praenobili regione maiora bona esse Ecclesiae profutura.

Interim fausta omnia Tibi ex corde apprecor a Domino, et qua par est reverentia me profiteor,

A. T.

uti Fr.

C. Card. Gennari, *Praefectus.*

B. Pompili, Secretarius.

Annotationes

1. Quo sapientes S. Sedis indicationes melius intellegantur haec pauca notasse iuvabit.

Generali nomine *corporation* venit istud quod corpus, personam moralem seu civilem appellamus.

Parish corporation personam civilem dicit ex ipsa parochia effectam, et coetu personarum secundum unius cuiusque Status leges designatarum administratum. Qui regentium coetus vocatur *board of trustees*.

Corporation sole, unam dicit ex tota dioecesi conflatam personam moralem, cuius regimen sit penes solum episcopum, qui sic omnia dioecesis bona administrat.

Fee simple dicit civiliter plenam ac liberam bonorum possessionem ita ut *in foro civili* episcopus perfectum ecclesiasticorum bonorum dominium habere existimetur.

2. Hinc perspicitur cur S. Sedes, tamquam nimis periculosam, methodum *in Fee simple* simpliciter improbet, dum suis votis appellat *parish corporation*, quae canonicae dioecesis divisioni magis congruit, atque, propter plures administros, tutioris et prudentioris administrationis maiorem spem praebet.

Speciali porro commendatione legem neo-eboracensem prosequitur. Secundum istam legem, ut ecclesia quaedam catholica civile corpus efficiat, satis est ut ab episcopo cum vicario generali ac rectore ecclesiae et duobus personis laicis, quae ad dictam ecclesiam pertineant et a tribus prioribus eligantur, documentum conficiatur, subsignetur et deponatur quo collegiale nomen et principalis corporis sedes designentur. His primus constituitur *board of trustees*. Ambo laici in singulos annos ab iisdem personis eliguntur. Quinque itaque sunt *trustees :* episcopus, antiquior vicarius generalis, parochus, et duo laici parochiani. Quattuor praesentes adsint oportet ut valide deliberent. Nihil valide agere *trustees* possunt nisia ccedat assensus episcopi vel administratoris dioecesis. Anno 1902 praeterea est nova lege omnis facultas facta aequabiliter res componendi cum paroecia in duas paroecias dividenda est.

Quare in illo Statu Neo Eboracensi omnia bona collegialiter possidentur ; et qui, sine peculiari Ordinarii venia, *personalem* ecclesiae possessionem ultra tres menses servaverit ipso facto in suspensionem incurrit.

536. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

LITTERAE AD ORDINARIOS ITALIAE, 1 SEPT. 1911 [1]

De opere Ill. D. Duchesne (A. A. S. 10 nov. 1911, 3, 568.)

Introductum esse in quaedam Italiae seminaria opus R. D. Duchesne, id ipsi indicationi repugnat eorum qui opus vulgandum curarunt.

È a cognizione della Santa Sede che in qualche seminario è entrata l'opera del Duchesne, *Storia della Chiesa antica* ed è stata posta in mano agli alunni, se non come testo di scuola, almeno come testo di consultazione.

Se si fosse seguito ciò che in una recente polemica ebbero ad ammettere quegli stessi che curarono la publicazione di quest'opera, cioè esser essa « un libro reservato pei dotti, per uomini di molta coltura, da non diffondersi nei seminari », senza dubbio maggiore cautela si avrebbe avuto nell'ammissione di quest'opera.

In graviorem autem reprehensionem opus incurrit.

Ma a parte questa confessione degli interessati, bene più grave giudizio debbo portare a cognizione dei reverendissimi ordinari diocesani; giacchè posto il dubbio se la Storia della Chiesa antica del Duchesne possa ammettersi o almeno tollerarsi nei seminari, chiesi, come era mio dovere, il parere di consultori competenti, persone non solo estranee alla recente polemica, ma al sommo temperanti, ed il voto è stato del tutto negativo ; giacchè per le reticenze studiate e continue (che del resto ammette lo stesso autore) in cose talora di prima importanza, particolarmente se hanno attinenza col soprannaturale, per il dubbio che getta su altre, o per il modo con cui le espone, non solo non dà il vero concetto della storia della Chiesa, ma lo falsa e lo svisa enormemente, presentandola quasi

Numerantur quae iudicibus offensioni fuerunt : Adulterina ratio concipiendi histo-

---

[1] *Latine sic litteras reddimus.*

S. Sedes compertum habet quibusdam seminariis opus Duchesne *Storia della Chiesa antica* receptum, si non ut praelegeretur, saltem ut consultum adiretur manibus alumnorum traditum esse.

Si, quod in recenti controversia iis ipsis qui opus istud vulgandum curarunt agnoscendum fuit, observatum esset, id est, « librum agi reservatum doctis, personis bene excultis, qui non sit in seminariis circumferendus », magis circumspecte de eius admissione deliberatum esset.

Sed, praeter istam personarum quarum interest confessionem, multo gravius iudicium cum Reverendissimis dioecesum Ordinariis communicandum est. Proposito enim dubio utrum necne opus « Storia della Chiesa antica » a Duchesne conscriptum, in seminaria recipi vel saltem ibidem tolerari posset, quaesivi, pro meo officio, votum consultorum peritorum, qui recentis controversiae expertes, summa etiam moderatione praestabant. Horum porro suffragium prorsus negativum fuit. Namque, propter perpetuas et voluntarias praeteritiones (quas ipse scriptor fatetur) in rebus quandoque summi momenti, maxime si ad ordinem supernaturalem referantur; propter dubium quod aliis irrogat, vel modum quo eas exponit, genuinam Ecclesiae rationem non solum non dat, sed contra magnopere vitiat et deformat, cum Ecclesiam exhibeat

rtam Ecclesiae ;

come spoglia di quei carismi soprannaturali, su cui essa si basa e senza di cui non può spiegarsi.

Modus agendi de martyribus ;

Si aggiunga il quadro dei martiri, dei quali non solo fa scomparire il grande numero, ma che spesso rappresenta comme affetti di fanatismo, scuotendo così il grande argomento che dal loro eroismo soprannaturale si ricava in pro della fede, mentre viceversa i persecutori si presentano come uomini di genio, mossi alla persecuzione da un grande ideale politico.

De SS. Patribus.

Gli stessi Padri della Chiesa, questi veri geni dell'umanità, escono da questa storia diminuiti ed in alcune casi annientati. Così pure le epiche lotte per la fede contro gli eretici si ama spesso farle passare come cavillosi litigi, effetto di malintesi, che potevano falcilmente comporsi, quasicchè non vi fossero differenze sostanziali nella fede dei Padri della Chiesa ed in quella di Ario ed in altre. E non meno malconci riescono molti altri punti di capitale importanza, come il culto della Vergine Santissima, lo stato della Chiesa romana, l'unità della Chiesa, ecc. Per cui si è giudicato sommamente pericolosa e talora anche esiziale, la lettura di questa storia, così da doverne assolutamente proibire la introduzione nei seminari, anche come semplice testo di consultazione.

Varia alia offensionum capita.

Periculosum opus a seminariis prorsus arcendum est.

Approbatio et mandatum SS.

Riferita la cosa al Santo Padre, S. S. ha pienamento approvato questo parere e mi ha ordinato di fare le opportune communicazioni ai reverendissimi ordinari d'Italia ; ciò che compio con la presente.

Roma, 1° settembre 1911.

G. Card. De Lai, *Segretario.*

537. — S. CONGR. CONCILII

RESPONSUM EX AUD. SSmi 18 SEPT. 1911

De vigiliis festorum suppressorum Motu Proprio 2 iul. 1911 (A. A. S. 30 sept. 1911, 3, 480.)

Relato ab infrascripto S. C. Concilii Praefecto, in audientia diei 15 sep-

quasi privatam istis charismatis supernaturalibus quibus ipsa innititur, et sine quibus explicari nequit.

Huc addas causam martyrum quos non solum multitudine sua privat sed etiam saepe tamquam fanatismo infectos describit, labefactando sic magnum argumentum quod ex supernaturali eorum heroïsmo in gratiam fidei depromitur : dum persecutores contra perhibentur tamquam viri ingeniis magnis praediti, quos sublimes fines politici moverunt ad insectandum.

Ipsi Ecclesiae Patres, veri isti humani generis genii, ex ista historia imminuti et quandoque ad nihilum redacti apparent. Ipsa heroa certamina pro fide contra haereticos saepe lubet proponere tamquam cavillantium discidia, effectus errorum verbalium qui facile componi potuerant ; ac si nihil substantiale fidem Patrum Ecclesiae a fide Arii et aliorum divellat. Nec minus importune tractantur multa alia puncta principalis momenti, sicut cultus SS. Virginis, status ecclesiae romanae, unitas Ecclesiae, etc. Quare lectio istius historiae maxime periculosa atque interdum exitiosa iudicata est, ita ut introductio eius in seminaria, etiam mere ad consultandum, omnino prohibenda sit.

Re ad SS. D. relata, Sanctitas Sua iudicium istud plene approbavit, ac iussit ut Ordinarios Italiae de re opportune certiores redderem ; quod praesentibus litteris exsecutione compleo.

Romae, 1 sept. 1911.

tembris 1911, SSo Dno Nostro Pio Pp. X dubio a pluribus episcopis eidem S. C. proposito, an post Motu Proprio *Supremi disciplinae*, diei 2 iul. 1911 [1], adhuc servari debeant vigiliae festorum suppressorum, ex praecepto aut ex voto hucusque servatae, Sanctitas Sua iussit responderi: *Affirmative.*

Datum ex Secretaria S. C. Concilii, die 18 septembris 1911.

C. Card. GENNARI, *Praefectus.*
I. Ferro, adiut.

ANNOTATIO

Responsio ista cohaerere videtur cum voto S. Pontificis, ut exterior festorum suppressorum sollemnitas intacta maneat. Cfr. Motu Proprio 2 iul. 1911, et responsa 8 aug. 1911. (Supra, p. 80 et 84). Quid si agatur de vigilia Corporis Christi, quod, mutato titulo, celebratur ut ante, feria V post Dominicam SS. Trinitatis, ita tamen ut eius sollemnitas in dominicam proxime sequentem transferatur. Donec S. Sedes rem definierit, arbitramur servandum esse morem inductum in Belgium et Galliam post translatam in dominicum diem SS. Apostolorum Petri et Pauli sollemnitatem. Post hanc Cardinalis Caprara ordinationem, officium quidem vigiliae in sua sede intactum mansit. Sed ieiunium et abstinentia (nunc pro Belgio suppressa) observanda fuerunt sabbato ante dominicam sollemnitatis, exceptis annis quibus ipsum festum in hoc sabbato incidebat.

538. — SS. D. N. PII PP. X

MOTU PROPRIO 9 OCT. 1911

De trahentibus clericos ad tribunalia iudicum laicorum

(A. A. S. 10 nov. 1911, 3, 555.)

Authentica legum declaratio cur interdum necessaria sit.

Quantavis diligentia adhibeatur in condendis legibus, saepe non licet dubitationem praecaveri omnem, quae deinceps ex earum callida interpretatione queat exsistere. Aliquando autem iurisperitorum qui ad rimandam naturam vimque legis accesserint, tam diversae inter se sunt sententiae, ut quid sit lege constitutum, non aliter constare, nisi per authenticam declarationem, possit.

Diversae sententiae de censura lata contra Cogentes *iudices ad trahendos clericos ad suum tribunal.*

Id quod videmus contigisse, postquam Constitutio *Apostolicae Sedis* promulgata est, qua censurae latae sententiae limitantur. Etenim inter scriptores qui in eam Constitutionem commentaria confecerunt, magna orta est de ipsius Capite VII controversia; utrum verbo *Cogentes* legislatores personaeque publicae tantummodo, an etiam homines privati significentur qui iudicem laicum, ad eum provocando actionemve instituendo, cogant, ut ad suum tribunal clericum trahat.

[1] Cfr. PERIODICA Nostra supra, n. **526**, p. 80 ss.

Responsa S. Officii. *Recentes ausus.*

Quid valeret quidem hoc Caput, semel atque iterum Congregatio Sancti Officii declaravit. — Nunc vero in hac temporum iniquitate, cum ecclesiasticae immunitatis adeo nulla solet haberi ratio, ut non modo Clerici et Presbyteri, sed Episcopi etiam ipsique S. R. E. Cardinales in iudicium laicorum deducantur, omnino res postulat a Nobis, ut quos a tam sacrilego facinore non deterret culpae gravitas, eosdem poenae severitate in officio contineamus. Itaque hoc Nos Motu Proprio statuimus atque edicimus : quicumque privatorum, laici sacrive ordinis, mares feminaeve, personas quasvis ecclesiasticas, sive in criminali causa sive in civili, nullo potestatis ecclesiasticae permissu, ad tribunal laicorum vocent, ibique adesse publice compellant, eos etiam omnes in excommunicationem latae sententiae speciali modo Romano Pontifici reservatam incurrere.

Hinc nova sanctio.

Clausulae.

Quod autem his litteris sancitum est, firmum ratumque esse volumus, contrariis quibusvis non obstantibus.

Dies (9 oct. 1911).

Datum Romae, apud S. Petrum, die IX mensis octobris MCMXI, Pontificatus Nostri anno nono.

PIUS PP. X

Annotationes

1. Decreti quod Motu Proprio edidit S. Pontifex *causam*, *occasionem*, *finem* ipse non obscure indicat.

Causam remotam decreto dedit dissensio inter scriptores de vi censurae quae septima est inter excommunicationes latae sententiae quas C. *Apostolicae Sedis* S. Pontifici speciali modo reservavit, atque his verbis effertur : « Cogentes sive directe sive indirecte iudices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones : item edentes leges vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae. » De sola priore parte, immo de solis personis quae inter *cogentes* numerandae sint hic agitur. Per se dixeris etiam a privato viro qui litem intentet iudicem cogi posse, cum suum ministerium detrectare non possit. Proprie tamen ista iudicandi necessitas a lege proficiscitur ; et cum in altera parte constet sermonem de solis legislatoribus seu publicis potestatibus haberi, rationabilis interpretatio priorem partem etiam de solis personis publicis intellegit.

Ceterum ab ipso S. Officio controversia secundum benigniorem sententiam dirempta est. Inter responsa enim ad quae Pontifex alludit eminet profecto authentica declaratio quae 23 ian. 1886 nomine Leonis XIII per circulares Cardinalis S. Officii Praefecti litteras cum omnibus locorum Ordinariis communicata est. Sic enim sonat : « Cum de vero sensu et intellegentia huius capitis saepe dubitatum fuerit, haec Suprema Congregatio S. Romanae et Universalis Inquisitionis non semel declaravit — caput *Cogentes* non afficere nisi legislatores et alias auctoritates cogentes sive directe

sive indirecte iudices laicos [1] ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas praeter canonicas dispositiones. — Hanc vero declarationem Sanctissimus D. N. Leo Papa XIII probavit et confirmavit ; ideoque S. haec Congregatio illam cum omnibus locorum Ordinariis pro norma communicandam esse censuit. »

Occasionem autem decreto dederunt recentes lites in Gallia quibus, propter vindicata vel exercita iura Ecclesiae possidendi bona vel damnandi « *Manuels scolaires* », ipsi Praelati poenis et damnis multati sunt.

Finem demum sanctissimum Pontifex intendit, ut immunitatem fori, quae etiam ad tutandam cleri dignitatem inducta est, pro viribus confirmet ; et illud saltem assequatur ut rara maneant, immo rariora fiant iudicia ista in quibus ecclesiasticae personae tamquam reae compareant. Iudiciis enim istis plurimum detrahitur de auctoritate et honore status clericalis : quod bono rei publicae christianae, immo ipsius civitatis nocere nemo sapiens non videt.

2. Quamvis priora Pontificis verba declarationem annuntiare videantur, re tamen vera, sicut constat ex recitata S. Officii interpretatione, novum conditur ius, poenale quidem, quo ad exstantem obligationem sanctio censurae additur.

In laudatis enim S. Officii litteris obligatio privatorum sic describebatur : « Ceterum in iis locis in quibus fori privilegio per Summos Pontifices derogatum non fuit, si in iis non datur iura sua persequi nisi apud iudices laicos, tenentur singuli prius a proprio ipsorum Ordinario veniam petere ut clericos in forma [2] laicorum convenire possint : eamque Ordinarii numquam denegabunt, tum maxime cum ipsi controversiis inter partes conciliandis frustra operam dederint. Episcopos autem in id forum convenire absque venia Sedis Apostolicae non licet. Et si quis ausus fuerit trahere ad iudicem seu iudices laicos vel clericum sine venia Ordinarii, vel Episcopum sine venia S. Sedis, in potestate eorundem Ordinariorum erit in eum, praesertim si fuerit clericus, animadvertere poenis et censuris ferendae sententiae, uti violatorem privilegii fori, si id expedire in Domino iudicaverint. »

Obligationem istam S. Pontifex *ex parte* munit sanctione

[1] Antea, 15 iun. 1870, excommunicationem in ipsos iudices non cadere ab eodem S. Officio declaratum erat. Die autem 1 februarii 1871, S. Officium respondit, excommunicationem « non attingere eos qui subordinati sunt, etiamsi iudices fuerint, sed eos tantum qui, a nemine coacti, vel talia agunt vel alios ad agendum cogunt. » « Itaque, sic d'ANNIBALE, *Summula theol. mor.* III, n. 390 nota 7, *cogentes* accipere debemus hos qui vel nullum superiorem magistratum agnoscunt (*Ministros* vocant) ; vel qui sponte sua, *a nemine*, ideoque nec a lege coacti, cogunt iudices trahere ad suum tribunal eos qui fori privilegio gaudent. »

[2] Mendose scriptum putamus pro *in forum*.

excommunicationis quae speciali modo ipsi reservata est.

3. *Ex parte* inquam ; minus late enim quam recitata obligatio, ipsa sanctio patet. Et re quidem vera, obligatio respicit omnem actionem qua clericus in forum laicorum vocetur. Assignando enim clericis privilegiatum forum, lex canonica vetat ne ad aliud tribunal citentur, secundum illud : *actor sequitur forum rei.*

Observes rursus verba Pontificis : Solae excommunicantur personae quae clericos « ad tribunal laicorum vocent, ibique adesse publice compellant ». Quocirca, ut incurrant in censuram oportet ut huius modi sit causa qua clericum se in foro laicorum praesentem sistere cogatur. Si ita res se habent, sanctio excommunicationis contrahenda est ad istas causas in quibus privata actio magistratum secundum leges patrias obligat ut clericum ad suum tribunal trahat nec, antequam publicam auctoritatem qua clericus cogatur advocaverit, id est ante efficacem citationem, censura committitur.

Ut exemplis legum nostrarum rem confirmemus, id in Belgio praecipue accidet :

a) Cum agitur de delicto *diffamationis*, quod ex art. 450 Codicis poenalis, nisi privata persona id postulet, publica auctoritate puniri nequit ;

b) Cum pars laesa delicto quod non curiae assisiarum sed tribunali iudicum *(correctionnel)* sontem obnoxium facit, ecclesiasticam personam ad istud tribunal directe citat, ut agat de damnis sarciendis *(par citation directe de la partie civile)*. Cfr. art. 63. 64. 182 Cod. instructionis criminalis.

c) Cum in civili causa clericus ipse iubetur iuratus variis quaesitis respondere (*Interrogatoire sur faits et articles*. Cod. proc. civ. art. 324-336), v. gr. cum captatio testamenti agitur.

De publica vero actione quae a procuratore fiscali initium habet (quamvis persona privata delictum denuntiaverit), vel de lite mere civili quae inter partium procuratores *(avoués)* agitur vel agi potest [1] ita ut ipsae partes comparere non debeant, in Motu Proprio siletur. Haec in statu quo ante permanent.

4. Ea sola vocatio in ius intellegenda est qua clericus ut *reus (inculpé, défendeur)* nec mere ut testis vel alio titulo adesse in foro cogatur. Ii enim privati plectuntur qui causa sunt ut iudex laicus « ad suum tribunal clericum trahat » Sed, ut monet iam R. P. Lehmkuhl « in ius trahere intellegitur aliquem trahere ut *reum* vel *contra quem* agatur [2]. »

5. S. Pontifex « quasvis personas ecclesiasticas » ab iniuriosa ista vocatione in ius tueri intendit, ita ut omnes qui lato sensu clerici dicuntur (etiam novicii, Sorores) et

[1] Coram iudice pacis vel tribunali negotiatorum *(tribunal de commerce)* partes possunt in causis civilibus vel se praesentes sistere vel procuratorem sibi eligere ; dum in tribunali ordinario, advocatorum *(avoués)* ministerio uti debent.

[2] *Theologia moralis* II, n. 1196.

privilegiis clericalibus fruuntur Motu Proprio protegantur.

6. Excommunicatio autem in quemlibet privatum cadit qui sine potestatis ecclesiasticae venia ecclesiasticam personam in foro laico publice adesse cogat.

7. Proprius *ipsorum* Ordinarius, si clericos Episcopis inferiores, S. Pontifex, si Episcopos in ius vocare volueris, sunt pro venia adeundi. Ita laudatae S. Officii litterae, quae addunt veniam numquam ab Ordinariis denegandam esse. Simul suadent ut Ordinarii parties pacificare prius conentur.

« *Ipsorum* » Ordinarius videtur esse Ordinarius eorum qui citandi sint. Pro exemptis religiosis erit eorum Praelatus.

Quid si *Praelatum regularem* citare volueris ? Cum nulla peculiaris mentio de eo facta sit, vel ipse citationi assentiri posse videtur, vel Praelatus maior aut S. Sedes adeundi erunt.

8. Sicubi pactio quaedam cum S. Sede, quale Austriacum concordatum, sinat potestati laicae civiles, immo criminales clericorum causas iudicare, pactio ipsa pro generali facultate litem de his causis instituendi haberi profecto potest.

Quid autem de regionibus ubi clerici a multis annis privilegiato foro destituti sunt ? Rev^mus D. D^r Heiner auditor Rotae ea esse sententia videtur, ut regiones istae praesenti Motu Proprio non afficerentur. Tunc autem vis istius legis tam sollemniter latae fere in nihilum redigitur. Quid, quod ex recentibus Galliae factis Pontifex occasionem sumpsit novam legem ferendi ? Praeterea, nonne pro istis regionibus latum est decretum 1886, quo privati actores iubentur licentiam petere ut clericum conveniant ? Huic decreto esse, saltem in re poenali consuetudine derogatum quomodo demonstraris ? Nec usum fuisse nec, si exsisteret rationabilem esse constat, cum Ecclesia pro viribus resistat. Cfr. Aichner, *Compendium iuris canonici* § 216. Quare Lehmkuhl ; *Theol. mor.* II, 1196 vult ut exemptio clericorum quod ad substantiam serve'ur. Fieri itaque potest ut ipsa S. Sedes, ad subortas querelas sopiendas, decretum benigno hoc modo authentice declaret. Interea tamen, si causa agitur criminalis seu poenalis, *Motu proprio* etiam in nostris partibus standum esse arbitramur. In causa mere civili, ubi firmior usus invaluerat nullam petendi licentiam, non repugnamus quin sententiae R. D. Heiner calculus adicia ur. Quare de tertio casu supra citatio ratio haberi non debet.

9. Haec qui consideraverit, facile perspiciet non esse cur nova ista lege animi commoveantur, sicut proh ! dolor, ignorantia aliorum et aliorum dolo non in uno loco turbati atque exasperati sunt. Haec tamen, non minus quam exemplum S. Officii in suis declarationibus annorum 1870, 1871, et 1886, nos monent tum in nova lege interpretanda, tum in ea urgenda, magna circumspectione opus esse.

539. — SS. D. N. PII PP. X

MOTU PROPRIO 23 OCT. 1911

De reformationibus quibusdam Ordinis Fr. Minorum

(A. A. S. 10 nov. 1911, 3, 556.)

Cur in Ordine Fratrum Minorum visum sit antiquarum Provinciarum autonomiam restituere. Confusio causa fuit dissensionum.

Quo magis incolumis fiat unio quattuor Familiarum Minoriticarum, quae pari omnino iure parique minoritico titulo, sive Regularis sive Strictioris Observantiae S. Francisci, unum morale Corpus constituebant, et quo facilius augescat opus feliciter absolutum a Leone XIII, piae recordationis, necessarium duximus prorsus eliminare quandam permanentem semperque graviorem discordiae et mutuae diffidentiae causam, productam e *fusione* multarum Provinciarum Fratrum Minorum, inclinationes, usus et consuetudines diversas habentium, iuxta differentem ex-familiam ad quam pertinebant, restituendo familiis antiquarum Provinciarum, quae super hoc Nos instantissime efflagitarunt, et quae ob auctum sacerdotum numerum et ob alias causas poterant de novo constitui, ipsarum autonomiam, servata tamen perfecta unione Constitutionum et Regiminis, praescripta a Leone XIII, et hoc fine prae oculis habito, ut praefatae Provinciae differentia haberent territoria et non *commixta*, exceptione facta pro nonnullis magnis civitatibus relate ad aliquas Provincias.

Quibus adhibitis mediis, *revixit* promissio facta et usque ab initio iterata ex parte Superiorum qui promoverunt unionem ; quo vocabulo significare volebant, non fusionem, nec destructionem Provinciarum, sed plenam legislationis et regiminis unitatem, efformando unam dumtaxat magnam Minoriticam Familiam, perfecte unitam. Fusio illa Provinciarum ex parte Superiorum Maiorum bona fide facta fuit ; verum finis per se nobilis quem prae oculis habuerant, in praxi id effecit, ut multorum animi magis seiungerentur : idcirco temerarie et iniuste reprobarentur, tum vivum desiderium, tum humiles preces quas Apostolicae Sedi porrexerunt plures religiosi, non exceptis etiam iis dignioribus ob singularem virtutem, scientiam et auctoritatem, ut intra unionem recuperaretur antiqua autonomia quod ad respectivas ipsorum Provincias, atque ita de medio tolleretur pomum discordiarum quae, praecipue in Italia, fiebant gravissimum, immo et imminens periculum completae ruinae unionis sanctissimae, factae per constitutionem *Felicitate quadam*.

Rationes varia reformandi in eligendis et ordinandis Curiis generalibus et provincialibus,

Sublata hoc modo praecipua dissensionum causa, nunc omnis cura est adhibenda ut in hac magna Minoritica Familia, quam constanti amore prosecuti fuimus et prosequimur, gubernium generale, provinciale et locale totius Ordinis facilius, efficacius et salutarius reddatur, et insuper, ut in omnibus Generalibus Comitiis, quando, sexto quovis anno, iuxta Constitutionum praescriptum, simul conveniunt quotquot gaudent iure suffragii in Capitulis Generalibus, semper fiant electiones Ministri Generalis et Definitorii Generalis, cum non dissimili temporis duratione. Sed quoniam, ut experientia docet, nimius Consiliariorum numerus recto regimini magis nocet, quam prodest ; necesse est ut restringatur numerus Religiosorum fruentium iure assistendi coetibus definitorialibus. Expedit insuper, ut Ordo agnoscat quinam de iure vices gerere debeat Ministri Generalis aut

Provincialis, Sede plena aut Sede vacante ; ut electiones fiant cum maturo examine, multa cum serietate et religione, remoto prorsus abusu iteratorum scrutiniorum cum excessivo omnino numero, qui saepius deploratus fuit, et qui non leves discordias fovet, et quodammodo destruit aestimationem debitam auctoritati tum eligendorum, tum electorum ; ut novae electiones semper debitis normis et intra debitos limites peragantur.

in privilegiis et praecedentiis,

Praeterea, cum tituli honorifici, ius praecedentiae et exemptionum, seu personalia privilegia, concessa velut in praemium temporale et velut honor terrenus, religiosas familias facile avertant a plena regularis disciplinae observantia, et saepissime etiam a vero progressu individuali in virtutibus, iure meritoque quamplures e dignioribus filiis Seraphici sanctae humilitatis Magistri Francisci Assisiensis, vehementissime cupiunt et instant, ut tales honores et privilegia quae practice redundant in personale tantum et terrenum commodum, ex Ordine removeantur ; cumque talis petitio penitus respondeat desideriis Nostris, idcirco praefata privilegia tollimus, abolemus, abrogamus, exceptione facta, ex parte tamen, pro Ex-Provincialibus immediatis et pro Fratribus qui duas primas Dignitates totius Ordinis exercuerint, scilicet pro Ex-Ministris Generalibus et Ex-Procuratoribus Generalibus, et pro hisce ultimis, etiam quia officio Procuratoris Generalis erit annexum illud Delegati aut Vicarii Generalis.

quamvis bene meriti digni sint speciali reverentia et consideratione.

Haec autem non excludunt, sed id etiam includunt, ut Patribus qui vires suas consumpserunt aut consumunt in bonum Ordinis, in difficilioribus aut gravioribus muneribus exercendis, omnes et singuli conentur specialem exhibere reverentiam, grati animi significationem, in spiritu verae dilectionis, caritatis et cuiusdam veluti aequitatis : sed gratissimum erit Deo mutuum et sanctum illud certamen, quo subditi suos iam Superiores aliosque benemerentes adiuvabunt et reverebuntur, et quo isti totis viribus evadere curabunt humiliores, et eo magis alieni fieri a quolibet vel desiderio honorum et specialium adiumentorum, quo maiora fuerunt ipsorum merita, tum praeterita, tum praesentia. Deo maxime quidem acceptus et benedictus a Seraphico Patre erit ardor ille laudabilissimus, quo viri apostolici, peritissimi sacrarum scientiarum professores atque eximii educatores et moderatores Fratrum Minorum, nullum alium honoris titulum aut privilegium habere satagent, quam abiectos vivere in Domo Dei, novissimum locum quaerere, et nullum suorum operum praemium desiderare in terris, ut securius maiora praemia, imperituros honores, retributionem maximam in aeterna beatitudine consequantur.

Hinc decreta :

Quapropter Motu hoc proprio sequentia omnino perpetuoque servanda edicimus, decernimus, mandamus :

Numerus Definitorum.

I. Sex tantum erunt Definitores Generales, ex quibus duo pro lingua italica ; unus pro lingua germanica ; unus pro lingua anglica ; unus pro lingua gallica ; unus pro lingua hispanica.

Lingua, quo modo sumenda.

II. Lingua tamen hic sumenda erit promiscue etiam pro imperio, regno, regione, cum linguis et regionibus affinibus vel vicinioribus, dummodo tamen eligendus veram peritiam habeat linguae in praecedenti articulo designatae.

In quodnamspatium temporis eligantur mo-

III. Officium Ministri, Procuratoris et Definitorum Generalium per sex tantum annos perdurabit. Post primum tamen sexennium, Minister, Procurator et duo tantum ex Definitoribus rationabili de causa reeligi poterunt

deratores generales. De iterata eorum electione.

ad secundum sexennium, dummodo duas ex tribus partibus votorum favorabilium obtineant. Pro ulteriori sexennio requiritur licentia S. Sedis.

De scrutiniis.

IV. In electionibus Ministri Generalis, Procuratoris Generalis et Ministri Provincialis, si post tertium scrutinium non habeatur electio, fiat quartum, in quo vocem passivam habeant duo Patres qui maiorem suffragiorum numerum in tertio rettulerint: et si suffragia fuerint paria, electus declaretur religione senior. — In electionibus Definitorum, tum Generalium, tum Provincialium aliorumve Superiorum seu Officialium per scrutinia secreta constituendorum, inaniter peracto primo et secundo scrutinio, fiat tertium tantum, in quo sufficiat maioritas relativa suffragiorum: quod si suffragia fuerint paria, electus proclametur religione senior.

De officiorum provincialium temporali spatio.

V. Ministri, Custodes et Definitores Provinciales per triennium in officio perdurent. Ministri Provinciales, Custodes et duo ex Definitoribus rationabili de causa reeligi possunt ad secundum triennium; sed pro ulteriori triennio requiritur licentia S. Sedis.

De Guardianis.

VI. Guardiani per triennium in officio perdurent, seu de Capitulo ad Capitulum: abrogatis omnino congregationibus annuis seu intermediis. Elapso triennio, Guardiani iusta de causa eligi possunt pro alio conventu; pro secundo triennio in eodem conventu, requiritur licentia Ministri Generalis. Pro tertio autem triennio in eodem conventu, et pro quarto triennio in alio vel aliis requiritur licentia S. Sedis.

De vices agentibus.

VII. Absente Ministro Generali, Procuraror Generalis, et absente Provinciali, Custos Provincialis munere Delegati Generalis vel Provincialis respective fungi debet; qui, vacante officio, nomen Vicarii Generalis vel Provincialis item respective assument.

De titulis praecedentiae et exemptionibus.

VIII. Tituli praecedentiae et exemptiones de iure vel consuetudine in Ordine vigentes inter eos qui actu Superiores non sunt, omnino tolluntur. Soli Ex-Ministri et Ex-Procuratores Generales, semper et ubique, et Ex-Provincialis Minister durante immediato triennio, sed in sua Provincia tantum, titulum et praecedentiam habere poterunt cum voce activa et passiva in capitulis generali et propriae Provinciae, si de Ex-Generali et Ex-Procuratore, et in Capitulo Provinciali, si de Ex-Provinciali agatur. Nullus vero, etiamsi sit Ex-Generalis, locum aut vocem habere poterit in congressibus definitorialibus, sive generalibus, sive provincialibus.

Reformanda studia. Inutiles tituli supprimendi.

IX. Fiant reformationes studiorum, et normae Lectorum constituendorum, suppressis titulis officiorum quae actu non exercentur.

Partialis constitutionum reformatio.

X. Constitutiones Ordinis reformentur infra sex menses iuxta praescripta in praesenti decreto, idque per specialem Commissionem a S. Sede designandam, additis insuper necessariis aliis et opportunis modificationibus, tum ut plane respondeant hodiernis praescriptionibus Canonicis, tum ut e medio tollantur abusus qui novissimis praesertim temporibus hinc inde irrepserunt, tum ut spiritus vere seraphicus in toto Ordine efficacius uberiusque vigeat novaque semper incrementa suscipiat. — Haec tamen Constitutionum reformatio non importat substantialem mutationem earundem, sed novam tantummodo editionem cum suppressione vel modificatione eorum quae hisce Nostris praescriptionibus contradicunt, et cum emendationibus et additionibus opportunis et necessariis.

Provisiones peculiares.

Nomina Moderatorum Curiae Generalitiae Ordinis Minorum, per has Nostras praescriptiones reformatae, a Nobis electorum et constitutorum,

in separato documento publicari mandamus. Circa Commissionem novae Constitutionum editioni parandae, cum novis Superioribus voluntatem Nostram communicandam curabimus. Denique ipsis Superioribus Generalibus, ad maius totius Ordinis bonum et incrementum, opportunas Regiminis Normas dabimus.

Contrariis quibuscumque, etiam specialissima mentione dignis, minime obstantibus. *Clausula derogatoria.*

Datum Romae, apud S. Petrum, die 23 octobris anni 1911, Pontificatus Nostri anno nono. *Dies (23 oct. 1911).*

PIUS PP. X

540. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

DECRETUM ET EPISTOLA 23 OCT. 1911

De quibusdam reformationibus Ordinis Fratrum Minorum

A. *Decretum quo moderatores generales ordinis fratrum minorum constituuntur.* (A. A. S. 10 nov. 1911, 3, 570.)

SS^mus Dominus Noster Pius Divina Providentia Papa X, ad normam Motus-Proprii *Quo magis* huius diei 23 octobris 1911, sequentes Moderatores Generales Ordinis Fratrum Minorem eligere et constituere ad nutum Sanctae Sedis dignatus est : *Nominantur moderatores generales.*

Ministrum Generalem
P. Pacificum Monza.

Procuratorem Generalem
P. Placidum Lemos.

Definitores Generales
P. Franciscum Masulli
P. Iosephum Bottaro
P. Petrum Begley
P. Ludovicum Antomelli
P. Columbanum Dreyer
P. Valerianum Bendes.

Qui omnes, a promulgatione huius Decreti, in possessionem proprii muneris legitime immissi declarantur, quique proinde omnino a Superioribus et a subditis universis, tamquam veri Moderatores Generales Ordinis Minorum habeantur, iisque virtute sanctae obedientiae, humili et religiosa reverentia fideliter pareant. *Dies a qua munus possideant.*

Contrariis quibuscumque, etiam speciali mentione dignis, minime obstantibus. *Clausula derogatoria.*

Datum Romae, die 23 octobris anno 1911.

Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus.*
F. Cherubini, Subsecretarius.

B. *Epistola ad R. P. D. Bernardum Iosephum Doebbing, O. M., episcopum Sutrinum et Nepesinum de motu proprio « Quo magis », de decreto adiuncto, deque electione R. P. Ludovici Schuler in archiepiscopum, familiae minoriticae communicandis.* (A. A. S. 10 nov. 1911, 3, 570.)

Ill^mo e R^mo Monsignore [1],

Honorificae promulgationi decretorum consulitur.

La Santità di Nostro Signore Pio Papa X, per dare un attestato del suo speciale amore all' Ordine dei Frati Minori, si è degnata ordinare che l'accluso Motu-Proprio e annesso Decreto vengano da Lei, come Vescovo Francescano, specialmente delegato al caso, promulgati innanzi alla Curia Generalizia ed a tutta la Religiosa Famiglia del Collegio Internazionale di S. Antonio in Via Merulana, all' uopo convocata nella Chiesa del detto Collegio.

Gratiae Rev^mo P. Schuler referantur,

Vuole inoltre il Santo Padre, che nell' augusto Suo nome la stessa S. V. ringrazi pubblicamente il Reverendissimo Padre Schuler per le sue benemerenze verso l'Ordine, e per la buona volontà e spirito di sacrifizio col quale lo ha governato.

qui dignitatem archiepiscopalem prompte acceptet,

Come solenne attestato di tanta benevolenza, voglia anche annunziare a tutta la religiosa Famiglia, che Sua Santità si è degnata di elevare il sullodato Padre Schuler alla dignità Arcivescovile ; e siccome quest'onore non è soltanto per la sua degnissima persona, ma anche per speciale decoro di tutto l'Ordine, tanto caro al Papa, vuole la Stessa Santità Sua, che da lui venga accettato con umile e pronta obbedienza.

sicut novi Moderatores generales onus subire iubentur.

Inoltre il Santo Padre comanda, in virtù di santa obbedienza, ai nuovi eletti Superiori Generali di accettare umilmente e prontamente l'onere ad essi imposto, sforzandosi di governare l'Ordine con ogni sollecitudine, perchè questo faccia sempre nuovi progressi nello spirito serafico a vantaggio del popolo cristiano e delle Missioni estere, alle quali l'Ordine intiero ha consacrato e consacra i sudori ed anche il sangue dei suoi migliori Figli ; e a tale scopo pongano tutti la loro fiducia nel S. Cuore di Gesù, e nell'intercessione validissima dell' Immacolata Vergine Maria, e nella paterna protezione del Serafico Patriarca.

Finis persequendus ; spes habenda.

---

[1] Id est, latine : — Ill^me et Rev^me Domine, SS. Dominus Pius Pp. X, ut specialem suam dilectionem Ordini Fratrum Minorum demonstraret, iubere dignatus est ut inclusum Motu Proprio et coniunctum decretum, coram Curia Generalitia et omni Familia religiosa Collegii internationalis S. Antonii in via Merulana, in hunc finem in praefati Collegii ecclesiam congregata, a Te, qua Franciscali episcopo, specialiter ad hoc delegato, promulgarentur.

Vult praeterea Beatissimus Pater ut augusto ipsius nomine, Amplitudo Tua Rev^mo Patri Schuler, de suis bonis meritis erga Ordinem et de prompta voluntate ac generosa abnegatione qua eundem administravit, publicas gratias ageret.

In sollemne tantae benevolentiae documentum, velit A. T. omni familiae religiosae etiam annuntiare praelaudatum Patrem Schuler benigna SS. voluntate ad dignitatem archiepiscopalem promotum esse ; qui honor cum non sit tantum dignissimae eius personae verum etiam in speciale totius Ordinis, Pontifici tam cari, decus cedat, vult SS. D. ut ab ipso humili et prompta oboedientia acceptetur.

Praecipit praeterea B. Pater in virtute sanctae oboedientiae novis electis Superioribus Generalibus ut humiliter et prompte onus sibi impositum acceptent, conando ut omnimoda sua sollicitudine in Ordine gubernando, seraphicus eius spiritus continua incrementa sumat, in utilitatem populi christiani et Missionum exterarum, quibus Ordo omnis sudores atque etiam sanguinem optimorum suorum filiorum devovit ac devovet ; ideoque in S. Corde Iesu, in potentissima Immaculatae Virginis intercessione, atque in paterna Seraphici Patriarchae protectione, omnem suam fiduciam reponant.

Finalmente la S. V. aggiungerà, che Sua Santità concede al Reverendissimo Padre Schuler e al cessante e nuovo Definitorio ed all' Ordine intiero la Sua Apostolica Benedizione, perchè sia pegno di strettissima carità, pace e concordia di tutti i Religiosi fra loro, senza distinzione nè preferenza di ex-Famiglia, anzi efficacemente si estenda con fraterno ardore, sempre crescente, a quanti fanno parte del Primo Ordine Francescano. *Impertiendae Benedictionis apostolicae significatio.*

Della S. V. Illma e Revma.

Roma, 23 ottobre 1911. *Dies (23 oct. 1911).*

Devmo Servitore ed affmo Confratello
Fr. G. C. Card. Vives, *Prefetto.*
F. Cherubini, Sottosegretario.

---

541. — S. CONGR. CONCILII

LITTERAE 28 AUG. 1911

De ieiunio et abstinentia in festis suppressis

Romae, die 28 augusti 1911. *Dies.*

Eme ac Revme Domine mi Obsme,

Non nisi ob sollemnitatem diebus festis qui Motu Proprio « Supremi disciplinae ecclesiasticae » servati sunt, fideles ab observantia legis de ieiunio et abstinentia ab usu carnium eodem Motu Proprio dispensati fuerunt, si forte aliquod ex iisdem festis in diem incidat abstinentia vel ieiunio consecratum. Eapropter cum in Belgica hac Natione ex indulto, a Summo Pontifice Pio PP. VII, die 9 aprilis anno 1803 dato, non octo sed quattuor tantum festa, Nativitatis nempe et Ascensionis D. N. J. C., Assumptionis B. M. V. et Omnium Sanctorum sint praeter Dominicas observanda, pro hisce et non pro reliquis istiusmet Nationis fideles relaxatione seu dispensatione frui possunt ab observantia legis de ieiunio et abstinentia nuperrimo Motu Proprio concessa Expressis enim verbis novissima lege de diebus festis servandis cautum est quod nihil de iisdem esset innovandum, iis in locis in quibus speciali aliquo privilegio minores iidem adhuc numero constituti reperirentur. Quod si peculiari concessione *Allegata dispensationis causa,* *Negatur Belgio privilegium prodesse.* *Arguitur etiam ex legis verbis.* *Indultum*

Denique A. T. subiunget, a Sanctitate Sua Revmo Patri Schuler, abeunti et novo Definitorio atque Ordini universo Apostolicam suam Benedictionem impertiri, quae pignus sit artissimae caritatis, pacis et concordiae quibus omnes Religiosi sine discrimine et praelatione ex-Familiae inter se coniungantur, immo quae fraterno atque usque crescente ardore ad omnes quotquot pars sunt primi Ordinis Franciscani efficienter porrigantur.

Amplitudinis Tuae Illmae et Revmae.

Romae 23 oct. 1911.

Devmus servus et amantissimus Frater,
Fr. G. C. Card. Vives, *Praefectus.*
F. Cherubini, Subsecretarius.

pro 1a ianuarii vigere pergit.

a SSmo D. N. PP. X anno 1903 data, indultum fuit ut fideles istis in locis in festo Circumcisionis D. N. I. C. carne vesci potuerint, quamcumque in diem festum ipsum inciderit, nil in praesens obstat, quominus hoc indulto iidem fideles et in posterum uti possint, sub conditionibus eodem in indulto appositis, particularibus nempe concessionibus, si quae obtentae fuissent, recenti Motu Proprio derogatum non est.

Manus tuas humillime deosculans me profiteor.

E. V.

Humillum Obedientissum Servum
C. Card. Gennari, *Praef.*
I. Grazioli, Subsecretarius.

Mechlinien.
Emo Archiepiscopo.

Annotatio

De vi praesentis responsi supra, p. 92, ubi harum litterarum summa proponitur. Easdem plene hic exscribere operae pretium esse videbatur.

542. — S. CONGREGATIO RITUUM

RESPONSA 17 NOV. 1911

De sollemnitatis SS. Corporis D. N. I. C. festo vel octava, quod ad occurrentias

Occasio **dubiorum** *de festo commem. SS. Corporis Xi et eius octava occurrente alia octava*

Cum festum commemorationis sollemnis Sanctissimi Corporis D. N. I. C., ex Decreto 24 iulii vertentis anni, amodo celebrandum sit cum octava privilegiata ad instar octavae Epiphaniae, Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione insequentia dubia proposito fuerunt, nimirum:

I. Utrum, adveniente festo commemorationis sollemnis Sanctissimi Corporis D. N. I. C., continuari adhuc debeant octavae inchoatae: et an sua octava gaudeat festum aliquod duplex primae classis intra hanc octavam privilegiatam occurens?

vel festo dupl. 1ae classis

II. An dies octava praefatae commemorationis sollemnis Sanctissimi Corporis D. N. I. C., excludat duplicia primae classis occurrentia? Et Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, audita Commissionis Liturgicae sententia, reque maturo examine discussa ac perpensa, ita respondendum censuit:

Responsa.

Ad I. Ad I. Affirmative ad utrumque.

Ad II. Ad II. Affirmative, excepto festo SS. Apostolorum Petri et Pauli.

Dies (17 nov. 1911). Atque ita rescripsit, die 17 novembris 1911.

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus.*
† *Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secretarius.*

Annotationes

1. Privilegium octavae Epiphaniae in hoc consistit quod diebus infra octavam fit tantum de duplicibus primae classis

occurrentibus cum commemoratione octavae; dies vero octava excludit quodlibet officium, etiam duplex primae classis. Porro nonnulli auctores contendebant diem octavam epiphaniae hoc privilegio gaudere unice propter commemorationem baptismi Christi hac die habitam, indeque concludebant hoc nullo modo transferendum esse ad octavam Corporis Christi, si haec celebrari contigerit privilegiata *ad instar octavae Epiphaniae;* et in hunc sensum pluries responderat S. Congregatio Rituum (2969 ad 2, 3006 ad 9). A priori decisione proinde recedit Congregatio, exceptione tamen facta pro solo festo sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, quippe quod sit unum ex sollemnioribus Universalis Ecclesiae festis.

2. Ex rubricis generalibus Breviarii, octavae quae non prostant in ipso breviario, etiamsi praedictae octavae omnino celebrandae sint ex regulis generalibus, prohibentur a die 17 dec. usque ad diem Epiphaniae inclusive; sed illa prohibitio nullo modo se extendit ad ipsam octavam Epiphaniae, ita ut festum patroni vel titularis infra octavam occurrens octavae suae habendae ius suum servet. Ex eo proinde quod octava Corporis Christi celebranda sit *ad instar octavae Epiphaniae,* non sequitur festum aliquod primae classis infra praedictam octavam occurrens suo habendae octavae iure privari. Sed neque ulla apparet ratio cur octava aliqua iam inchoata, adveniente festo Epiphaniae, abrumpatur. Nullo modo proinde mirandum est si Congregatio, iterum a priore responso recedens (2954), illas octavas continuandas praeceperit.

3. Patet, durante tota octava Corporis Christi, alias illas octavas ius tantum habere ad commemorationem in Vesperis, Laudibus et Missa; immo perinde dicendum est etiam si infra octavam Corporis Christi occurrat *dies octava* alicuius festi.

Iosephus Pauwels, S. I.

DECRETA SUMMATIM RELATA

543. — *SS. D. N. PII PP. X* [1]

A. *Laudatur coetus ad « pacem tuendam »* (A. A. S. 30 sept. 1911, 3, 473.).

Argumentum litterarum. Litteris datis 11 iun. 1911, ad Delegatum apostolicum in Foederatis Americae civitatibus, S. Pontifex laudat coetum ad pacem inter gentes tuendam et sollicitudines pacis armatae (ut aiunt) amovendas.

B. *Confraternitas S. Missae reparatricis erigitur in archiconfraternitatem* (A. A. S. 15 sept. 1911, 3, 409).

Argumentum litterarum. Litteris in forma Brevis, 30 iun. 1911, S. Pontifex confraternitatem S. Missae reparatricis ad resarcienda peccata eorum qui Missam diebus festis praetermittunt, constitutam in templo S. Crucis vulgo « dei Lucchesi » in Urbe, in archiconfraternitatem erigit, eique facultatem indulget aggregandi sibi similes sodalitates in Italia et insulis adiacentibus.

C. *Ecclesia B. Virginis Christianorum adiutricis Augustae Taurinorum in basilicam minorem erigitur* (A. A. S. 15 sept. 1911, 3, 410).

Argumentum litterarum. Litteris in forma Brevis 13 iul. 1911, S. Pontifex ecclesiam quam Ven. Ioannes Bosco, Salesianae familiae pater, excitandam curavit, quaeque continens est domui principi eiusdem religiosae familiae, in basilicam minorem erigit.

D. *Commendantur opera ad tuendos operarios ex Italia in exteras nationes migrantes* (A. A. S. 30 sept. 1911, 3, 513.).

Argumentum litterarum. Litteris Secretariae Status ad Ordinarios Italiae, 8 sept. 1911, nomine SS. D. N. varia practica inculcantur ad tutelam fidei et morum operariorum migrantium.

E. *Laudes tribuuntur memoriae G. von Ketteler, Moguntinorum Episcopi* (A. A. S. 15 oct. 1911, 3, 521.).

Argumentum litterarum. In litteris datis 12 iulii 1911 ad praesidem coetus catholicorum Germaniae, Moguntii coadunatorum, laudatur G. von Ketteler tum quod ad opera, tum quod ad doctrinam socialem.

F. *Concilium nationale Armenorum convocari praecipitur* (A. A. S. 15 oct. 1911, 3, 522.).

Concilium armenum. In litteris datis 30 iul. 1911, ad Episcopos Armenos catholicos, SS. D. N. laudes impertit huic Ecclesiae, indicto Concilio Romae celebrando.

---

[1] Summarias istas relationes, ad usum lectorum nostrorum benigne confecit I. SALSMANS, S. I.

G. *Ecclesiastica Hierarchia in Anglia denuo ordinatur* (A. A. S. 10 nov. 1911, 3, 353.).

Hierarchia ecclesiastica in anglia.

In Constitutione *Si qua est*, V kal. nov. 1911, post magnas laudes Ecclesiae Angliae impertitas, SS. D. N. constituit duas novas ecclesiasticas provincias, *Birmingamiensem* et *Liverpolitanam*. Birmingamiensi provinciae suffraganeae erunt ecclesiae Cliftoniensis, Menevensis, Neoportensis, Plymuthensis et Salopiensis ; Liverpolitanae provinciae suffragabuntur ecclesiae, Hagulstadensis-Novocastrensis, Loidensis, Medioburgensis et Salfordensis. *Westmonasteriensis* provincia suffraganeas habebit ecclesias Northanthoniensem, Nottinghamensem, Portusmuthensem, Southwarcensem. Insuper Archiepiscopo Westmonasteriensi praerogativae quaedam conceduntur : praeest collationibus episcopalibus, primo gaudet loco super Archiepiscopis aliis duobus, totius Ordinis Episcoporum Angliae personam gerit coram suprema civili potestate, etc.

H. *Allocutio habita in Consistorio, 27 nov. 1911* (A. A. S. 30 nov. 1911, 3, 585).

Argumentum allocutionis.

SS. D. N. queritur quod annus 1911 S. Sedi peculiariter luctuosus fuerit tum propter sollemnem « unitatis Italiae » commemorationem et contumelias etiam Romae S. Sedi impactas, tum propter violentam Ecclesiae Lusitanae oppressionem. Solatur autem S. Pontificem devotio erga SS. Eucharistiam ubique novo fervore exardescens, praesertim in « Coetibus Eucharisticis », qualis habitus est hoc anno Matriti, probe ostendens quid sentiat Hispania catholica contra irreligiosa non nullorum studia.

Creavit deinde S. Pontifex 18 Cardinales, et praeter hos alium *in petto* a se creari declaravit.

544 — *S. CONGR. S. OFFICII*

A. *Sodalitas S. Missae Reparatricis novis ditatur indulgentiis* (A. A. S. 30 sept. 1911, 3, 476.).

Communis indulgentiarum catalogus.

Ad uniformitatem inducendam inter varias Confraternitates ita nuncupatas S. Pontifex, die 7 sept. 1911, abrogatis indulgentiis hucusque singulis confraternitatibus concessis, sodaliciis S. Missae Reparatricis communem statuit indulgentiarum catalogum.

B. *Sanatio receptionum in confraternitatem Septem Dolorum B. M. V.* (A. A. S. 30 sept. 1911, 3, 478.)

Sanatio receptionum in confrat.

Errores qui irrepserint in receptiones in confraternitatem VII Dolorum, sive quod ad inscriptionem in albo, sive quod ad benedictionem scapularis et coronae a Septem Doloribus B. M. V. nuncupatae, sanantur a SS. D. N. die 12 sept. 1911.

545. — *S. CONGR. CONSISTORIALIS*

A. *Erigitur Praelatura Nullius SS. Conceptionis de Araguaya* (A. S. S. 30 sept. 1911, 3, 478.)

Erigitur Praelatura Nullius.

Decreto S. C. Consist. diei 8 iun. 1911, SS. Conceptionis Praelaturam erexit SS. D. N. in republica Brasiliana.

B. *Erigitur dioecesis Desmoiniensis* (A. A. S. 30 sept. 1911, 3, 479.)

Erigitur dioecesis.

Decreto S. C. Consist. diei 12 aug. 1911, Desmoiniensem dioecesim in Statibus Foederatis Americae SS. D. N. erexit.

C. *Immutantur fines dioecesium Ratisbonensis et Bambergensis* (A. A. S. 30 sept. 1911, 3, 479.)

Immutantur fines.

Decreto S. C. Consist. diei 30 aug. 1911, locus vulgo *Hub* iungitur dioecesi Ratisbonensi.

546. — *S. C. DE PROP. FIDE*

Erigitur Praefectura apostolica de Nigeria orientali (A. A. S. 30 sept. 1911, 3, 481.)

Erigitur Praefectura.

A Praefectura de Nigeria Superiori (quae deinceps de Nigeria occidentali vocabitur) separatur pars quae erigitur in novam Praefecturam de Nigeria orientali (24 aug. 1911).

547. — *S. CONGR. RELIGIOSORUM*

A. *Sanantur cooptationes Tertii Ordinis saecularis S. Francisci.* (ANALECTA ECCLESIASTICA, nov. 1911, p. 399.)

Sanationum vis et dies.

Vigore specialium facultatum, S. C. Religiosorum omnia quae sanabilia sint et sanatione indigeant in admissione ad habitum, probatione et professione omnium sodalium Tertii Ordinis saecularis S. Francisci, 2 aug. 1911, in radice sanavit.

B. *Approbationes Instituti vel Constitutionum.*

Tertiariorum a Iesu Infante.

1. In comitiis plenariis 2 iun. 1911, S. C. Religiosorum Institutum Sororum *Tertiariarum S. Francisci a Iesu Infante*, quarum domus princeps est Assisii, definitive, Constitutiones autem in sex annos approbavit.

Filiarum a Cruce.

2. Die vero 30 oct. 1911, reformatas Constitutiones approbavit *Filiarum a Cruce*, Instituti Leodiensis, quod 1 oct. 1845 Gregorius XVI approbavit.

548. — *S. CONGR. RITUUM*

Beatificationes et Canonizationes.

Causa Iacobi Sales et Guil. Saltamouche.

Decreto 12 iul. 1911, S. Pontifex commissionem introductionis causae Iacobi Sales S. I. et Guilelmi Saltamouche Martyrum S. I. propria manu signavit. (A. A. S. 30 sept. 1911, 3, 482.)

Causae inchoatae.

Decretis S. R. C. 11 aug. 1911, concessa est aperitio causarum Servorum Dei : Francisci Gonzaga, Ordinis Minorum, episcopi Mantuani ; — Theotinii Verhaegen episcopi, et Sociorum Martyrum O. F. Min. ; — Antonini Fantosati et Sociorum Martyrum O. Fr. Min. — Iosephi Giraldi, laici O. Fr. Min. ; — Valentini Paquay sacerdotis Professi Ordinis Fratrum Minorum. (AN. ECCL. nov. 1911, p. 401-406.)

549. — *S. ROMANA ROTA*

Iurium sodalicii.

A. Die 23 mart. 1911, S. Romana Rota, in causa Theatina, Iurium, inter Sodalitatem SS^mi^ Sacramenti loci Arcismontisplani et Caietanum Ciccarone parochum praefati oppidi, determinavit quaenam iura competant praefatae Sodalitati sive supra ecclesiam S. Rochi, sive supra functiones et funera in ea peragenda, sive supra oblationes (A. A. S. 15 sept. 1911, 3, 413).

Nullitatis matrimonii.

B. Die 15 maii 1911, S. Romana Rota, in causa Ravennaten. Nullitatis matrimonii, inter P. Pasolini et Mildred Montagne, statuit constare de matrimonii nullitate ex capite clandestinitatis (A. A. S. 30 sept. 1911, 3, 483).

Sententia nulla ob violatam exemptionem. Praescriptio debiti.

C. Die 1 iun. 1911, S. Romana Rota, in causa Mechoacanensi, Crediti, inter DD. Angelam et Mariam Carrasquedo et S. Provinciam Mechoacanensem Eremitarum S. Augustini, declaravit 1° sententiam Curiae episcopalis nullam fuisse ob incompetentiam in causa Regularium exemptorum ; 2° Patres Augustinianos non teneri ad solvendam summam de qua disceptabatur, cum creditum non probetur validum esse et praeterea tegantur legitima praescriptione (A. A. S. 15 sept. 1911, 3, 428).

Nullitatis adoptionis.

D. Die 10 iun. 1911, S. Romana Rota, in causa Patriarchatus Ritus Graeci-Catholici in AEgypto, Adoptionis, statuit non constare de legitima facta adoptione, quia defuerant condiciones non nullae quas ad adoptionem requirit ius romano-byzantinum. Hoc autem iure, quod ad statutum personale, utuntur Catholici AEgyptii (A. A. S. 15 sept. 1911, 3, 438.)

Iuris processionem instituendi.

E. Die 14 iun. 1911, S. Romana Rota, in causa Iaciensi, Iuris ducendi processionem theophoricam, inter PP. Dominicanos et Capitulum Iaciense, statuit PP. Dominicanis, vi privilegiorum suorum, esse ius ducendi processionem die Dominica infra octavam Corporis Christi, in concussu cum Capitulo Cathedrali in casu (A. A. S. 15 sept. 1911, 3, 450).

Nullitatis matrimonii.

F. Die 23 iun. 1911, S. Romana Rota, in causa Cameracen. Nullitatis matrimonii, inter Ioannem Cordier et Mariam Nicolle, confirmavit sententiam Rotalem diei 11 aug. 1910 : constare de nullitate matrimonii, ex defectu consensus propter condicionem appositam (A. A. S. 30 sept. 1911, 3, 497).

Nullitatis matrimonii.

G. Die 1 iul. 1911, S. Romana Rota, in causa Massilien. Nullitatis matrimonii, inter Leoniam Planchut et Aemilium Raulier, statuit constare de nullitate matrimonii, propter consensum simulatum viri (A. A. S. 15 oct. 1911, 3, 525).

Quonam aditu parochia definiatur.

H. Die 21 iul. 1911, S. Romana Rota, in causa Bononiensi, Iurisdictionis parochialis, inter parochum S. Mariae a Misericordia et alios parochos urbanos, paroeciis urbanis non nullas domus assignavit, quia respiciendus est aditus domus, non viridarii (A. A. S. 15 sept. 3, 456).

Pensionis ex-professorum.

I. Die 25 iul. 1911, S. Romana Rota, in causa Romana, Stipendii, inter non nullos Professores Instituti « Angelo Mai » et Administrationem Bonorum S. Sedis, statuit non constare de iure praedictorum Professorum ad accipiendam pensionem aequalem integro stipendio quod accepissent si Institutum non fuisset suppressum (A. A. S. 15 oct. 1911, 3, 531).

Ius funerum Vicarii Curati.

K. Die 28 iul. 1911, S. Romana Rota in causa Melevitana, Funerum, inter Capitulum Ecclesiae B. V. Immaculatae in Civitate Conspicua, appellans, et R. Can. I. Azzopardi Vicarium Curatam perpetuum eiusdem ecclesiae, declaravit constare de iure Vicarii Curati ad celebrandam missam exsequialem, etc. (A. A. S. 30 nov. 1911, 3, 611).

Salarii solvendi cooperatoribus parochi.

L. Die 23 aug. 1911, S. Romana Rota, in causa Salisburgen. Beneficii parochialis, inter Em. Card. Arch. Katschthaler et R. D. Naschberger, appellantem, statuit sustinendum esse decretum Em. Archiepiscopi circa salarium seu stipendium a praefato parocho suis cooperatoribus elargiendum (A. A. S. 10 nov. 1911, 3, 572).

Citatio edictalis.

M. Citatur, in causa Ravennatensi, Nullitatis matrimonii, D^na^ Mildred Montague, ad comparendum 8^a^ nov. 1911 coram Rotae Tribunali (A. A. S. 15 sept. 3, 466).

550. — *SIGNATURA APOSTOLICA*

Admissus recursus. Minuitur pensionis onus.

Die 16 iul. 1911, in causa Ariminensi, Pensionis, inter archipresbyterum Ecclesiae S. Mariae loci « Cento » et parochum Ecclesiae S. Augustini in civitate Ariminensi, Signatura Apostolica partim admisit recursum quem promovit praefatus archipresbyter, reducendo videlicet pensionem ab ipso solvendam et declarando ipsum quod ad solutionem pensionis praeteritorum annorum non esse inquietandum (A. A. S. 15 sept. 3, 466).

BIBLIOGRAPHIA [1]

Ascetica et Liturgica

J. Lintelo (S. I.), *Catéchisme et Communion fréquente*. 1 vol. in-8, 60 p. La Chapelle Montligeon (Orne), 1911.

Préface. Ch. I. Le problème de la fréquentation des catéchismes ; quelques solutions. — Ch. II. La communion fréquente, solution adéquate. — Ch. III. Les principes. — Ch. IV. Les raisons de la communion fréquente et quotidienne. — Ch. V. Nécessité d'une croisade. — Ch. VI. Moyens d'apostolat. — Ch. VII. Exemples d'apostolat des petits enfants.

Conclusion. Statuts d'une ligue de communion fréquente.

J. Lintelo (S. I.), *La Prédication des Triduums Eucharistiques*, prescrits par S. S. Pie X. 1 broch. 36 p. Tournai, Casterman 1910.

Malou (S. I.). *Examina Sacerdotum*, exercitia spiritualia peragentium, 1 broch. 98 p. Namurci, Godenne 1911.

Duae formulae examinis particularis. — Decem examina post meditationes, de principalibus Exercitiorum argumentis.

N. N. (S. I.). *Korte verhandeling over de wijze van Mediteeren*. Ten gebruike vooral van Religieuzen. Gulpen, Alberts, 1911. Pretium, quod 0,32 fr. pro singulis exemplaribus, minuitur eo magis quo plura simul emantur. Centum prostant 12,72 fr.

Algemeene bemerkingen. — Voorbereidend gebed. — Twee voorbereidingen of voorspelers. — Manier van ontwikkeling : oefening van het geheugen, van het praktisch verstand, van den wil. Samenspraak. — Over de reflexie of het examen na de meditatie.

J. Pauwels (S. I.). *Règles des Servants à la Messe et au Salut*. 1 vol. 68 p. Société S. Jean l'Évangéliste, Desclée et Cie, 1911. — Idem flandrice, ibidem. Pretium, 0,50 fr.

Iuridica. Moralia. Socialia

Chan. De Smet (S. T. L.), *Les Fiançailles et le Mariage*. Traité canonique et théologique avec aperçus historiques et juridico-civils. 1 vol. in-8, XXX-712 p. Bruges, Beyaert, 1912. Traduction française faite sur la 2e édition latine, revue et corrigée.

Livre I. Les Fiançailles.

Livre II. Le Mariage. Première partie : Le mariage considéré en général. — Deuxième partie : Les empêchements de mariage. — Troisième partie : Dispenses et Revalidation du mariage. — Annexes.

J. Geens, *Trouwers en Getrouwden*, wilt gij welvaren in het huwelijk, leest en overweegt. Hoogstraten, Van Hoof, 1911.

Action Populaire. Deuxième Congrès. Paris 20-23 avril 1911. Reims, Action populaire. 1 vol. 79 p.

I. Le Congrès et la Hiérarchie catholique. — II. Les Documents du Congrès. — III. Les délégués étrangers au 2e Congrès de l'A. P. — IV. Exposition internationale des œuvres sociales catholiques. — V. Compte-rendu sommaire des Travaux. — VI. Les Conclusions du Congrès.

---

[1] Tous les ouvrages cités dans la Bibliographie sont en vente chez M. Beyaert, Libraire, Bruges.

Bulletin de la Ligue des Catholiques Belges pour la paix. N° 2, novembre 1911.

Sommaire : L'heure présente. — Discours du R. P. Paquet. — Création d'une ligue internationale des pacifistes catholiques. — La guerre italo-turque. — Justifions le titre pris par notre Ligue. — Le Pacifisme devant l'armée. — Le Pacifisme en beaux vers. — La Belgique et l'organisation de la Justice internationale. — La Paix au Congrès de Maredsous. — Prières prescrites pour la Paix.

J. B. Ferreres (S. I.), *La Curia Romana*. 1 vol. in-8, 552 p. Madrid, Razòn Y Fe, 1911. Post ipsa authentica reformationis monumenta, opus hispanice conscriptum, binas partes complectitur : priorem, historicam, duobus capitulis disserit de Curia Romana tum ante Xystum V et sub Xysto V, tum post praefatum Pontificem ; — alteram praesentem curiam romanam, per singulas Congregationes, Tribunalia et Officia discurrendo, enucleate describit. Praeter indicem analyticum alphabeticus rerum et bibliographia accedunt.

Ferdinand Goffart. *Le Commerce belge au Katanga*. 1 broch. 21 p. Louvain, Ceuterick, 1911.

(**Sine Nomine**). *Informe* presentando par la Asociacion de Eclesiasticos para el Apostolado Popular, de Barcelona. Sobre el Progecto de Ley regulando el Derecho de Associan. Barcelona, Luis Gili, 1911.

A. Lugan. *Comment sauver notre civilisation en péril?* Broch. 14 p. Paris, Tralin, 1911.

Berthold Missiaen (O. M. Cap.). *L'appauvrissement des Masses*. Essai de critique sociale. 1 vol. in-8, 487 p. Louvain, Ch. Peeters, 1911.

Première partie. La théorie de la Paupérisation. — Deuxième partie. Le Bien-être objectif. — Troisième partie. Le Bien-être subjectif.

A. Muller (S. I.). *Guide social de Belgique*, d'après le Manuel social de A. Vermeersch et A. Müller, S. J. 1 vol in-12, 415 p. Louvain, Uystpruyst 1911. Pretium, 4 fr.

Première partie. La Législation. — Titre 1er Les organismes officiels. — T. 2. La Tutelle et la Protection personnelle du Travailleur. — T. 3. La Situation économique du Travailleur. — T. 4. Le Relèvement social du Travailleur. — T. 5. L'Instruction et l'Éducation.

Seconde partie. Les Œuvres. — Titre 1er. L'Éducation sociale. — T. 2. L'Action patronale. — T. 3. L'Encouragement à l'Épargne. — T. 4. La Coopération. — T. 5. La Mutualité. — T. 6. Les Unions professionnelles et les Cercles ouvriers. — T. 7. L'Habitation à bon marché. — T. 8. L'Assistance par le travail. — T. 9. Les Œuvres de moralisation. — T. 10. Les Ligues de protection générale et les Secrétariats d'œuvres sociales.

R. P. Rutten (O. P.). *Rapport général sur le Mouvement chrétien en Belgique*. Gand, « Het Volk », 1911.

A. Vanderpol, *Le droit de guerre d'après les théologiens et les canonistes du moyen-âge*. 1 vol. in-8 de XVI-207 p. Paris, Tralin, Bruxelles, Goemaere, 1911. Prix, 3 fr.

La guerre est-elle permise. — La Justice de la guerre. — La paix, but de la guerre. — Conditions d'une guerre juste. — Cas de doute. — Conséquences. — Restitution — Rôle de la Papauté. — *Appendice*. Trois erreurs des canonistes. Notes diverses.

MONUMENTA

551. — SS. D. N. PII PP. X

CONST. APOSTOLICA « DIVINO AFFLATU » 1 NOV. 1911

De nova psalterii in breviario romano dispositione

(A. A. S. 20 dec. 1911, 3, 633.)

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Psalmorum praestantia, utilitas atque antiquus usus.

Divino afflatu compositos Psalmos, quorum est in sacris litteris collectio, inde ab Ecclesiae exordiis non modo mirifice valuisse constat ad fovendam fidelium pietatem, qui offerebant *hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius* [1] ; verum etiam ex more iam in vetere Lege recepto in ipsa sacra Liturgia divinoque Officio conspicuam habuisse partem. Hinc illa, quam dicit Basilius, nata *Ecclesiae vox* [2], atque psalmodia, eius *hymnodiae filia*, ut a decessore Nostro Urbano VIII appellatur [3], *quae canitur assidue ante sedem Dei et Agni*, quaeque homines, in primis divino cultui addictos, docet, ex Athanasii sententia, *qua ratione Deum laudare oporteat quibusque verbis decenter* confiteantur [4]. Pulchre ad rem Augustinus : *Ut bene ab homine laudetur Deus, laudavit Deus, laudavit se ipse Deus ; et quia dignatus est laudare se, ideo invenit homo, quemadmodum laudet eum* [5].

Accedit quod in Psalmis mirabilis quaedam vis inest ad excitanda in animis omnium studia virtutum. Etsi enim *omnis nostra Scriptura, cum vetus tum nova, divinitus inspirata utilisque ad doctrinam est, ut scriptum habetur ; ... at Psalmorum liber, quasi paradisus omnium reliquorum* (librorum fructus) *in se continens, cantus edit, et proprios insuper cum ipsis inter psallendum exhibet.* Haec iterum Athanasius [6], qui recte ibidem addit : *Mihi quidem videtur, psallenti Psalmos esse instar speculi, ut et seipsum et proprii animi motus in ipsis contempletur, atque ita affectus eos recitet* [7]. Itaque Augustinus in Confessionibus : *Quantum*, inquit,

1 *Hebr.* 13, 15.
2 Homil. in Ps. 1 n. 2.
3 Bulla « *Divinam psalmodiam* ».
4 Epist. ad Marcellinum in interpret. Psalmor. n. 10.
5 In Psalm. 144 n. 1.
6 Epist. ad Marcell. cit. n. 2.
7 Op. cit. n. 12.

flevi in hymnis et canticis tuis suave sonantis Ecclesiae tuae vocibus commotus acriter ! Voces illae influebant auribus meis et eliquabatur veritas in cor meum et exaestuabat inde affectus pietatis et currebant lacrimae et bene mihi erat cum iis [1]. Etenim, quem non moveant frequentes illi Psalmorum loci in quibus de immensa maiestate Dei, de omnipotentia, de inenarrabili iustitia aut bonitate aut clementia de ceterisque infinitis laudibus eius tam alte praedicatur ? Cui non similes sensus inspirent illae pro acceptis a Deo beneficiis gratiarum actiones, aut pro exspectatis humiles fidentesque preces, aut illi de peccatis clamores paenitentis animae ? Quem non admiratione psaltes perfundat, cum divinae benignitatis munera in populum Israel atque in omne hominum genus profecta narrat, cumque caelestis sapientiae dogmata tradit ? Quem denique non amore inflammet adumbrata studiose imago Christi Redemptoris, cuius quidem Augustinus [2] *vocem in omnibus Psalmis vel psallentem, vel gementem, vel laetantem in spe, vel suspirantem in re* audiebat ?

Antiqua lex de hebdomadaria psalterii recitatione,

Iure igitur optimo provisum est antiquitus, et per decreta Romanorum Pontificum, et per canones Conciliorum, et per monasticas leges, ut homines ex utroque clero integrum Psalterium per singulas hebdomadas concinerent vel recitarent. Atque hanc quidem legem a patribus traditam decessores Nostri S. Pius V, Clemens VIII, Urbanus VIII in recognoscendo Breviario Romano sancte servarunt. Unde etiam nunc Psalterium intra unius hebdomadae spatium recitandum foret integrum, nisi mutata rerum condicione talis recitatio frequenter impediretur.

Quae multiplicatis sanctorum festis saepius impedita est.

Etenim procedente tempore continenter crevit inter fideles eorum hominum numerus quos Ecclesia, mortali vita defunctos, caelicolis accensere et populo christiano patronos et vivendi duces consuevit proponere. In ipsorum vero honorem Officia de Sanctis sensim propagari coeperunt, unde fere factum est, ut de Dominicis diebus deque Feriis Officia silerent ideoque non pauci neglegerentur Psalmi, qui sunt tamen, non secus ac ceteri, ut Ambrosius ait [3], *benedictio populi, Dei laus, plebis laudatio, plausus omnium, sermo universorum, vox Ecclesiae, fidei canora confessio, auctoritatis plena devotio, libertatis laetitia, clamor iucunditatis, laetitiae resultatio.* De huiusmodi autem omissione non semel graves fuerunt prudentum piorumque virorum querimoniae, quod non modo hominibus sacri ordinis tot subtraherentur praesidia ad laudandum Dominum et ad intimos animi sensus ei significandos aptissima ; sed etiam quod optabilis illa in orando varietas desideraretur, ad digne, attente, devote precandum imbecillitati nostrae quam maxime opportuna. Nam, ut Basilius habet, *in aequalitate torpescit saepe, nescio quomodo, animus, atque praesens absens est : mutatis vero et variatis psalmodia et cantu per singulas horas, renovatur eius desiderium et attentio instauratur* [4].

Inde iustae querimoniae ob minora et minus varia devotionis alimenta.

Vota reformationis.

Minime igitur mirum, quod complures e diversis orbis partibus sacrorum Antistites sua in hanc rem vota ad Apostolicam Sedem detulerunt, maximeque in Concilio Vaticano, cum hoc inter cetera postularunt, ut, quoad posset, revocaretur consuetudo vetus recitandi per hebdomadam

[1] Lib. IX, cap. 6.
[2] In Ps. 42, n. 1.
[3] Enarrat. in Ps. 1 n. 9.
[4] Regulae fusius tractatae, interrog. 37, n. 5.

totum Psalterium, ita tamen ut clero, in sacri ministerii vinea ob imminutum operariorum numerum iam gravius laboranti, non maius imponeretur onus. Hisce vero postulationibus et votis, quae Nostra quoque ante susceptum Pontificatum fuerant, itemque precibus quae deinceps ab aliis Venerabilibus Fratribus piisque viris admotae sunt, Nos equidem concedendum duximus, cauto tamen, ne recitatione integri Psalterii hebdomadae spatio conclusa, ex una parte quicquam de Sanctorum cultu decederet, neve ex altera molestius Divini Officii onus clericis, immo temperatius evaderet. Quapropter, implorato suppliciter *Patre luminum*, corrogatisque in id ipsum suffragiis sanctarum precum, Nos vestigiis insistentes decessorum Nostrorum, aliquot viros delegimus doctos et industrios, quibus commisimus, ut consiliis studiisque collatis certam aliquam reperirent rei efficiendae rationem, quae Nostris optatis responderet. Illi autem commissum sibi munus e sententia exsequentes novam Psalterii dispositionem elaborarunt ; quam cum S. R. E. Cardinales sacris ritibus cognoscendis praepositi diligenter consideratam probassent, Nos, utpote cum mente Nostra admodum congruentem, ratam habuimus in rebus omnibus, id est, quod ad ordinem ac partitionem Psalmorum, ad Antiphonas, ad Versiculos, ad Hymnos attinet cum suis Rubricis et Regulis, eiusque editionem authentic am in Nostra typographia Vaticana adornari et indidem evulgari iussimus.

Pontificis consilium.

Mandatum cuius exsecutio

rata habetur.

Quoniam vero Psalterii dispositio intimam quamdam habet cum omni Divino Officio et Liturgia coniunctionem, nemo non videt, per ea quae hic a Nobis decreta sunt, primum Nos fecisse gradum ad Romani Breviarii et Missalis emendationem : sed super tali causa proprium mox Consilium seu Commissionem, ut aiunt, eruditorum constituemus. Interim opportunitatem hanc nacti, nonnulla iam in praesenti instaurenda censuimus, prout in appositis Rubricis praescribitur : atque imprimis quidem ut in recitando Divino Officio Lectionibus statutis sacrae Scripturae cum Responsoriis de tempore occurrentibus debitus honor frequentiore usu restitueretur ; dein vero ut in sacra Liturgia Missae antiquissimae de Dominicis infra annum et de Feriis, praesertim quadragesimalibus, locum suum recuperarent.

Sic initium fit emendationis Breviarii et Missalis mox prosequendae.

Hinc iam statuta de recitanda Scriptura occurrente et de Missis antiquissimis.

Itaque, harum auctoritate litterarum, ante omnia Psalterii ordinem, qualis in Breviario Romano hodie est, abolemus eiusque usum, inde a Kalendis Ianuariis anni millesimi nongentesimi decimi tertii, omnino interdicimus. Ex illo autem die in omnibus ecclesiis Cleri saecularis et regularis, in monasteriis, ordinibus, congregationibus, institutisque religiosorum, ab omnibus et singulis qui ex officio aut ex consuetudine Horas canonicas iuxta Breviarium Romanum, a S. Pio V editum et a Clemente VIII, Urbano VIII, Leone XIII recognitum, persolvunt, novum Psalterii ordinem, qualem Nos cum suis Regulis et Rubricis approbavimus typisque Vaticanis vulgandum decrevimus, religiose observari iubemus. Simul vero poenas in iure statutas iis denuntiamus qui suo officio persolvendi cotidie Horas canonicas defuerint ; qui quidem sciant se tam gravi non satisfacturos officio, nisi Nostrum hunc Psalterii ordinem adhibeant.

A 1 ian. 1913 omnibus qui S. Pii V breviario utuntur aboletur pro recitatione valida psalterium hodiernum, et novus substituitur Psalmorum numerus.

Omnibus igitur Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus ceterisque ecclesiarum Praelatis, ne Cardinalibus quidem Archipresbyteris

Praeceptum exsecu-

tionis curandae.

patriarchalium Urbis basilicarum exceptis, mandamus, ut in sua quisque dioecesi, ecclesia vel coenobio Psalterium cum Regulis et Rubricis, quemadmodum a Nobis dispositum est, constituto tempore inducendum curent : quod Psalterium quasque Regulas et Rubricas etiam a ceteris omnibus, quoscumque obligatio tenet recitandi vel concinendi Horas canonicas, inviolate adhiberi ac servari praecipimus. Interim autem cuilibet et capitulis ipsis, modo id maior capituli pars sibi placere ostenderit, novum Psalterii ordinem, statim post eius editionem, rite usurpare licebit.

Facultas data hoc anno 1912.

Clausulae et comminatio.

Haec vero edicimus, declaramus, sancimus, decernentes has Nostras litteras validas et efficaces semper esse ac fore ; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, generalibus et specialibus, ceterisve quibusvis in contrarium facientibus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae abolitionis, revocationis, permissionis, iussionis, praecepti, statuti, indulti, mandati et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Dies (1 nov. 1911).

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo undecimo, Kalendis Novembribus, iu festo Sanctorum omnium, Pontificatus Nostri anno nono.

A. Card. Agliardi
S. R. E. Cancellarius.

Fr. Seb. Card. Martinelli
S. R. C. Praefectus.

---

552. — RUBRICAE IN RECITATIONE DIVINI OFFICII ET IN MISSARUM CELEBRATIONE

SERVANDAE AD NORMAM CONSTITUTIONIS APOSTOLICAE

« Divino afflatu »

(A. A. S. 20 dec. 1911, 3, 639.)

Titulus I

De ratione Divini Officii recitandi iuxta novum Psalterii ordinem

Cotidianus usus Psalterii praecipitur,

1. In recitatione Divini Officii, iuxta Romanum Ritum, Psalmi cottidie sumendi sunt, ad singulas Horas canonicas, de occurrente hebdomadae die, prout distribuuntur in Psalterio noviter disposito ; quod deinceps loco veteris dispositionis, in novis Breviarii Romani editionibus vulgandum erit.

exceptis festis Domini, eorum octavis, festis B. M. V. et pluribus aliis.

2. Excipiuntur tamen omnia Festa Domini eorumque integrae Octavae, Dominicae infra Octavas Nativitatis, Epiphaniae, Ascensionis et Corporis Domini, Vigilia Epiphaniae et Feria VI post Octavam Ascensionis, quando de iis persolvendum sit Officium ; itemque Vigilia Nativitatis ad Laudes et ad reliquas Horas minores usque ad Nonam, et Vigilia Pentecostes ; nec non omnia Festa Beatae Mariae Virginis, SS. Angelorum, S. Ioannis Baptistae, S. Ioseph et SS. Apostolorum et Duplicia I et II classis, eorumque omnium integrae Octavae, si de iis fiat Officium, quod recitandum

erit prout assignatur, vel in Breviario, vel in Proprio Dioecesis vel Instituti, hac lege tamen ut Psalmi ad Laudes, Horas et Completorium semper sumendi sint ex Dominica, ut in novo Psalterio ; ad Matutinum vero et ad Vesperas dicantur ut in Communi, nisi speciales Psalmi sint assignati. — Tribus autem ultimis diebus maioris hebdomadae, nil erit innovandum, sed Officium integre persolvendum erit, prout nunc habetur in Breviario, sumptis tamen ad Laudes Psalmis de Feria currenti, ut in novo Psalterio, excepto Cantico Sabbati Sancti, quod etiamnum est « *Ego dixi : In dimidio* ». Ad Completorium sumantur Psalmi de Dominica, uti in novo pariter Psalterio.

Quid in hebdomada maiore.

3. In quolibet alio Festo Duplici, etiam maiore, vel Semiduplici, vel Simplici, et in Feriis Tempore Paschali semper dicantur Psalmi cum Antiphonis, in omnibus Horis et Versibus ad Matutinum, ut in Psalterio de occurrenti hebdomadae die ; reliqua omnia et Antiphonae ad *Magnificat* et *Benedictus*, ut in Proprio aut Communi. Quod si aliquod ex Festis huiusmodi proprias vel peculiariter assignatas habeat Antiphonas in aliqua Hora maiori, eas in eadem ipsa retineat cum suis Psalmis, prout habetur in Breviario : in ceteris Horis Psalmi et Antiphonae dicantur de Feria occurrente.

Quinam Psalmi cum Antiphonis in reliquis festis recitandi sint.

4. Lectiones ad Matutinum in I Nocturno semper legendae erunt de Scriptura occurrente, licet aliquando in Breviario Lectiones de Communi assignentur, nisi sit Festum Domini aut Festum cuiusvis ritus B. Mariae Virginis, vel Angelorum, vel S. Ioannis Baptistae, vel S. Ioseph, vel Apostolorum, aut Duplex I vel II classis, aut agatur de Festo quod vel Lectiones habeat proprias, non vero de Communi, vel occurrat in Feriis Lectiones de Scriptura non habentibus, ideoque Lectiones de Communi necessario recipiat. In Festis vero in quibus hucusque erant Lectiones de Communi, Responsoria vero propria, retineantur eaedem Lectiones cum propriis Responsoriis.

De lectionibus I Nocturni.

5. Porro sic erit persolvendum Officium in Festis Duplicibus et Semiduplicibus superius non exceptis :

Ordo persolvendi officii in festis, non exceptis, duplicibus et semiduplicibus.

Ad Matutinum Invitatorium, Hymnus, Lectiones II et III Nocturni ac Responsoria trium Nocturnorum propria, vel de Communi : Antiphonae vero, Psalmi et Versus trium Nocturnorum, nec non Lectiones I Nocturni de Feria occurrente.

Ad Laudes et ad Vesperas Antiphonae cum Psalmis de Feria ; Capitulum, Hymnus, Versus et Antiphona ad *Benedictus* vel ad *Magnificat* cum Oratione aut ex Proprio, aut de Communi.

Ad Horas minores et Completorium Antiphonae cum Psalmis semper dicuntur de occurrente Feria. Ad Primam pro Lectione brevi legitur Capitulum Nonae ex Proprio vel de Communi. Ad Tertiam, Sextam et Nonam, Capitulum, Responsorium breve et Oratio pariter sumuntur vel ex Proprio, vel de Communi.

Quid in Officio S. Mariae in sabbato, et in festis simplicibus.

6. In Officio S. Mariae in Sabbato et in Festis Simplicibus sic Officium persolvendum est : ad Matutinum, Invitatorium et Hymnus dicuntur de eodem Officio vel de iisdem Festis ; Psalmi cum suis Antiphonis et Versu de Feria occurrente ; I et II Lectio de Feria, cum Responsoriis propriis, vel de Communi ; III vero Lectio de Officio vel Festo, duabus Lectionibus in unam iunctis, si quando duae pro Festo habeantur : ad reliquas autem Horas omnia dicuntur, prouti supra, n. 5, de Festis Duplicibus expositum est.

Psalmi ad Matutinum in feriis et festis simplicibus.

7. In Feriis et in Festis Simplicibus Psalmi ad Matutinum, qui in novo Psalterio in tres Nocturnos dispositi inveniuntur, dicantur sine interruptione cum suis novem Antiphonis usque ad tertium Versum inclusive, omissis Versibus primo et secundo.

Titulus II

De Festorum praestantia

Relativa festorum praestantia, ex pluribus notis.

1. Ut recte dignoscatur quale ex pluribus Officiis sit praestantius et proinde sive in occurrentia, sive in concurrentia, sive in ordine repositionis aut translationis praeferendum, sequentes praestantiae characteres considerandi sunt :

a) Ritus altior, nisi occurrat Dominica, vel Feria, vel Octava privilegiata, vel etiam quaelibet dies Octava iuxta Rubricas.

b) Ratio Primarii aut *Secundarii.*

c) Dignitas Personalis, hoc ordine servato : Festa Domini, B. Mariae Virginis, Angelorum, S. Ioannis Baptistae, S. Ioseph, SS. Apostolorum et Evangelistarum.

d) Sollemnitas externa, scilicet si Festum sit feriatum, aut celebretur cum Octava.

2. In occurrentia et in ordine repositionis aut translationis, alius quoque character considerandus est, nempe :

et ex proprietate.

e) Proprietas Festorum. Dicitur Festum alicuius loci proprium, si agatur de Titulo Ecclesiae, de loci Patrono etiam secundario, de Sancto (in Martyrologio vel in eius appendice approbata descripto) cuius habetur corpus vel aliqua insignis et authentica reliquia, vel de Sancto qui cum Ecclesia, vel loco, vel personarum coetu specialem habeat rationem. Igitur Festum quodvis istiusmodi proprium, ceteris paribus, praefertur Festo Universalis Ecclesiae. Excipiuntur tamen Dominicae, Feriae, Octavae et Vigiliae privilegiatae, nec non Festa primaria Duplicia I classis Universalis Ecclesiae, quae uniuscuiusque loci propria considerantur et sunt. Festum autem Universalis Ecclesiae, cuiusvis ritus, quia est praeceptivum, ceteris paribus, praeferri debet Festis aliquibus locis ex mero Indulto S. Sedis concessis, quae tamen propria, sensu quo supra, dici nequeunt.

Titulus III

De Festorum occurrentia accidentali eorumque translatione

Quando fiat de Dominica matore.

1. De Dominicis maioribus I classis, quodvis Festum in iis occurrat, semper faciendum est Officium : Dominicae vero II classis cedunt tantummodo Festis Duplicibus I classis, quo in casu de Dominica fit commemoratio in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa cum IX Lectione ad Matutinum.

Quid in Dominica minore ?

2. De Dominicis minoribus, seu per annum, semper fieri debet Officium, nisi occurrat Festum quodcumque Domini, aut aliquod Duplex I vel II classis, aut dies Octava Festorum Domini, quo in casu in Officio Festi vel diei Octavae fit commemoratio Dominicae in utrisque Vesperis et Laudibus et Missa cum IX Lectione ad Matutinum. Si Dominica infra Octavam Nativitatis occurrat in Festo S. Thomae Ep. M. aut in Festo S. Silvestri P. C., fit Officium de ipsa Dominica cum commemoratione Festi occur-

rentis ; quo in casu die 30 decembris, in Officio diei infra Octavam, Lectiones I et II Nocturni sumuntur e Festo Nativitatis, cum Responsoriis Dominicae. Quod ad Dominicam vero quae occurrit a Festo Circumcisionis usque ad Epiphaniam, nihil innovetur.

Quid de accidentaliter impeditis festis I et II classis ;

3. Duplicia I et II classis quae seu ab aliqua Dominica maiori seu a nobiliori Officio impediuntur, transferenda sunt in proximiorem insequentem diem, quae libera sit ab alio Festo Duplici I vel II classis, vel ab Officiis huiusmodi Festa excludentibus ; salvo tamen privilegio a Rubricis concesso Festivitatibus Purificationis et Annuntiationis B. M. V., nec non Commemorationis sollemnis S. Ioseph.

et festis minoris ritus.

4. Festa Duplicia maiora cuiusvis dignitatis et Duplicia minora Doctorum Ecclesiae non amplius transferri possunt, sed quando impediuntur, de iis fiat commemoratio, uti de aliis Duplicibus minoribus impeditis Rubricae disponunt (salvo quod numero sequenti statuitur de omittenda in Dominicis IX Lectione historica), nisi forte occurrant in Duplicibus I classis, in quibus nullius Officii agenda est commemoratio, nisi de occurrenti Dominica, vel de Feria, aut Octava privilegiata.

De occurrentia in dominicis.

5. Porro si in Dominica maiori occurrat Officium Duplex maius aut minus, vel Semiduplex, vel Simplex, fiat de Dominica cum commemoratione Officii occurrentis in utrisque Vesperis (de Simplici tamen in primis Vesperis tantum) Laudibus et Missa, sine IX Lectione historica. Idem fiat in Dominicis minoribus, nisi in iis occurrat Festum quodcumque Domini, aut quodvis Duplex I vel II classis, aut dies Octava Festorum Domini, quo in casu, ut supra n. 2 dictum est, fiat de Festo, vel de Octava cum commemoratione et IX Lectione Dominicae.

Privilegium commemor. omnium fidel. defunctorum.

6. Dies in qua celebratur Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, excludit translationem cuiusvis Festi.

Titulus IV

De Festorum occurrentia perpetua eorumque repositione

De repositione festorum quae in perpetuum impediuntur.

1. Festa omnia ritus Duplicis sive maioris sive minoris, aut Semiduplicis, si perpetuo impediantur, reponuntur in primam diem liberam, iuxta Rubricas.

2. Festa Duplicia I et II classis perpetuo impedita reponuntur, tamquam in sedem propriam, in primam diem liberam ab alio Festo Duplici I aut II classis, vel ab aliqua die Octava, vel ab Officiis huiusmodi Festa excludentibus, salvo privilegio Festivitati Purificationis B. M. V. concesso.

Exclusi dies.

3. Dominicae maiores excludunt assignationem perpetuam cuiusvis Festi Duplicis etiam I classis : Dominicae vero minores assignationem excludunt cuiuscumque Duplicis maioris aut minoris, nisi sit Festum Domini. Festum SS. Nominis Mariae perpetuo assignatur diei duodecimae mensis septembris.

4. Dies II novembris excludit tum Festa occurrentia quae non sint Duplicia I classis, tum Festa perpetuo reponenda cuiusvis ritus.

Titulus V

De concurrentia Festorum

Regulae

1. Dominicae maiores Vesperas habent integras in concurrentia cum

concurrentiae.

quovis Festo, nisi sit ritus Duplicis I aut II classis: ideoque in primis Vesperis sumuntur Antiphonae cum Psalmis de sabbato; in Adventu tamen dicuntur Antiphonae de Laudibus Dominicae cum iisdem Psalmis de sabbato.

2. Dominicae minores cedunt Vesperas tum Duplicibus I aut II classis, tum omnibus Festis Domini, tum diebus Octavis Festorum Domini: integras autem habent Vesperas in concursu cum aliis Festis, sumptis in I Vesperis Antiphonis et Psalmis de Sabbato.

Manent vesperae infra octavam Nativitatis Dni.

3. Leges quibus ordinantur Vesperae infra Octavam Nativitatis Domini immutatae manent.

Titulus VI

De Commemorationibus

Commemorationes in Duplicibus I classis;

1. In Duplicibus I classis non fiat commemoratio de praecedenti, nisi fuerit aut Dominica quaevis, etiam per annum, aut Duplex I vel II classis, aut dies Octava alicuius Festi Domini primarii, aut dies infra Octavam privilegiatam, aut Feria maior. In occurrentia fiat tantum commemoratio de Dominica quacumque, de Octava privilegiata et de Feria maiori. De sequenti vero Officio (etiam ad modum Simplicis redacto) fiat semper commemoratio, minime autem de die infra Octavam non privilegiatam aut de Simplici.

in duplicibus II classis.

2. In Duplicibus II classis de praecedenti Officio semper fieri debet commemoratio, nisi fuerit de aliquo Festo Semiduplici, vel de die infra Octavam non privilegiatam. In occurrentia fit commemoratio de quavis Dominica, de quolibet Duplici vel Semiduplici ad modum Simplicis redacto, de Octavava privilegiata, de Feria maiori et de Vigilia: De Simplici vero fit tantum in Laudibus et in Missis privatis. De sequenti autem Officio quolibet, etiam Simplici vel ad modum Simplicis redacto, fit semper commemoratio, ac etiam de die infra Octavam, si in crastino Officium de ea agendum sit; et tunc cum Antiphona et Versiculo e I Vesperis Festi.

Ordo commemorationum.

3. Licet Festa Domini eorumque Octavae privilegio gaudeant ut in occurrentia praevaleant Dominicis minoribus, nihilominus, quando plures fieri debeant commemorationes (cauto quod in Vesperis semper fiat prima commemoratio de Officio concurrenti, cuiusvis ritus et dignitatis), tam in Vesperis quam in Laudibus et Missa hic ordo servetur: 1° de Dominica qualibet; 2° de die infra Octavam Epiphaniae aut Corporis Christi; 3° de die Octava; 4° de Duplici maiore; 5° de Duplici minore; 6° de Semiduplici; 7° de die infra Octavam communem; 8° de Feria VI post Octavam Ascensionis; 9° de Feria maiori; 10° de Vigilia; 11° de Simplici.

Titulus VII

De conclusione propria Hymnorum et Versu proprio ad Primam, de Suffragiis Sanctorum, de Precibus, de Symbolo Athanasiano et de tertia oratione in Missa

De propria doxologia et proprio versu.

1. Quando eadem die occurrunt plura Officia quae propriam habeant conclusionem Hymnorum vel proprium Versum ad Primam, conclusio et Versus dicantur quae propria sunt Officii quod ea die recitatur.

2. Deinceps, quando facienda erunt Suffragia Sanctorum, unum tantum fiet Suffragium, iuxta formulam propositam in Ordinario novi Psalterii. *De suffragiis Sanctorum.*

3. Symbolum Athanasianum additur ad Primam in Festo SS. Trinitatis et in Dominicis tantummodo post Epiphaniam et post Pentecosten, quando de iis persolvendum est Officium, salva exceptione de qua n. sequenti. *De symbolo S. Athanasii et 3a oratione.*

4. Quando in Dominica fit commemoratio de aliquo Officio Duplici, vel de die Octava, vel de die infra Octavam, omittuntur Suffragium, Preces, Symbolum *Quicumque* et tertia Oratio in Missa.

Titulus VIII

De Officiis votivis deque aliis Officiis additiciis

1. Cum per hanc novam Psalterii dispositionem causae cessaverint Indulti Generalis d. d. 5 iulii 1883 pro Officiis votivis, haec ipsa Officia, et alia similia ex particularibus indultis concessa, tolluntur omnino et sublata declarantur. *Supprimuntur officia votiva*

2. Cessat pariter obligatio recitandi in Choro, diebus a Rubricis hucusque vigentibus praescriptis, Officium parvum B. Mariae Virginis, Officium Defunctorum, nec non Psalmos Graduales ac Paenitentiales. Capitula vero quae ad ista Officia additicia ex peculiari constitutione aut legato tenentur, a Sancta Sede eorum commutationem impetrabunt. *et obligationes chorales officii additicii. Peculiares obligationes commutabuntur.*

3. In Festo S. Marci et in Triduo Rogationum integrum manet onus recitandi Litanias Sanctorum, etiam extra Chorum. *Manent litaniae in Rogationibus et festo S. Marci.*

Titulus IX

De Festis Dedicationis ac Tituli Ecclesiae et de Patronis

1. Festum Dedicationis cuiuslibet Ecclesiae est semper primarium, et Festum Domini. *De festo dedicationis.*

2. Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis et Festum Titulare eiusdem celebranda sunt sub ritu Duplici I classis cum Octava per totam Dioecesim ab universo Clero saeculari et etiam regulari Kalendarium Dioecesanum adhibente: a Regularibus vero utriusque sexus in eadem Dioecesi commorantibus ac proprium Kalendarium habentibus, pariter sub ritu duplici I classis, absque tamen Octava. *De anniversaria dedicatione et Titulari eccae cathedralis.*

3. Cum Sacrosancta Lateranensis Archibasilica omnium Ecclesiarum Urbis et Orbis sit mater et caput, tum ipsius Dedicationis Anniversarium, tum Festum Transfigurationis Domini quod, praeter magnam Resurrectionis Dominicae sollemnitatem, tamquam Titulare ab ipsa recoli solet, ab universo Clero tam saeculari quam regulari, etiam ab illis qui peculiarem ritum sequuntur, sub ritu Duplici II classis deinceps celebrabitur. *De dedicatione eccae Lateranensis et Transfiguratione D^ni.*

4. Festum Patroni principalis Oppidi, vel Civitatis, vel Dioecesis, vel Provinciae, vel Nationis, Clerus saecularis et regularis ibi degens et Kalendarium Dioecesanum sequens sub ritu Duplici I classis cum Octava celebrabit: Regulares vero ibidem commorantes et Kalendarium proprium habentes, idem Festum, quamvis feriatum numquam fuerit, eodem ritu celebrabunt, absque tamen Octava. *De patronorum festis.*

Titulus X

De Missis in Dominicis et Feriis deque Missis pro Defunctis

Missa dicenda in Dominicis ;

1. In Dominicis, etiam minoribus, quodcumque Festum occurrat, dummodo non sit Festum Domini, vel eius dies Octava, aut Duplex I vel II classis, Missa semper dicenda erit de Dominica cum commemoratione festi. Quod si Festum commemorandum sit Duplex, tunc omittenda est III Oratio.

in feriis privilegiatis.

2. In Feriis Quadragesimae, Quattuor Temporum, II Rogationum, et in Vigiliis, si occurrat fieri Officium alicuius Festi Duplicis (non tamen I vel II classis) aut Semiduplicis, Missae privatae dici poterunt ad libitum, vel de Festo cum commemoratione ultimoque Evangelio Feriae aut Vigiliae, vel de Feria aut Vigilia cum commemoratione Festi : prohibentur tamen Missae votivae privatae, aut privatae pro Defunctis : quae item prohibentur in Feria in qua anticipanda vel reponenda est Missa Dominicae. In quadragesima vero Missae privatae Defunctorum celebrari tantum poterunt prima die cuiuscumque hebdomadae libera in Kalendario Ecclesiae in qua Missa celebratur.

De festo celebrando ex voto vel cum populi concursu, et evangelio in fine Missae.

3. Si alicubi aliquod Festum impeditum a Dominica minore, celebratur ex voto, vel cum populi concursu (cuius rei iudex erit Ordinarius), Missae de eodem festo impedito celebrari poterunt, dummodo una Missa de Dominica ne omittatur. Quotiens extra ordinem Officii cantetur vel legatur aliqua Missa, si facienda sit commemoratio aut Dominicae, aut Feriae, aut Vigiliae, semper de hisce etiam Evangelium in fine legatur.

Color Missae Dominicae.

4. Ad Missam Dominicae etiam minoris, cum commemoratione Festi Duplicis tum maioris tum minoris ac diei infra Octavam quomodolibet celebrandam, retinetur color proprius Dominicae, cum Praefatione SSmae Trinitatis, nisi adsit propria Temporis, vel Octavae alicuius Festi Domini.

De Missis et oratione defunctorum.

5. Leges pro Missis Defunctorum in cantu, immutatae manent. Missae vero lectae permittuntur in Duplicibus tantummodo in die obitus, aut pro die obitus, dummodo ne sit Festum de praecepto, aut Duplex I vel II classis, vel Feria excludens Duplicia I classis. Quod ad vero Missas lectas Defunctorum dicendas diebus ritus Semiduplicis au Simplicis, in posterum numquam celebrari poterunt in Feriis n. 2 enumeratis, salva tamen exceptione ibidem admissa. Licebit tamen in huiusmodi Missis de Feria orationem addi pro Defunctis pro quibus Sacrificium applicatur, paenultimo loco, prout permittit Rubrica Missalis. Cum autem ut applicari possint Indulgentiae Altaris privilegiati, Missae Defunctorum debuerint hucusque in nigris celebrari, Summus Pontifex easdem indulgentias in posterum benigne concedit, licet Missa dicatur de Feria, cum oratione pro Defunctis, In reliquis autem Feriis per annum n. 2 non exceptis, nec non in Semiduplicibus, infra Octavas non privilegiatas et in Simplicibus, Missae Defunctorum sicut et aliae Missae votivae diei poterunt iuxta Rubricas.

Titulus XI

De Collectis in Missis

Collectae imperatae quando prohibeantur.

Quod ad Collectas ab Ordinariis locorum imperatas attinet, deinceps prohibentur (nisi sint pro re gravi praescriptae) non tantum in Vigiliis Nativitatis et Pentecostes et in Duplicibus I classis, sed etiam in Duplici-

bus II classis, in Dominicis Maioribus, infra Octavas privilegiatas, et quandocumque in Missa dicendae sint plus quam tres Orationes a Rubrica eo die praescriptae.

Titulus XII

De Missis Conventualibus

De Missis Conventualibus.

In Ecclesiis in quibus adest obligatio Chori, una tantum Missa cum assistentia Choralium semper celebretur ; et quidem de Officio diei, nisi aliter Rubricae disponant ; aliae Missae quae hucusque cum praedicta assistentia celebrabantur in posterum extra Chorum legantur, post propriam Horam Canonicam ; excipiuntur tamen ab hac regula Missae in Litaniis maioribus et minoribus, et Missae in Festo Nativitatis Domini. Excipiuntur pariter Missae in anniversariis Creationis et Coronationis Summi Pontificis, Erectionis et Consecrationis seu Translationis Episcopi, nec non in anniversario ultimi Episcopi defuncti, et omnium Episcoporum aut Canonicorum ; omnesque Missae ex fundatione.

Titulus XIII

De Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum

De officio in commemoratione omnium fidel. defunctorum.

1. In Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, omissis Officio et Missa diei currentis, fit tantum Officium cum Missa pro Defunctis, prout in Appendice novi Psalterii praescribitur.

Quid si in Dominica vel duplici I classis.

2. Si die 2 novembris occurrat Dominica vel aliquod Duplex I classis, Commemoratio Defunctorum celebrabitur die proxime sequenti similiter non impedita ; in qua, si forte occurrat Duplex II classis, hoc transfertur iuxta regulam traditam Tit. III, n. 3.

PRAESCRIPTIONES TEMPORARIAE

De Kalendariis anni 1913.

I°. Kalendaria uniuscuiusque Dioeceseos, aut Ordinis seu Congregationis Breviario Romano utentium, pro anno 1913, ad Regulas supra traditas omnino redigenda sunt.

Facultas facta per annum 1912.

II°. Diebus Dominicis, quibus in Kalendariis proximi anni 1912 inscribuntur, sub ritu Duplici maiori vel minori, Festa Sanctorum, vel Angelorum, vel etiam B. Mariae Virginis, vel dies Octava, quae non sit Festorum Domini, tum Officium in privata recitatione, tum Missae lectae erunt ad libitum vel prout notatur in Kalendario anni 1912, vel de Dominica cum commemoratione duplicis maioris aut minoris. In Feriis quoque, de quibus Tit. X, n. 2, Missae privatae celebrari poterunt ut ibi annotatur.

Quid die 2 nov. 1912 fieri iubeatur.

III°. Quod Tit. XIII harum Rubricarum dispositum est quod ad Commemorationem Omnium Fidelium Defunctorum, inde ab anno 1912, in usum omnino deducendum est.

IV°. Usque dum nova correctio Breviarii et Missalis Romani, a Sanctissimo Domino Nostro decreta, vulgetur :

De Kalendariis perpetuis.

a) Kalendaria perpetua Sacrae Rituum Congregationi reformanda et approbanda deferri non debent ;

De novo ritu vel novis festis.

b) De Festorum augendo ritu, vel de Festis novis invehendis nulla fiat postulatio ;

De festis particularibus. c) Festa particularia, sive B. Mariae Virginis, sive Sanctorum, aut Beatorum, ritus Duplicis maioris aut minoris, Dominicis diebus assignata, locorum Ordinarii seu Superiores Regularium, aut in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa commemoranda praescribant ; aut in aliam diem, validis S. R. C. oblatis argumentis, transferenda curent ; aut potius omittant.

De novis Breviariis. d) Nulla interim facta correctione Rubricarum, Regulae superius traditae in novis Breviariis et Missalibus post Rubricas Generales inserantur, omissis S. R. C. Decretis quae hucusque in principio Breviarii inserta inveniuntur.

Antiphonae mutandae. e) In futuris Breviarii editionibus mutentur, ob novam Psalterii reformationem, sequentes Antiphonae in Laudibus :

In Dominica Sexagesimae : Ant. 5. In excelsis * laudate Deum.

In Dominica III Quadragesimae : Ant. 3. Adhaesit anima mea * post te Deus meus.

In Dominica IV Quadragesimae : Ant. 3. Me suscepit * dextera tua, Domine.

In Feria IV Maioris Hebdomadae : Ant. 3. Tu autem, Domine, * scis omne consilium eorum adversum me in mortem. — *Ant. 5.* Fac, Domine, * iudicium iniuriam patientibus : et vias peccatorum disperde.

Annotatio

Dilata pleniore expositione, haec pauca notabimus.

a) Optio officii recitandi ad priores vel praesentes normas in privata recitatione singulis sacerdotibus, in chorali, maiori parti capituli esse sinitur.

Pro consuetae tamen oboedientiae lege, Superiores religiosi quid saltem in communi officii celebratione fieri malint statuere posse videntur. Omissa huius modi iussione, optio secundum praesentem legem facienda erit.

b) Nova de collectis lex iam nunc observari posse videtur, quamvis nondum praecipiatur. Ex ista lege, oratio imperata, nisi pro re gravi praecipiatur, ut quarta non autem ut quinta accedere potest.

c) De dominicis licet iam, si novae rubricae id indicent, missam legere et officium (secundum novum vel suppressum Psalterium) privatim recitare, quamvis de cetero priorem ordinem serves. Sic fiet ut in ipsa dominica die color paramentorum variare possit in eadem ecclesia.

d) Nisi S. Sedes aliter forsan decreverit, ex omissa omni expressa condicione, colligi posse videtur, hoc anno 1912, privato sacerdoti licere : ut de festo recitet officium dum missam de dominica legere proponit ; — ut pro devotione et commoditate sua aliis diebus novum aliis vero pristinum Psalterii ordinem sequatur, dum unum officium unius ordinis esse curet. Hoc tamen minus commendandum esse ducimus.

e) Temporaria festorum particularium ordinatio arbitrio Ordinariorum locorum aut Superiorum regularium (vel religiosorum exemptorum) committitur ; qui iam hoc anno 1912 omissionem eorundem vel simplicem commemorationem praecipere posse videntur.

553. — S. CONGREGATIONIS RITUUM

DECRETA 30 DEC. 1911 : 15 ET 23 IAN. 1912

De novis Breviarii et Missalis legibus

(A. A. S. 31 ian. 1912, 4, 82 ss. 57 ss.)

A. **Romana et aliorum.** *Responsa 30 dec. 1911, circa doxologiam, ℣. primae, et praefationem propriam in occurrentia festorum B. M. V. ad instar simplicis redactorum.*

Dubitandi occasio.

Cum ex Constitutione Apostolica « Divino afflatu » SSmi Dni Nostri Pii Papae X, diei 1 novembris 1911, Festum B. M. V. ritus duplicis maioris, aut dies Octava eiusdem Deiparae, si in Dominicam occurrant, amodo simplificari debeant; Sacrae Rituum Congregationi insequentia dubia proposita fuerunt, nimirum :

Dubia *I.*

I. An in praedicto casu conclusiones Hymnorum et versus Responsorii brevis ad Primam esse debeant de ipsa Beata Maria Virgine ?

II.

II. Quae Praefatio in casu dicenda sit in Missa ?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, re mature perpensa, respondendum censuit :

Responsa.

Ad I.

Ad I. Affirmative, nisi dicenda sit [1] propria Temporis, et exceptis Dominicis Adventus.

Ad II.

Ad II. Praefatio Trinitatis, nisi occurrat Praefatio de Tempore aut alicuius Octavae Domini, iuxta Novas Rubricas, tit. X, n. 4.

Dies (30 dec. 1911).

Atque ita rescripsit die 30 decembris 1911.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., Secretarius.*

B. *Decretum 30 dec. 1911, de festis ritus duplicis maioris octava condecoratis.*

Memorata concessione, supprimuntur octavae festorum ritus duplicis maioris.

Quaedam Festa, quamvis perpauca, ritus Duplicis Maioris, pro aliqua particulari Ecclesia, transactis temporibus, Octava decorata fuerunt. Cum autem harum Octavarum celebratio novissimis Sanctae Sedis dispositionibus minime congruat, Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audita sententia Commissionis Liturgicae, reque accurato examine perpensa, statuit et decrevit : Festa ritus duplicis maioris Octava gaudere nequeunt; et si quae huiusmodi Octavae iam concessae inveniantur, amodo declarantur suppressae. Atque ita servari praecepit die 30 decembris 1911.

Dies (30 dec. 1911).

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secretarius.*

C. *Decretum 15 ian. 1912, de novi psalterii edendi facultate ab episcopis non concedenda.*

Memorata petitione,

Cum nuper nonnulli Rmi locorum Ordinarii Sacram Rituum Congregationem interrogaverint utrum sibi liceat facultatem concedere Typogra-

[1] Mendose dictum putamus pro *sint.*

phis respectivae Dioecesis imprimendi « Psalterium Breviarii Romani cum Ordinario Divini Officii iussu SS. D. N. Pii PP. X novo ordine per hebdomadam dispositum et editum » necne ; Sacra ipsa Congregatio respondit : « Detur Decretum diei 15 novembris 1911 in Editione typica Vaticana relatum ».

Confirmatur decretum 15 nov. 1911, quod recitatur, et valere dicitur non obstante decreto 17 maii 1911.

Tenor autem Decreti hic est :

« Praesentem Psalterii cum Ordinario Divini Officii editionem Vaticanam diligenter revisam et recognitam, ac iuxta recentes Rubricarum immutationes, ad normam Constitutionis Apostolicae « *Divino afflatu* » SS^mi D. N. Pii Pp. X, accuratissime dispositam, Sacra Rituum Congregatio typicam declaravit ; statuitque, ut novae eiusdem Psalterii editiones huic in omnibus sint conformes, et non imprimantur, nisi a Typographis huius Sacrae Congregationis, servatisque praescriptionibus ab hac Secretaria tradendis ».

Quod, non obstante Decreto diei 17 maii 1911, ita servari mandavit.

Dies (15 ian. 1911).

Die 15 ianuarii 1912.

† *Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., Secretarius.*

D. **Urbis et Orbis.** *Decretum 23 ian. 1912, Mutationes faciendae in Breviario et Missali.*

Decreti causa.

Cum ob reductionem Festorum ad tramitem Motu proprio de Diebus Festis et Decretorum Sacrae Rituum Congregationis diebus 24 et 28 iulii anno 1911 editorum, attenta etiam Constitutione Apostolica « Divino afflatu », ne oriatur confusio, necesse sit nonnullas speciales Breviarii et Missalis rubricas novis dispositionibus aptari ; Sacra Rituum Congregatio, firmis manentibus quae decreta sunt in Praescriptionibus Temporariis N. IV, ad calcem Rubricarum iuxta memoratam Constitutionem adiectis, quod ad Rubricas Generales ; quae sequuntur in novis Breviarii et Missalis editionibus imprimendis inserenda censuit, si tamen Sanctissimo Domino Nostro placuerit.

De rubricis generalibus manet sanctio, extemporariis, 4 d.

MUTATIONES IN BREVIARIO ET MISSALI ROMANO FACIENDAE AD NORMAM MOTU PROPRIO DE DIEBUS FESTIS, DECRETORUM S. R. C. 24 ET 28 IULII 1911, ET CONSTITUTIONIS APOSTOLICAE « DIVINO AFFLATU ».

Novae Breviarii dispositiones.

IN BREVIARIO

In principio Breviarii.

In principio Breviarii.

Post Bullas Pii V, Clementis VIII et Urbani VIII, inseratur Bulla Divino afflatu *SS^mi Domini Nostri Pii Papae X.*

Expungantur quattuor Decreta S. Rituum Congregationis.

In Kalendario Breviarii.

In Kalendario.

13 ianuarii. — Octava Epiphaniae. *dupl. mai.*

19 martii. — COMMEMORATIO SOLLEMNIS S. IOSEPH, Sponsi B. M. V., Conf. *dupl. I. class.*

In fine aprilis. — Dom. III. post Pascha. — SOLLEMNITAS S. IOSEPH, Sponsi B. M. V. et Eccl. Univers. Patroni, Conf. *dupl. I. class. cum Octava.* Com. Dom.

In fine maii. — Fer. VI. post Octavam Commem. Sollemnis SSmi Corporis D. N. I. C. — Sacratissimi Cordis Iesu. *dupl. I. class.*

23 iunii. —

24 » —

25 » — S. Gulielmi Abb. *dupl.*

26 » — Ss. Ioannis et Pauli, Mart. *dupl.*

27 » —

28 » — S. Leonis II. Papae Conf. *semidupl.* Com. Vigiliae.

29 » — Ss. Petri et Pauli App. *dupl. I. class. cum Octava.*

30 » Commemoratio S. Pauli Apost. *dupl. mai.* Com. S. Petri Apost.

Sabbato ante Dom. IV Iunii. — Vigilia.

Dom. IV. Iunii. — Nativitas S. Ioannis Baptistae. *dupl. I. class. cum Octava.*

1 iulii. — De octava Ss. Apost. *semidupl.*

6 » — Octava Ss. Petri et Pauli Apost. *dupl. mai.*

6 augusti. — Transfiguratio D. N. I. C. *dupl. 2 class.* Com. Ss. Xysti II. Papae, Felicissimi et Agapiti Mart.

22 augusti — Octava Assumptionis B. M. V. *dupl. mai.* Com. Ss. Timothei et Soc. Mm.

Post diem 8 septembris supprimatur : Dom. infra Oct. Nativit. *etc.*

12 septembris. — SSmi Nominis Mariae. *dupl. mai.*

2 novembris. — Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum. *dupl.*

8 » — Octava Omnium Sanctorum. *dupl. mai.* Com. Ss. Quattuor Coronatorum Mart.

9 novembris. — Dedicatio Archibasilicae SS. Salvatoris. *dupl. 2 class.* Com. S. Theodori Mart.

15 decembris. — Octava Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis. *dupl. mai.*

Post Rubricas Generales Breviarii inserantur Novae Rubricae, *suppressis* Praescriptionibus Temporariis.

Deinde suppressis omnibus quae nunc habentur in Breviario usque ad Psalterium, inserantur sequentia :

Tres Tabellae

Novae Tabellae.

EX RUBRICIS GENERALIBUS BREVIARII ET EX RUBRICIS IUXTA CONSTITUTIONEM « DIVINO AFFLATU » REFORMATIS EXCERPTAE.

In quarum prima statim videri poterit de quo celebrandum erit Officium, si plura eodem die Festa perpetuo occurrant ; in secunda vero, si accidentaliter similiter occurrant ; in tertia autem quomodo Officium praecedens concurrat in Vesperis cum Officio sequentis diei.

In quavis ex tribus Tabellis hoc ordine reperietur quod quaeritur :

Primum inveniatur numerus positus in quadrangulo illo, in quo Festa, de quibus est controversia, sibi invicem occurrunt ; deinde legatur regula iuxta dictum numerum descripta, et ex ea clare videbitur quid sit agendum.

Exempli gratia : Quadrangulum, in quo sibi invicem occurrunt, in prima Tabella, Duplex primae classis et Simplex, erit quod invenitur primo loco in eadem linea in qua inscribitur Duplex primae classis, in quo signatus est numerus 1, quia si ad ipsum quadrangulum tam Duplex primae classis quam Simplex ex eorum locis recto tramite pergerent, in eo sibi invicem occurrerent. Regula autem iuxta dictum numerum 1 apposita sic habet :

1. *Officium de primo, nihil de secundo.* Id est Officium fiat de Duplici primae classis, et nihil de Simplici : quia cum in his regulis dicitur de primo, seu praecedenti, intellegitur de Festo in superiori parte Tabellae apposito, ut Duplex praedictum : cum de secundo, vel sequenti, de Festo in inferiori parte sub numeris apposito, ut Simplex praedictum.

In aliquibus autem quadrangulis positus est O, quia nullus occursus aut concursus esse potest inter Festa simul ad idem quadrangulum occurrentia.

Scire tamen oportet quae sint Dominicae et Feriae maiores, et quae Duplicia primae et secundae classis et maiora per annum, sicut et alia Officia Duplicia vel Semiduplicia, quae uti Primaria vel Secundaria sint retinenda.

Dominicae Maiores dividuntur in duas classes :

Dominicae primae classis :	Dominicae secundae classis :
Prima Adventus,	Secunda Adventus,
Prima Quadragesimae,	Tertia Adventus,
Passionis,	Quarta Adventus,
Palmarum,	Septuagesimae,
Paschatis,	Sexagesimae,
In Albis,	Quinquagesimae,
Pencostes,	Secunda Quadragesimae,
Trinitatis.	Tertia Quadragesimae,
	Quarta Quadragesimae.

Feriae Maiores dividuntur in duas classes :

Feriae Privilegiatae.	Feriae non Privilegiatae.
Quarta Cinerum,	Adventus,
Secunda Maioris Hebdomadae,	Quadragesimae,
Tertia » »	Quattuor Temporum,
Quarta » »	Secunda Rogationum.

Duplicia primae classis Primaria.

Nativitas Domini,
Epiphania Domini,
Pascha Resurrectionis cum tribus antecedentibus et duobus sequentibus diebus,
Ascensio Domini,
Pentecostes cum duobus sequentibus diebus,
Festum SS. Trinitatis,
Commemoratio sollemnis Sanctissimi Corporis D. N. I. C.,
Immaculata Conceptio B. M. V.,

Annuntiatio B. M. V.,
Assumptio B. M. V.,
Nativitas S. Ioannis Baptistae,
Commemoratio sollemnis S. Ioseph, Sponsi B. M. V., Conf.,
Sollemnitas S. Ioseph, Sponsi B. M. V. et Eccl. Univ. Patroni, Conf.,
Festum Ss. Petri et Pauli Apostolorum,
Festum Omnium Sanctorum,
Dedicatio Ecclesiae propriae, eiusque Anniversarium,
Anniversarium Dedicationis Ecclesiae Cathedralis,
Titulus propriae Ecclesiae,
Titulus Ecclesiae Cathedralis,
Patronus principalis Oppidi, vel Civitatis, vel Dioecesis, vel Provinciae, vel Nationis,
Titularis et Sanctus Fundator Ordinis seu Congregationis.

Duplex Primae Classis Secundarium.

Festum Sacratissimi Cordis Iesu.

Duplicia Secundae Classis Primaria.

Circumcisio Domini,
Transfiguratio Domini,
Dedicatio Archibasilicae SS. Salvatoris,
Purificatio B. M. V.,
Visitatio B. M. V.,
Nativitas B. M. V.,
Dedicatio S. Michaëlis Archangeli,
Natalicia undecim Apostolorum,
Festum S. Marci Evangelistae,
Festum S. Lucae Evangelistae,
Festum S. Stephani Protomartyris,
Festum Ss. Innocentium Martyrum,
Festum S. Laurentii Martyris,
Festum S. Ioachim, Patris B. M. V.,
Festum S. Annae, Matris B. M. V.

Duplicia Secundae Classis Secundaria.

Festum SS. Nominis Iesu,
Festum Inventionis S. Crucis,
Festum Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C.,
Festum Septem Dolorum B. M. V. mense Septembri,
Sollemnitas SS. Rosarii B. M. V.

Duplicia Maiora Primaria.

Dies Octava cuiuslibet Duplicis primae classsis Primarii,
Dedicatio Basilicarum Ss. Apostolorum Petri et Pauli,
Dedicatio S. Mariae ad Nives,
Praesentatio B. M. V.,
Festum Ss. Angelorum Custodum,

Decollatio S. Ioannis Baptistae,
Festum S. Barnabae Apostoli,
Festum S. Benedicti Abbatis,
Festum S. Dominici Confessoris,
Festum S. Francisci Assisiensis Confessoris,
Festum S. Francisci Xaverii Confessoris,
Festa Patronorum minus principalium.

Duplicia Maiora Secundaria.

Dies Octava cuiuslibet Duplicis primae classis Secundarii,
Exaltatio S. Crucis,
Apparitio B M. V. Immaculatae,
Festum Septem Dolorum B. M. V. tempore Quadragesimae,
Commemoratio B. M. V. de Monte Carmelo,
Festum SS. Nominis B. M. V.,
Festum B. M. V. de Mercede,
Apparitio S. Michaëlis Archangeli,
Cathedra S. Petri Apostoli Romae,
Cathedra S. Petri Apostoli Antiochiae,
Festum eiusdem ad Vincula,
Conversio S. Pauli Apostoli,
Commemoratio S. Pauli Apostoli,
Festum S. Ioannis Apostoli ante Portam Latinam.

Alia Duplicia vel Semiduplicia Primaria.

Dies Octava cuiuslibet Duplicis secundae classis Primarii,
Dies Natalicia, vel quasi-Natalicia, cuiuscumque Sancti.

Alia duplicia vel semiduplicia Secundaria.

Dies Octava cuiuslibet Duplicis secundae classis Secundarii,
Impressio Sacrorum Stigmatum S. Francisci Conf.,
Inventio S. Stephani Protomartyris,
Festa sive Domini, sive B. M. V. sub aliquo peculiari titulo, sive Sanctorum, praeter eorundem Natalem diem, uti Inventionis, Translationis, Patrocinii et hisce similia.

Si occurrat eodem die perpetuo

Duplex 1 Classis.	1	3	3	1	3	3	5	5	5	1	6	6	5	8	3	0	et	Dominica maior.		
Duplex 2 Classis.	3	3	3	1	3	6	5	5	5	3	3	6	8	6	3	0	»	Dominica minor.		
Dies Octava duplex maius	3	3	0	3	0	0	5	5	5	3	7	0	0	4	2	4	»	Duplex 1 Classis.		
Dies Octava duplex minus	3	3	0	3	0	0	5	5	4	7	4	0	0	4	2	4	»	Duplex 2 Classis.		
Duplex maius	3	3	3	3	3	6	5	5	8	3	6	6	6	6	0	0	»	Vigilia Nativitatis et Circumcisio Domini.		
Duplex minus	3	3	3	3	3	6	5	8	6	6	6	6	6	6	0	0	»	Dies Octava Epiphaniae.		
Semiduplex.	3	3	6	3	3	6	8	6	6	6	6	6	6	6	0	0	»	Dies Octava duplex maius.		
Dies infra Octavam	3	3	0	7	4	4	4	4	4	4	4	0	2	2	4	4	»	Dies Octava duplex minus.		
Simplex	8	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	2	0	0	»	Duplex maius.		
Vigilia	3	2	0	4	0	0	4	4	4	4	4	0	4	2	0	0	»	Duplex minus.		

1. Officium de 1, nihil de 2.
2. Officium de 2, nihil de 1.
3. Officium de 1, commemoratio de 2.
4. Officium de 2, commemoratio de 1.
5. Officium de 1, repositio de 2.
6. Officium de 2, repositio de 1.
7. Officium de nobiliori, commemoratio de alio.
8. Officium de nobiliori, repositio de alio.

Si occurrat eodem die accidentaliter

Duplex 1 Classis	0	3	6	1	3	6	1	1	1	1	1	6	5	8	3	3	6	et Dominica 1 Classis.
Duplex 2 Classis	0	3	6	1	6	6	3	3	3	3	3	6	8	6	3	6	6	» Dominica 2 Classis.
Dies Octava duplex maius	0	3	0	3	4	0	3	3	3	3	7	0	4	2	4	4	4	» Dominica minor.
Dies Octava duplex minus	0	3	0	3	4	0	3	3	4	7	4	0	4	2	4	4	4	» Duplex 1 Classis.
Duplex maius	0	3	4	3	4	4	3	3	7	3	4	4	4	2	4	4	4	» Duplex 2 Classis.
Duplex minus	0	3	4	3	4	4	3	7	4	4	4	4	4	2	4	4	4	» Dies Octava Corporis Christi.
Semiduplex	0	3	4	3	4	4	7	4	4	4	4	4	4	2	4	4	4	» Dies Octava duplex maius.
Dies infra Octavam	0	3	0	7	4	0	4	4	4	4	4	4	2	2	4	4	4	» Dies Octava duplex minus.
Simplex	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	2	4	4	4	» Duplex maius.
Vigilia	0	2	2	4	4	0	4	4	4	4	4	4	4	2	0	0	0	» Duplex minus.
	» S. Maria in Sabbato.	» Feria maior.	» Feria IV Cinerum.	» Dies infra Octavam quamcumque.	» Dies infra Octavam Corporis Christi.	» Dies infra Octav. Pasch. et Pentec. Vigilia Pentec. et Feriae mai. hebdom.	» Semiduplex.											

1. Officium de 1, nihil de 2.
2. Officium de 2, nihil de 1.
3. Officium de 1, commemoratio de 2.
4. Officium de 2, commemoratio de 1.
5. Officium de 1, translatio de 2.
6. Officium de 2, translatio de 1.
7. Officium de nobiliori, commemoratio de alio.
8. Officium de nobiliori, translatio de alio.

Quando concurrit

Dominica	4	0	4	4	4	4	4	4	3	3	0
Duplex 1 Classis . . .	2	2	2	4	4	4	4	4	4	5	4
Duplex 2 Classis . . .	4	4	4	4	4	4	4	4	5	3	4
Dies Octava duplex maius.	4	4	4	4	4	4	4	5	3	1	3
Dies Octava duplex minus.	4	4	4	4	4	3	5	3	3	1	3
Duplex maius	4	4	4	4	4	5	4	3	3	1	3
Duplex minus	4	4	4	4	5	3	3	3	3	1	3
Semiduplex	4	4	4	5	3	3	3	3	1	1	3
Dies infra Octavam. . .	4	0	2	3	3	3	3	3	1	1	3
1. Totum de sequenti, nihil de praecedenti.	»	»	»	»	»	»	»	»	»	»	cum Dominica.
2. Totum de praecedenti, nihil de sequenti.	Simplici.	S. Maria in Sabbato.	Die infra Octavam.	Semiduplici.	Duplici minori.	Duplici maiori.	Die Octava duplici minori.	Die Octava duplici maiori.	Duplici 2 Classis.	Duplici 1 Classis.	
3. Totum de sequenti, commemoratio de praecedenti.											
4. Totum de praecedenti, commemoratio de sequenti.											
5 Totum de nobiliori, commemoratio de alio ; in paritate a capitulo de sequenti, commemoratio de praecedenti.											

NOTANDA IN PRAECEDENTIBUS TABELLIS.

1. Quando in regulis cuiusvis Tabellae invenitur Officium de *Nobiliori*, vel Totum de *Nobiliori*, intellegi debet de illo ex duobus occurrentibus aut concurrentibus Festis vel Officiis, quod, sive ratione qualitatis Primarii, sive ratione Dignitatis personalis, aut Sollemnitatis externae, aut Proprietatis (haec tamen in concurrentia non attenditur), alteri praeferri debeat.

2 Festa Duplicia I. classis primaria universalis Ecclesiae praeferuntur cuilibet Festo, tam in occurrentia quam in concurrentia. Item Festa Dedicationis et Tituli propriae Ecclesiae, et Patroni loci, cedunt tantummodo praedictis Duplicibus I. classis primariis universalis Ecclesiae.

3. Octavae inter se praeferuntur eadem lege, qua Festa ipsa, ad quae spectant.

4. In die Octava Commemorationis Sollemnis Corporis Christi, non fit de

aliquo Festo, etiam Duplici I. classis, nisi de occurrenti Festo Ss. Apostolorum Petri et Pauli, cum commemoratione diei Octavae ; quae autem omittitur in II. Vesperis, ob concurrentiam Festi SS. Cordis Iesu.

5. Festa Domini eorumque Dies Octavae cuiusvis ritus in occurrentia, tam accidentali quam perpetua, et in concurrentia, Dominicae minori praeferuntur.

6. De Octavis Privilegiatis Nativitatis, Epiphaniae et Corporis Christi, fit semper commemoratio in quolibet Officio etiam Duplici I. classis.

7. Quando Festa universalis Ecclesiae, quae cum Octava celebrantur, ob impedimentum perpetuum in die proxime sequenti, iuxta Rubricas, sint reponenda, non ideo reponitur eorum dies Octava, quae in universa Ecclesia die sua recoli debet.

Idem dicendum de die Octava alicuius Festi Dioecesis vel Ordinis, quod in aliqua particulari Ecclesia alia die sit reponendum.

Idem servetur de die Octava cuiuslibet Festi, quod, ut supra, transferri debeat ob impedimentum accidentale.

8. Quando dies Octava, quae ad Festum Domini non pertineat, incidit in Dominicam, fit de Dominica cum commemoratione diei Octavae ; attamen, si in Sabbato praecedenti celebratum fuerit aliquod Festum Duplex maius vel minus, aut Semiduplex, in Vesperis fit commemoratio ipsius Festi, et postea diei Octavae, per Antiphonam et Versum e I. Vesperis Festi ; quod si in eodem Sabbato actum fuerit Officium de die VII. infra Octavam, tunc in Vesperis fit commemoratio ipsius diei VII. per Antiphonam et Versum e II. Vesperis Festi, nil vero de die Octava.

9. Quando occurrunt accidentaliter duo Festa, vel duae Octavae, in honorem eiusdem Personae, fit Officium de Festo, vel de Octava nobiliori, sine commemoratione alterius, nisi agatur de mysteriis Domini diversis. Similiter si infra Octavam aliquam non privilegiatam occurrat sive accidentaliter, sive perpetuo, Festum de eadem Persona, fit Officium de Festo sine commemoratione Octavae, dummodo non agatur, ut supra dictum est, de diversis Domini mysteriis ; ut si infra Octavam Dedicationis Ecclesiae occurrat aliquod Festum particulare D. N. I. C., Duplex maius ; hoc enim in casu fit de Festo cum commemoratione Octavae.

10. E contra si in die Octava non privilegiata occurrat Festum eiusdem Personae, et eiusdem ritus, diversi tamen mysterii ut supra, in occurrentia accidentali fit de Festo cum commemoratione Octavae, in occurrentia vero perpetua, fit de die Octava, et Festum alia die iuxta Rubricas reponitur.

11. Si autem duo Officia eiusdem Personae, simul concurrant (nisi agatur de mysteriis Domini diversis, ut supra), si sint diversi ritus aut nobilitatis, fit totum de nobiliori, sine commemoratione alterius ; in paritate autem ritus et nobilitatis fit totum de praecedenti, sine commemoratione sequentis. Attamen in die Octava Corporis Christi, II. Vesperae sunt de ipsa Octava, sine commemoratione sequentis Festi SS. Cordis Iesu.

12. Si Patronus loci praecipuus vel secundarius, aut Titularis Ecclesiae, vel etiam Sanctus cuius in Ecclesia habeatur insignis reliquia, descriptus sit in Calendario cum aliis Sanctis, quibus est ex natura sua coniunctus, scilicet quando inter eos necessaria consanguinitatis aut affinitatis ratio intercedit, non est a Sociis separandus. Si vero illis

coniunctus est ex occasione tantum, quia scilicet eadem die obierint, tunc a Sociis separatur, et de eo agitur Festum sub ritu competenti.

Si agatur Festum de Patrono praecipuo vel de Titulari, et Socii sint cum eo descripti in Calendario sub ritu simplici, de Sociis nihil penitus fit ; si vero agatur Festum de Patrono secundario vel de Sancto cuius Reliquia insignis habetur, tunc de Sociis fit commemoratio. Quod si inscripti sint in Calendario sub ritu duplici vel semiduplici, tunc Socii alia die celebrantur, iuxta Rubricas, sub ritu, quo in Calendario inscribuntur.

13. De Octavis, quae non sunt in Breviario Romano, nihil fit amplius a Feria IV. Cinerum usque ad Dominicam in Albis, a Vigilia Pentecostes usque ad Festum SS. Trinitatis, et a die 17 decembris usque ad Epiphaniam, semper inclusive.

14. Quando Nativitas S. Ioannis Baptistae die 28 iunii obveniat, in Sabbato praecedenti simul occurrunt Vigiliae tum eiusdem S. Praecursoris, tum Ss. Apostolorum Petri et Pauli ; in casu, fit Officium de prima, sine commemoratione de alia.

15. De Feriis Adventus et Quadragesimae, si de eis non fiat Officium, fit semper commemoratio in utrisque Vesperis et Laudibus cuiuscumque Festi : de Feriis Quattuor Temporum et II. Rogationum, ac de Vigiliis, in Laudibus tantum. Si vero aliqua Vigilia occurrat in Adventu, Quadragesima, Quattuor Temporibus, vel in Duplici I. classis, de ea non fit commemoratio neque in Laudibus.

Expungatur integrum Psalterium, eique substituatur Ordinarium *et* Novum Psalterium.

In Proprio de Tempore Breviarii.

In proprio de Tempore.

Post Festum Ss. Innocentium, suppressis Rubricis quae nunc habentur, ponantur sequentes :

Si Festum Nativitatis Domini, S. Stephani, S. Ioannis Evang. et Ss. Innocentium venerit in Dominica, ipsa die nihil fit de Dominica, sed die proxima post Festum S. Thomae Mart. fit de ea, ut infra.

Si Festum Sancti Thomae venerit in Dominica, tunc in II. Vesp. Ss. Innocentium fit comm. Dom. (Ant. *Dum medium.* ℣. *Verbum caro.* Oratio *Omnipotens* ut infra), deinde S. Thomae et trium Octavarum. Ipsa vero die Dominica fit Officium de ea, ritu semiduplici, ut infra ponitur, et ad Laudes fit Comm. S. Thomae et quattuor Octavarum. In II. Vesp. fit Officium de Nativitate, ritu semiduplici, a capitulo de Dominica cum comm. sequentis diei infra Octavam Nativitatis (Ant. *Hodie.* ℣. *Notum.* Oratio *Concede*), S. Thomae et trium Octavarum. Die vero 30 decembris fit Officium de die infra Oct. Nativitatis, ritu semiduplici, ut infra, cum commemoratione trium Octavarum ; et II. Vesperae dicuntur, ritu duplici, de Nativitate, a capitulo de S. Silvestro cum commemoratione quattuor Octavarum.

Si vero Dominica venerit die 30 decembris, in Sabbato dicuntur Vesperae de Nativitate, ritu semiduplici, a capitulo de Dominica cum commemoratione S. Thomae et quattuor Octavarum. Ipsa vero die Dominica fit Officium de ea, ritu semiduplici, et ad Laudes fit commemoratio quattuor Octavarum. In II. autem Vesperis fit Officium de Nativitate, ritu

semiduplici, a capitulo de Dominica cum commemoratione sequentis Festi S. Silvestri et quattuor Octavarum.

Si denique Dominica venerit in Festo S. Silvestri, in II. Vesp. S. Thomae fit comm. seq. diei infra Oct. Nativitatis et aliarum Octavarum. Die 30 decembris fit Officium de die infra Oct. Nativ., ut infra, et in II. Vesp. fit Officium de Nativitate, ritu semiduplici, a capitulo de Dominica ; deinde fit comm. diei infra Octav. Nativitatis, S. Silvestri et aliarum Octavarum. Die vero 31 decembris fit Officium de Dominica, ritu semiduplici, ut infra : ad Laudes fit comm. S. Silvestri et quattuor Octavarum : et II. Vesp. fiunt de Circumcisione Domini cum comm. Dominicae tantum.

Deinde ponitur :

Dominica infra Octavam Nativitatis.

In I. Vesperis : Capitulum *Fratres, quanto tempore,* etc. — Hymnus *Iesu, Redemptor,* ut supra. — ℣. *Verbum caro,* etc. — Ad Magnificat Ant. *Dum medium,* etc. — Oratio *Omnipotens.* — Postea fit comm. Octavarum. *Deinde omnia ut in Breviario usque ad II. Vesp. inclusive.*

Postea ponitur :

Die 29 decembris.

In Festo S. Thomae Episc. Mart. *Duplex.*

Oratio *Deus pro cuius,* etc.

In I Nocturno : Lectiones *A Mileto.*

In II Nocturno : *Thomas,* etc. (*ut in Breviario*).

In III. Nocturno : *Ut in Breviario.*

Ad Laudes : Capitulum *Beatus vir* etc. — Hymnus : *Invicte Martyr, unicum.* — ℣. *Iustus ut palma,* etc. — Ad Benedictus Ant. *Qui odit animam suam* etc. — Oratio *Deus pro cuius* ut supra.

Postea fit comm. Octavarum.

Ad Horas : Capitula et ℟℟. sumuntur de Comm. unius Martyris.

Ad Vesperas : Ant. et Psalmi de Nativitate, Capitulum, ut supra ad Laudes. — Hymnus : *Deus tuorum militum.* — ℣ *Iustus ut palma* etc. — Ad Magnificat ant. *Qui vult venire* etc. — Oratio *Deus pro cuius* ut supra. Deinde fit com. sequentis diei infra Oct. Nativitatis : Ant. *Hodie* etc. ℣. *Notum* etc. Oratio *Concede* etc. — Postea fit com. aliarum Octavarum.

Die 30 decembris.

De VI. Die infra Oct. Nativitatis. *Semiduplex.*

Omnia dicuntur ut in Festo Nativitatis, praeter ℟℟. quae sumuntur de Dominica et Lectiones III. Nocturni, ut infra : *Lectio sancti Evangelii* etc. (*ut in Breviario*).

Ad Laudes fit commemoratio de aliis Octavis.

Ad Vesperas : Ant. et Psal. de Nativitate. — Capitulum *Ecce Sacerdos* etc. — Hymnus *Iste Confessor.* — ℣. *Amavit.* — Ad Magnificat Ant. *Sacerdos et Pontifex.* — Oratio *Da quaesumus.* — Deinde fit comm. praecedentis diei infra Octav. Nativitatis. Ant. *Hodie.* ℣. *Notum.* Oratio *Concede.* — Postea fit comm. aliarum Octavarum.

DIE 31 DECEMBRIS.

In Festo S. Silvestri I. Papae Confessoris. *Duplex.*

Oratio *Da quaesumus.* — In I. Nocturno (*ut in Breviario*). — In II. Nocturno (*ut in Breviario*). — In III. Nocturno Homilia in Evang. *Sint lumbi* de comm. Conf. non Pont. cum ℟℟. de Comm. Conf. Pont.

Ad Laudes: Capitulum *Ecce sacerdos magnus* etc. — Hymnus *Iesu Redemptor omnium.* — ℣ *Iustus* etc. — Ad Benedictus Ant. *Euge, serve bone* etc. — Oratio *Da quaesumus* etc. — Postea fit comm. Octavarum.

Ad Horas: Capitula et ℟℟. sumuntur de Comm. Conf. Pont.

Vesperae dicuntur de Circumcisione Domini, sine commemoratione S. Silvestri et Octavarum.

Post Festum Circumcisionis ponatur haec Rubrica: Si in die Circumcisionis, aut in sequentibus, usque ad Epiphaniam inclusive, Dominica occurrerit, de ea nihil fit.

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIAE.

In II. Vesperis, pro comm. Octavae loco Ant Tribus miraculis, *ponatur Ant.* Magi videntes.

In die Octava Epiphaniae. Dupl. maius.

Ad Laudes Dominicae Sexagesimae, loco quintae Antiphonae In tympano, *substituatur sequens:* In excelsis * laudate Deum.

Ad Laudes Dominicae tertiae Quadragesimae, loco Antiphonae tertiae Deus misereatur, *substituatur sequens:* Adhaesit anima mea * post te, Deus meus.

Ad Laudes Dominicae IV. Quadragesimae, loco Antiphonae tertiae Benedicat nos Deus, *substituatur sequens:* Me suscepit * dextera tua, Domine.

Ad Laudes Feriae IV. Maioris Hebdomadae, loco Antiphonae tertiae Ipsi vero, *substituatur sequens:* Tu autem, Domine, * scis omne consilium eorum adversum me in mortem.

Item loco Antiphonae quintae Alliga Domine, *substituatur sequens:* Fac, Domine, * iudicium iniuriam patientibus: et vias peccatorum disperde.

Ad Laudes Feriae V. in Cena Domini, Feriae VI. in Parasceve et Sabbati Sancti ponantur Psalmi de Feria currenti, retento pro Sabbato Cantico Ego dixi, *etc.*

In fine Feriae V. in Cena Domini Rubrica Ad Completorium *etc. sic corrigatur:* Ad completorium non dicitur... incipitur a Psalmo *Cum invocarem:* et dicuntur Psalmi de Dominica, ut in Psalterio. Dictis Psalmis *etc.*

Ad Completorium Sabbati Sancti verba Rubricae: Deinde sine Antiphona dicuntur Psalmi consueti, *sic corrigantur:* Deinde sine Antiphona dicuntur Psalmi de Dominica.

Post Laudes Dominicae Resurrectionis Rubrica Ad primam *etc. sic corrigatur :* Ad Primam, Tertiam, Sextam... dicuntur Psalmi de Dominica, ad Primam tamen ut in Festis, quibus finitis *etc.*

Ad Completorium Dominicae Resurrectionis, Rubrica Dicto ℣. *etc. sic corrigatur :* Dicto ℣. dicuntur Psalmi de Dominica... quibus finitis *etc.*

Dominica in Albis in Octava Paschae. *Duplex maius.*

Ad Laudes suppressis Antiphonis et Psalmis usque ad Capitulum, dicatur : Omnia ut in Psalterio.

Feria II. post Dominicam in Albis.

Ad Laudes supprimatur Rubrica, quae incipit : Postea fit commemoratio, *usque ad* ℣. et Oratio, ut supra *inclusive.*

Dominica infra Octavam Ascensionis.

In fine addatur : Si vero in crastinum fiat Officium de Octava, Ant. et ℣. sumuntur e I. Vesperis festi.

In Octava Ascensionis. Duplex maius.

In Festo SS. Trinitatis addatur : Duplex I. classis.

In fine Feriae IV, post Oct. Pentecostes sic corrigantur Rubricae :

Feria V. celebratur Commemoratio sollemnis Sanctissimi Corporis D. N. I. C.

Infra Octavam non fit de Festo, nisi fuerit Duplex I. classis : reliqua Festa vel transferuntur post Octavam, vel commemorantur iuxta Rubricas, in Vesperis et Laudibus, sine IX. lectione.

Die vero Octava non fit nisi de Festo SS. Apostolorum Petri et Pauli, si occurrat, cum commemoratione eiusdem diei Octavae.

In Commemoratione sollemni Sanctissimi Corporis D. N. I. C. *Duplex I. classis cum Octava.*

Dominica infra Octavam Corporis Christi.

In II. Vesperis, pro commemoratione Octavae ponantur Antiphona et ℣. e I. Vesp. Festi.

In fine Feriae IV. infra Octavam Corporis Christi sic corrigatur Rubrica :

Ad Vesperas, omnia ut in I. Vesperis Festi. Si sequenti die aliud Festum occurrat, vel transferatur vel commemoretur iuxta Rubricas, nisi sit Festum SS. Apostolorum Petri et Pauli, quod celebratur, cum commemoratione Octavae.

Feria V.

Octava Corporis Christi. *Duplex maius.*

In fine ponatur haec Rubrica :

Sequenti die celebratur Festum Sacratissimi Cordis Iesu, de quo nulla fit commemoratio in II. Vesperis diei Octavae SS. Corporis Christi.

Si autem hodie celebratum sit Festum Ss. Apostolorum Petri et Pauli cum commemoratione Octavae SS. Corporis Christi, in II. Veperis Ss. Apostolorum fit tantum commemoratio de sequenti Festo Sacratissimi Cordis Iesu.

In proprio Sanctorum Breviarii.

In proprio Sanctorum.

Die 14 Decembris.

Ad Vesperas supprimatur Rubrica quae incipit: Si dies Octava.

Die 15 Decembris.

In Octava Immaculatae Conceptionis B. M. V. *Dupl. maius.*

Die 19 martii.

In Commemoratione sollemni S. Ioseph Sponsi B. M. V. Confessoris. *Duplex I. classis.*

In fine mensis aprilis:

Dominica III. post Pascha.

In Sollemnitate S. Ioseph Sponsi B. M. V. et Ecclesiae Universalis Patroni, Confessoris. *Dupl. I classis cum Octava.*

In fine Officii supprimatur Rubrica. Si hoc Festum celebretur *etc.*

Feria II. infra Octavam Sollemnitatis S. Ioseph.

Omnia ut in Festo praeter sequentia: In I. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente. In II. Nocturno *De sermone S. Bernardini Senensis* etc. (*Ut in Octavario Romano pro Octava Patrocinii S. Ioseph*).

Et sic in sequentibus Feriis III. IV. V. VI. et Sabbato, adhibitis pro Sabbato Lectionibus, quae in Octavario habentur pro die Octava.

Lectiones III. Nocturni Sabbati ita dividantur:

Lectio VII. *Natalis hodie... filium protestatur.*

Lectio VIII. *Honoratior..... et ipse faber.*

Lectio IX. *Ipse enim..... deputetur.*

Similiter in lectionibus IV. et VII. eiusdem Sabbati sequentes fiant correctiones:

In Lectione IV. pro verbis: pater eius, utrumque mente, non carne, *ponatur:* pater eius, sicut coniux matris eius, utrumque mente, non carne.

In Lectione VII. pro verbis: in hac se Pater, qui credebatur, insinuat, *ponatur:* in hac se Pater, qui non credebatur, insinuat.

Post Sabbatum infra Octavam Sollemnitatis S. Ioseph, ponatur sequens Rubrica:

Vesperae dicuntur de sequenti Dominica et in eis fit commemoratio praecedentis diei VII. infra Octavam, cum Ant. et ℣. de II. Vesp. Festi: si autem in Sabbato factum fuerit Officium de aliquo festo IX. Lectionum, fit com. diei Octavae cum Ant. et ℣. e I. Vesp. Festi.

Sequenti die fit de Dominica IV. post Pascha, nisi occurrat Festum Domini, aut Duplex I. aut II. classis, cum commemoratione diei Octavae in Laud. et II. Vesperis.

In Festo SS. Cordis Iesu.

Prima Rubrica sic corrigatur : Vesperae dicuntur de Octava SS^mi Corporis Christi sine ulla commemoratione. Si autem praecedenti Feria V. occurrerit Festum Ss. Apostolorum Petri et Pauli, in II. Vesperis Ss. Apostolorum fit commemoratio de Festo Sacratissimi Cordis Iesu : Ant. *Improperium. ℣. Ignem veni.* Oratio. *Concede, quaesumus.*

Sed si Officium, *etc.*

In eodem Festo Lectiones II. Nocturni, quae nunc inscribuntur : Sermo S. Bernardi Abbatis, *amodo inscribantur :* Sermo S. Bonaventurae Episcopi.

Post diem 21 iunii sequentia inserantur :

Sabbato ante Dom. IV. iunii.

In Vigilia S. Ioannis Baptistae.

Hic inserantur quae posita sunt die 23 iunii, dempta ultima Rubrica Si sequenti die, *etc., cuius loco ponatur sequens :*

Si haec Vigilia occurrat eadem die cum Vigilia anticipata Ss. Apostolorum Petri et Pauli, totum Officium fit de Vigilia S. Ioannis sine commemoratione alterius Vigiliae, nisi in Missa.

Dominica IV. iunii.

In Nativitate S. Ioannis Baptistae. *Dupl. I. class. cum Octava.*

Hic inseratur Officium, ut habetur in Breviario die 24 iunii.

Post I. Vesperas addatur sequens Rubrica : Et fit commemoratio Dominicae occurrentis.

Supprimatur deinde Lectio IX., et ponatur haec Rubrica : Lectio IX. de homilia Dominicae occurrentis.

In fine Laudum addatur : Et fit commemoratio Dominicae occurrentis.

In II. Vesperis, in fine, supprimatur : Et fit commemoratio sequentis., *et ponatur :* et fit commemoratio Dominicae occurrentis.

Prima die libera infra Octavam S. Ioannis Baptistae.

Omnia ut in Festo praeter sequentia :

In I. Nocturno : Lectiones de Scriptura occurrente. In II. Nocturno *Sermo S. Augustini Episcopi. Natalem... (ut in antiquis Breviariis die 25 iunii).*

In III. Nocturno : *Lectio S. Evangelii,* etc. *De Homilia S. Ambrosii Episcopi. Ioannes est... (ut in Breviario die 1 iulii).*

Secunda die libera infra Octavam S. Ioannis Baptistae.

Omnia ut in Festo, praeter sequentia :

In I. Nocturno : Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno : *Sermo Sancti Basilii Magni. Vox Domini... (ut in Breviario die 27 iunii).*

In III. Nocturno : *Lectio Sancti Evangelii,* etc. *De Homilia S. Ambrosii Episcopi. Et Zacharias... (ut in Breviario die 27 iunii).*

TERTIA DIE LIBERA INFRA OCTAVAM S. IOANNIS BAPTISTAE.

Omnia ut in Festo, praeter sequentia :

In I. Nocturno : Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno : *Sermo S. Maximi Episcopi. Festivitatem... (ut in Breviario die 1 iulii).*

In III. Nocturno :

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.
Lectio VII. (Cap. I.)

Elisabeth impletum est tempus pariendi, et peperit filium. Et audierunt vicini, et cognati eius, quia magnificavit Dominus misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei. Et reliqua.

Homilia Venerabilis Bedae, Presbyteri.
(In Nativit. Sancti Ioannis).

Praecursoris Domini nativitas, sicut sacratissima lectionis evangelicae prodit historia, multa miraculorum sublimitate refulget : quia nimirum decebat ut ille, quo maior inter natos mulierum nemo surrexit, maiore prae ceteris sanctis in ipso mox ortu virtutum iubare claresceret. Senes ac diu infecundi parentes dono nobilissimae prolis exsultant, ipsi patri, quem incredulitas mutum reddiderat, ad salutandum novae praeconem gratiae os et lingua reseratur. Nec solum facultas Deum benedicendi restituitur, sed de eo etiam prophetandi virtus augetur.

Lectio VIII.

Unde merito sancta per orbem Ecclesia, quae tot beatorum martyrum victorias quibus ingressum regni caelestis meruere frequentat, huius tantummodo post Dominum etiam nativitatis diem celebrare consuevit. Quod nullatenus sine evangelica auctoritate in consuetudinem venisse credendum est : sed attentius animo recondendum quia sicut, nato Domino, pastoribus apparens angelus ait : Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus : ita etiam angelus nasciturum Zachariae praedicans Ioannem : Et erit, inquit, gaudium tibi et exsultatio, et multi in nativitate eius gaudebunt. Erit enim magnus coram Domino.

Lectio IX.

Iure igitur utriusque nativitas festa devotione celebratur, sed in illius tamquam in Christi Domini, tamquam in Salvatoris mundi, tamquam in Filii Dei omnipotentis, tamquam in solis iustitiae nativitate, omni populo gaudium evangelizatur. In huius autem tamquam in praecursoris Domini, in servi Dei eximii, in lucernae ardentis et lucentis exortu multi gavisuri memorantur. Hic in spiritu et virtute Eliae praecessit ante illum, ut plebem eius aqua baptizans ad suscipiendum eum, ubi appareret, doceret esse perfectam.

Si aliqua dies infra Octavam Nativitatis S. Ioannis occurrat cum die

infra Octavam Ss. Apostolorum Petri et Pauli, fit Officium de prima cum commemoratione alterius.

In die Octava Nativitatis S. Ioannis Baptistae fit Officium de Dominca, nisi occurrat Festum Domini, aut Duplex I. vel II. Classis cum commemoratione diei Octavae.

Si dies Octava Nativitatis S. Ioannis occurrat cum Festo Ss. Apostolorum Petri et Pauli, de ea nihil fit.

Omnia quae habentur in Breviario diebus 23 et 24 iunii, supprimantur omnino.

Die 25 iunii.

Supprimatur Rubrica quae incipit : In Laud. fit commemoratio.

In ultima Rubrica, quae incipit : Vesp. a Capit., *supprimantur verba :* et Oct. S. Ioannis.

Die 26 iunii.

In I. Vesperis supprimatur Rubrica : Deinde Oct. S. Ioannis, *etc.*

Ad Laudes supprimantur verba : et per horas.

In fine Laudum supprimatur Rubrica : Deinde fit comm., *etc.*

In II. Vesperis supprimatur Rubrica : Deinde fit commem., *etc.*

Omnia quae habentur in Breviario die 27 iunii supprimantur omnino.

Die 28 iunii

Supprimatur Rubrica : Si hoc festum, *etc. et eius loco ponatur sequens :* Si hoc Festum venerit in Dominica, fit de Nativitate S. Ioannis Baptistae cum commemoratione Dominicae, et nihil fit de S. Leone. In Sabbato praecedenti fit de Vigilia Nativitatis S. Ioannis, et nihil fit de Vigilia anticipata Ss. Apostolorum Petri et Pauli, nisi in Missa.

Post Orationem supprimatur Rubrica : Et fit comm., *etc.*

In Laudibus supprimatur Rubrica : In Laud. fit comm., *etc.*

Die 29 iunii.

In I. Vesp. in Rubrica : Et non fit, *etc. supprimantur ultima verba :* nec Octavae S. Ioannis.

In II. Vesp. in Rubrica : Et non fit, *etc. supprimantur ultima verba :* nec Octavae S. Ioannis.

In penultima Rubrica : Deinde fit, *etc., supprimantur verba :* Et non fit comm. Oct. S. Ioannis, neque in Laud.

Ultima Rubrica sic corrigatur : Si Commemoratio S. Pauli alicubi alia die celebretur, totum Officium fit ut in propria Ecclesia.

Die 30 iunii.

Ad Laudes supprimatur Rubrica : Deinde Octavae S. Ioannis.

In II. Vesperis in Rubrica : Vesperae integrae *etc., supprimantur ultima verba :* et Oct. S. Ioannis ut in I. Vesp. Festi.

In principio iulii supprimatur Rubrica : Prima die, *etc.*

In Festo Pretiosissimi Sanguinis supprimatur Rubrica, quae incipit : Si hodie occurrat.

Post festum Pretiosissimi Sanguinis ponatur :

INFRA OCTAVAM SS. PETRI ET PAULI.

Hic inserantur omnia quae habentur in Breviario post festum Visitationis B. M. V.

DIE 1 IULII.

Supprimantur omnino quae nunc habentur in Breviario, et eorum loco ponantur :

TERTIA DIE INFRA OCTAVAM SS. PETRI ET PAULI.

In I. Nocturno : Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno : *Sermo S. Maximi Episcopi. Non sine causa... (ut in antiquis Breviariis die 5 iulii).*

In III. Nocturno : Homilia in Evang. *Ecce nos reliquimus,* de Comm. Apost. 1 loco.

DIE 6 IULII.

In Octava Ss. Petri et Pauli. *Duplex maius.*

DIE 5 AUGUSTI.

Ultima Rubrica sic corrigatur : Vesp. de sequenti cum commem. praecedentis.

DIE 6 AUGUSTI.

IN TRANSFIGURATIONE D. N. I. C. *Duplex II. classis.*

In I. Vesp. supprimatur Rubrica : Deinde Ss. Xysti II. Papae, Felicissimi et Agapiti Mm. etc.

DIE 22 AUGUSTI.

In Octava Assumptionis B. M. V. *Duplex maius.*

Dominica infra Oct. Nativitatis B. M. V. supprimantur omnia quae habentur in Breviario.

DIE 11 SEPTEMBRIS.

In fine huius diei addatur : Vesp. de sequenti Festo, sine comm. Oct. Nativitatis B. M. V.

DIE 12 SEPTEMBRIS.

Supprimantur omnia quae habentur in Breviario, et ponantur sequentia :

SS. NOMINIS B. M. V. *Duplex maius.*

Omnia ut in Festis B. M. V. per annum, praeter sequentia :

Hic inserantur omnia quae in Breviario habentur Dominica infra Octava Nativ., suppressa tamen in I. Vesp. Rubrica : Et fit Comm. Dom. occurrentis.

In fine VI. Lectionis supprimantur verba : Dominica infra Octavam Nativitatis Beatae Virginis Mariae.

Post VIII. Lectionem addatur :

Lectio IX.

Beata quae *(ut in Decreto S. R. C. 10 novembris 1909).*
Supprimantur duae ultimae Rubricae ; et eorum loco ponatur sequens : In II. Vesp. non fit comm. seq. diei infra Oct.

Die 1 novembris.

Supprimantur duae ultimae Rubricae : Dicto, etc., *et :* Si prima dies, *etc.*

Die 2 novembris.

Supprimantur omnia quae habentur in Breviario, et eorum loco ponantur quae hac die habentur in Appendice novi Psalterii.

Die 8 novembris.

In Octava omnium Sanctorum. *Duplex maius.*

Ultima Rubrica sic corrigatur : Vesp. de seq. cum Comm. praec.

Die 9 novembris.

In Dedicatione Archibasilicae SSmi Salvatoris. *Duplex II. classis. In Vesp. supprimatur Rubrica :* Deindé S. Theodori Mart.

In communi sanctorum et sequentibus Breviarii partibus.

In Communi Sanctorum et sequentibus partibus Breviarii.

In Communi unius Martyris, *in III. Nocturno, in Lectione VIII. circa medium, loco verbi* Delectat, *substituatur :* Delectet.

In Communi unius Martyris, *posita quarto loco Homilia in Evang.* Nihil est opertum, *ponatur tertio loco Homilia in Evang.* Nolite arbitrari, *quae incipit :* Quae ista divisio est ? *ut in Octavario Romano.*

In Octava Dedicationis Ecclesiae. *Duplex maius.*

In Officio B. Mariae V. in Sabbato, in Vesperis, expungatur Rubrica : Post Orationem fiunt, *etc. et ponatur sequens :*
Post Orationem fit Suffragium, ut sequitur :

De omnibus Sanctis.

Ant. *Sancti omnes intercedant pro nobis ad Dominum.*
℣. *Mirificavit Dominus Sanctos suos.*
℟. *Et exaudivit eos clamantes ad se.*

Oremus. Oratio.

A cunctis nos, quaesumus, Domine, mentis et corporis defende periculis : et intercedente beato Ioseph, cum beatis Apostolis tuis, etc.

Tempore autem Paschali, loco praecedentis Suffragii, fit commemoratio de Cruce, ut in Ordinario.

Si autem occurrat Festum simplex, de eo fit comm. ante ipsum Suffragium.

Ad Laudes, suppressis verbis Ad Laudes et per Horas : Omnia ut in Festis B. M. V. praeter sequentia, *eorum loco ponatur :* Ad Laudes Antiphonae cum Psalmis de Sabbato, ut in Psalterio : Capitulum et Hymnus, ut in Festis B. M. V. per annum.

In fine Laudum, suppressa Rubrica : Deinde fiunt, *ponatur :* Deinde fit Suffragium, ut supra ad Vesperas.

Post Rubricam pro Tempore Paschali, *supprimantur verba* Non fiunt commemorationes, *etc.*

Deinde supprimitur Titulus Ad Vesperas, *cum duabus subsequentibus Rubricis.*

In Officio parvo B. M. V. *omittatur prima Rubrica. — Ad Laudes post primam Antiphonam dicatur :* Ps. *Dominus regnavit,* cum reliquis de Dominica.

In officio defunctorum, *omittatur prima Rubrica. Ad Laudes tertius Psalmus* Deus Deus meus, *psalmo* Deus misereatur *omisso. Quintus Psalmus* Laudate Dominum in Sanctis eius, etc., *aliis duobus omissis.*

In Psalmis Gradualibus, *supprimatur prima Rubrica.*

In Septem Psalmis Paenitentialibus, *supprimantur duae primae Rubricae.*

Officia Votiva per annum *supprimantur omnino.*

IN MISSALI.

Novae Missalis dispositiones.

In Principio Missalis.

In principio.

Post Bullas Pii V, Clementis VIII et Urbani VIII inseratur Bulla Divino afflatu *SS^mi D. N. Pii Papae X.*

Kalendarium Missalis.

In Kalendar.

Idem sit ac Kalendarium Breviarii, additis in singulis Festis ritus duplicis II. classis, quotiens occurrit comm. simplicis, verbis : in missis privatis tantum.

Post Rubricas Generales inserantur Tit. X, XII, et XIII. Novarum Rubricarum.

In proprio de Tempore Missalis.

In proprio de Tempore.

In Festo Ss. Innocentium.

Post Missam ponatur sequens Rubrica :

Si Festum Nativitatis Domini, S. Stephani, S. Ioannis Evang. et Ss. Innocentium venerit in Dominica, ipsa die nihil fit de Dominica, sed die proxima post Festum S. Thomae Mart. dicitur Missa de Dominica ut infra.

Si Festum S. Thomae venerit in Dominica, Missa dicitur de Dominica cum commemoratione S. Thomae et quattuor Octavarum. Similiter si Festum S. Silvestri in Dominica occurrerit, Missa dicitur de Dominica cum commemoratione S. Silvestri et quattuor Octavarum. Die vero 30 decembris, si occurrerit in Feria II. vel in Sabbato, dicitur Missa de die infra Octavam Nativitatis, ut infra, cum commemoratione aliarum Octavarum.

Dominica infra Octavam Nativitatis.

Ut in Missali, additis commemorationibus de Nativitate, S. Stephano S. Ioanne et Ss. Innocentibus.

Die 29 decembris.

Sancti Thomae, Episc. Mart.

Ut in Missali, demptis commemorationibus, et addita Rubrica : Et fit comm. de Nativitate, de S. Stephano, de S. Ioanne et de Ss. Innocentibus, ut in Missa praecedenti.

In fine Missae deleantur Rubricae, quae nunc habentur in Missali.

Die 30 decembris.

Ut in Missali, dempta Rubrica Si Festum S. Silvestri, *etc.*

In commemoratione Sollemni Sanctissimi Corporis D. N. I. C.

In fine Missae prima Rubrica sic corrigatur : Infra Octavam dicitur haec eadem Missa, et non fit de aliquo Festo, nisi fuerit duplex I. classis occurrens, et tunc cum commemoratione Octavae. In die Octava non fit nisi de Festo Ss. Apostol. Petri et Pauli, si occurrat, cum comm. Octavae.

In proprio Sanctorum.

In proprio Sanctorum Missalis.

Die 19 martii.

In Commemoratione sollemni S. Ioseph, Sponsi B. M. V., Confessoris.

In fine mensis Aprilis :

Dominica III. post Pascha.

In Sollemnitate S. Ioseph, Sponsi B. M. V. et Ecclesiae Universalis Patroni, Confessoris.

Ante Evangelium addantur sequentia :

In Missis Votivis post Pentecosten : Ps. 20. *Domine praevenisti*, etc. *(ut habetur in fine Missae).*

In Missis Votivis post Septuagesimam, Graduale dicitur ut supra post Pentecosten, omissis Alleluia et ℣. seq. et dicitur Tractus. Ps. 3, *Beatus vir, qui timet Dominum : in mandatis eius cupit nimis.*

℣. *Potens in terra erit semen eius : generatio rectorum benedicetur.*

℣. *Gloria et divitiae in domo eius : et iustitia eius manet in saeculum saeculi.*

Supprimatur ultima Rubrica: Si Festum, *etc. usque ad finem, et ponatur sequens :*

Infra Octavam dicitur Missa ut in Festo : post Orationem diei dicitur secunda Oratio *Concede nos,* tertia *Ecclesiae* vel *Deus omnium fidelium.*

In die Octava dicitur Missa de Dominica IV. post Pascha, nisi occurrat Festum Domini, aut Duplex I. aut II. classis, cum commemoratione Octavae, ut in Festo.

Post diem 21 iunii sequentia inserantur :

SABBATO ANTE DOM. IV. IUNII.

Hic inseratur Missa quae habetur die 23 iunii, et in fine addatur haec Rubrica :

Si haec Vigilia occurrat eadem die cum Vigilia anticipata Ss. Apostolorum Petri et Pauli, dicitur Missa ut supra cum secunda oratione ex Missa Vigiliae Ss. Apostolorum et tertia de S. Maria ; et in fine Missae dicitur Evang. S. Ioannis : *In principio.*

DOMINICA IV. IUNII.

IN NATIVITATE S. IOANNIS BAPTISTAE.

Hic ponatur Missa, quae habetur die 24 iunii.

Post Orationem, et post Secretam addatur : Et fit commemoratio Dominicae occurrentis.

Post Evangelium addatur : Dicitur Credo ratione Dominicae.

Post Postcommunionem addatur : Et fit commemoratio Dominicae occurrentis et legitur eius Evangelium in fine Missae.

Suppressa ultima Rubrica, addatur : Infra Octavam dicitur Missa ut in Festo cum secunda Oratione *Concede,* tertia *Ecclesiae* vel pro Papa ; et non dicitur Credo, nisi in Ecclesia propria, vel nisi venerit infra Oct. Ss. Apostolorum Petri et Pauli.

Si dies Octava venerit in Festo Ss. Apostolorum Petri et Pauli, nihil fit de Octava. Si autem occurrerit die 30 iunii, Missa dicitur de Dominica, cum commemoratione diei Octavae ; deinde fit commemoratio tum S. Pauli Ap. tum S. Petri Ap. Si vero occurrerit Dominica I. iulii, Missa dicitur de Pretiosissimo Sanguine D. N. I. C. vel de Visitatione B. M. V., iuxta Rubricas, cum com. Dom. et Octavae S. Ioannis.

Omnia quae habentur in Missali diebus 23 et 24 iunii supprimantur omnino.

DIE 25 IUNII.

Supprimatur Rubrica: et fit com. Oct. *etc.*

DIE 26 IUNII.

Supprimantur Rubricae respicientes com. Oct. S. Ioannis.

Ante Diem 28 iunii, sic corrigenda Rubrica :

Si sequens Festum S. Leonis venerit in Dominica, Missa dicitur de Festo Nativitatis S. Ioannis Baptistae cum comm. Dominicae, et nihil fit de S. Leone. In Sabbato praecedenti fit de Vigilia Nativitatis S. Ioannis cum

comm. Vigiliae Ss. Apostolorum Petri et Pauli, et tertia oratione de S. Maria, et in fine legitur Evang. S. Ioannis *In principio.*

Die 28 iunii.

Supprimantur Rubricae respicientes com. Octavae S. Ioannis.

In fine Missae Vigiliae Apostolorum addatur haec Rubrica :
Si haec Vigilia in Sabbato anticipanda sit, ideoque occurrat eodem die cum Vigilia Nativitatis S. Ioannis Baptistae ; de hac secunda dicitur Missa, cum comm. Vigiliae Ss. Apostol. et tertia Oratione de S. Maria et Evang. S. Ioannis in fine.

Die 30 iunii.

Supprimantur Rubricae respicientes Oct. S. Ioannis Baptistae.

Supprimantur omnia quae nunc habentur in Missali die 1 iulii, et ponantur sequentia :

Die I. III. et IV. iulii.

Infra Octavam Ss. Apostolorum Petri et Pauli.

Hic ponatur Missa, quae habetur die 3 iulii.

Die 3 iulii, supprimatur Missa quae nunc habetur in Missali.

Die 6 augusti.

Post Orationem, sic corrigatur Rubrica : In Missis privatis tantum fit com. Ss. Mm. Xysti, Felicissimi et Agapiti.

Dominica infra Octav. Nativitatis B. M. V. supprimantur omnia quae habentur in Missali.

Die 12 septembris.

In Festo Sanctissimi Nominis B. M. V.

Hic ponatur Missa quae habetur Dom. infra Oct. Nativitatis, demptis Rubricis respicientibus commemorationem Dominicae.

Die 2 novembris.

Retenta prima Rubrica, loco secundae et tertiae ponatur sequens : Si autem hac die 2 novembris occurrat Duplex I. classis aut Dominica, Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum in diem immediate sequentem, similiter non impeditam, transfertur, seu reponitur.

Die 9 novembris.

Rubrica respiciens com. S. Theodori sic corrigatur : Pro com. S. Theodori, Mart. in Missis privatis tantum.

Missae Votivae per annum *supprimantur omnino.*

Quae omnia SSmo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Secretarium relata, Sanctitas Sua dignata est rata habere et approbare, simul iniungens, ut in Missalibus et Breviariis iam editis, quae venalia apud typographos prostant, adiciatur fasciculus Rubricas adaptatas ut supra continens.

Approbatio SSmi et praeceptum de iam editis Missalibus et Breviariis.

Die 23 ianuarii, 1912.

Dies (23 ian. 1912.)

Fr. S. Card. Martinelli, *Praef.*
† *Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secretarius.*

N. B. *Cfr. annotationes infra, post n.* **554**.

---

554. — S. RITUUM CONGREGATIONIS

ACTA 26 IAN.; 9 ET 24 FEBR. 1912

De novii Breviarii et Missalis legibus

(A. A. S. 15 febr. 1912, 4, 105-107; et 29 febr. 4, 145)

A. *Decretum 26 ian. 1912 de simplicibus antiphonas proprias habentibus.*

Dubia *de antiphonis et psalmis.*

Insequentia dubia, quod ad Antiphonas et Psalmos ad Laudes, iuxta novas Rubricas, in quibusdam Festis ritus simplicis et in Officio S. Mariae in Sabbato recitandos, Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione proposita fuere; nimirum:

1. In festis simplicibus quae proprias antiphonas habent;

I. An in Festis simplicibus quae habeant ad Laudes Antiphonas proprias, ex alio Festo desumptas, ut in Festo S. Agnetis secundo, ad Laudes dicendi adhuc sint Psalmi de Dominica cum Antiphonis Festi simplicis; vel potius Antiphonae et Psalmi de Laudibus Feriae occurentis, et a Capitulo et deinceps de Festo simplici?

2. In Officio S. Mariae in sabbato.

II. An in Officio S. Mariae in Sabbato ad Laudes dicendae sint Antiphonae et Psalmi de Sabbato occurrente, et a Capitulo et deinceps de S. Maria?

Responsa.

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, reque accurate perpensa, ad utrumque dubium respondendum censuit:

Ad 1 et 2.

Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Atque ita rescripsit, die 26 ianuarii, 1912.

Dies (26 ian. 1912.)

Fr. S. Card. Martinelli, *Praefectus.*
† *Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., Secretarius.*

B. *Decretum 9 febr. 1912 de quibusdam festis diebus dominicis hucusque affixis.*

Dies assignatur fixa.

Cum ex novis Rubricis Festa diebus Dominicis affixa, nisi sint Festa Domini aut Duplicia primae vel secundae classis, amplius in ipsis celebrari nequeant; Sacra Rituum Congregatio, attentis etiam Praescriptionibus Temporariis memoratis Rubricis adiectis, insequentes declarationes evulgare censuit:

Festo Omnium Summorum Pontificum.

1. Festum Commemorationis Omnium Ss. S. R. E. Summorum Pontificum in locis quibus idem Festum, sub ritu duplici minori vel maiori, pro Dominica prima libera post Octavam Ss. Apostolorum Petri et Pauli iam concessum est, adhuc celebrari licet, die prima mensis iulii fixe assignata.

2. Festo SS. Reliquiarum.

2. Item Festum Commemorationis Ss. Reliquiarum in locis quibus idem Festum pro aliqua Dominica, sub ritu duplici minori vel maiori, iam indultum est, in posterum celebrari adhuc potest, die quinta mensis novembris fixe adsignata.

3. Festum universale pristinam diem extra dominicam recuperat.

3. Si aliquod Festum Ecclesiae Universalis, sive Beatae Mariae Virginis, sive Sanctorum, sub ritu duplici minori vel maiori, alicubi die Dominica concessum fuerit celebrari, amodo in die sua omnino reponendum est.

Dies (9 febr. 1912)

Atque ita rescripsit die 9 februarii 1912.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secretarius.*

C. **Plurium dioecesum.** *Responsa 9 feb. 1912, De variis dubiis.*

Dubia.

A nonnullis R^mis locorum Ordinariis insequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi, pro opportuna solutione, proposita fuerunt; nimirum:

De suffragio et Precibus, etc. ob occurrens festum perpetuo simplificatum.

I. Festa Beatae Mariae Virginis aut Sanctorum, Dominicis affixa, et a locorum Ordinariis in perpetuum simplificata, impediuntne recitationem Suffragii ad Laudes et Vesperas, Precum ad Primam et Completorium, Symboli Athanasiani ad Primam et tertiae Orationis in Missa?

De conclusione hymnorum et versu ad Primam.

II. Quando in Dominica occurrit Festum Beatae Mariae Virginis perpetuo a locorum Ordinariis simplificatum, conclusiones Hymnorum et Versus Responsorii brevis ad Primam eruntne de ipsa Beata Virgine, ad normam Decreti in una *Romana et aliarum*, diei 30 Decembris 1911 ad I^um?

De Praefatione.

III. Si Festum duplex secundae classis in Dominicam incidat, et commemorandum sit Festum aliquod simplificatum, quod per se habeat Praefationem propriam in Missa, vel occurrat infra Octavam aliquam similiter Praefationem propriam habentem, legendane est Praefatio de Trinitate, vel potius Praefatio propria Festi simplificati, aut Octavae?

De Vesperis Epiphaniae.

IV. Cum ex novis Rubricis Primae Vesperae de Dominica infra Octavam Epiphaniae, nisi Epiphania ipsa venerit in Sabbato, integrae amodo de ipsa Dominica dicendae sint, ultimus harum Vesperarum Psalmus eritne *Laudate Dominum*, ut in primis Vesperis, vel potius *In exitu Israël*, ut in secundis Vesperis?

Responsa.

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, reque accurato examine perpensa, rescribendum censuit:

Ad 1. Ad I. Affirmative in omnibus.

Ad 2. Ad II. Affirmative.

Ad 3. Ad III. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad 4. Ad IV. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Dies (9 febr. 1912.) Atque ita rescripsit, die 9 februarii 1912.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., Secretarius.*

D. *Decretum 24 febr. 1912, Interpretationis rubricarum ad normam Bullae « Divino Afflatu ».*

Decreti occasio.

Evulgato novo Psalterio, novisque Tabellis Occurrentiae et Concurrentiae Festorum, non una in praxi fuit interpretatio Rubricarum quas, ad normam Bullae « *Divino afflatu* », Commissio Pontificia ad id instituta confecit, ut videre est in diversis Calendariis pro currenti anno 1912 noviter redactis.

Decreta

Ad dubia ergo in posterum praecavenda, Sacra Rituum Congregatio ad petitionem eiusdem Commissionis Pontificiae, referente infrascripto Secretario, statuit et decrevit :

De Suffragio Sanctorum.

I. Rubrica de Suffragio Sanctorum, quae in Ordinario Divini Officii ad Laudes et Vesperas habetur, interpretari debet iuxta Tit. VII, n. 4 novarum Rubricarum, et ad ambiguitatem tollendam, praefata Rubrica in posterum sic edatur :

« Deinde, extra tempus Paschale..... et exclusis diebus, in quibus « occurrat quodcumque Officium duplex aut infra Octavam, aut Domi- « nica in qua commemoretur Duplex simplificatum, fit sequens Suffra- « gium. »

De translatione Duplicium I. et II. cl.

II. Duplicia I. et II. classis sua die impedita, iuxta Tit. III novarum Rubricarum n. 3, transferri debent in proximiorem diem liberam ab alio Duplici I. vel II. classis et ab Officiis huiusmodi festa excludentibus ; transferri tamen non possunt in Dominicam etiam minorem, iuxta n. 2 eiusdem Tituli.

De iis quae certis Dominicis vel feriis affixa perpetuo impediuntur.

III. Duplicia I. et II. classis certis Dominicis vel Feriis affixa, si perpetuo impediantur, iuxta novas Rubricas Tit. IV, n. 2, reponenda sunt in feriam proxime insequentem per singulos annos liberam ab alio Duplici I. vel II. classis aut ab aliqua die Octava, vel ab officiis huiusmodi festa excludentibus, non vero, ut censent nonnulli Liturgistae, in primam diem ut supra liberam, post ambitum dierum infra quos incidere possunt.

De vesperis ubi festum Dominicae subrogatur.

IV. Licet iuxta novam Concurrentiae Tabellam, in concursu Duplicis maioris cum alio Duplici maiori, totum fieri debeat de Nobiliori cum commemoratione de alio, ideoque Festum Domini duplex maius secundarium cedere debeat Festis eiusdem ritus B. Mariae Virginis aut Sanctorum Primariis ; nihilominus, quando Festum Domini duplex maius secundarium in Dominica die occurrens concurrit cum festo Duplici maiori primario B. Mariae vel Angelorum vel Sanctorum, Vesperae erunt de praefato Festo Domini, quia in casu Officium Festi Domini subrogatur Officio Dominicae.

Die 24 februarii 1912.

Fr. S. Card. Martinelli, *S. R. C. Praefectus.*
† *Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., Secretarius.*

Annotationes

Ordine dicemus :

A. *De iis quae reformata sunt in officio divino.*

B. *De iis quae reformata sunt in missa.*

C. *De iis quae reformata sunt in dispositione breviarii.*

D. *De dispositionibus temporalibus.*

E. *Et praticam quandam informationem de breviarii recitatione summatim proponemus.*

A. De iis quae reformata sunt in officio divino

I. Principalem reformationis partem nova psalterii dispositio efficit. Porro eius summa his proponi potest :

1° Quam maxima introducta est immutatio in matutinum. Loco enim 18 psalmorum qui hucusque dominicis diebus assignabantur, vel 12 qui in matutino feriali habebantur, singulis diebus ascribuntur 9. Illi in psalterio quidem inveniuntur in tres nocturnos divisi ; sed in posterum eodem numero adhibendi erunt etiam in officiis ritus simplicis in quibus, omissis versibus post primum et secundum nocturnum indicatis, sine interruptione dicuntur cum antiphonis suis, addito in fine versu post tertium nocturnum indicato.

2° Hucusque in laudibus ex una parte ps. 62 et 66, et ex altera ps. 148, 149 et 150 sub uno *Gloria Patri* coniuncti, singulis diebus recurrebant; in posterum vero haec coniunctio psalmorum iam non fiet, et, singulis diebus, omnes laudum psalmi variabunt. Ut autem caracterem suum proprium, unde et ipsum nomen excepit, haec hora servaret, ultimus psalmus cotidie incipit verbo *Lauda*, vel *Laudate*.

In antiquo psalterio laudes feriales indolem prae se ferebant paenitentialem, semper incipientes a psalmo *Miserere*, qui tamen psalmus officio festivo minus convenire videtur. Proin, pro singulis diebus, confectum est duplex schema laudum, uti antiquitus iam fiebat pro laudibus dominicalibus, prius recitandum in officio festivo, necnon in officio de dominica vel feria quae non habeat indolem paenitentialem, alterum incipiens a psalmo *Miserere*, reservatum officiis dominicalibus vel ferialibus quae maiorem indolem paenitentialem prae se ferunt, scilicet dominicis a Septuagesima ad dominicam Palmarum et feriis adventus, feriis a Septuagesima ad Pascha, necnon feriis Quattuor Temporum et vigiliis.

3° Ad parvas horas et ad Completorium, in quibus hucusque semper iidem psalmi recurrebant, singulis diebus indicantur nunc diversi, et quidem in Prima et in Completorio numero tres. Attamen, si in laudibus adhibitum est schema secundum, ne hac hebdomada praetermittatur psalmus ille in cuius locum ad laudes surrogatus est ps. *Miserere*, ille psalmus, ad laudes omissus, ad primam additur.

4° In vesperis, multo magis quam in aliis horis, idem quod ante, mansit officium. Quinque, singulis diebus, ascribuntur psalmi fere iidem atque ante reformationem ; quidam tamen

in partes fuerunt divisi et alii aliis horis ascripti, ita ut iam simpliciter dici non possit psalmos 109-147 vesperis esse reservatos.

5° Ut officia omnia eiusdem fere essent longitudinis, psalmi longiores in varias partes sunt divisi, sicut, in parvis horis iam fiebat pro psalmo 118.

II. Porro ratio cur haec nova psalterii dispositio introducta fuerit, haec est ut, absque maiori onere clericis imposito, et quin necesse sit festa sanctorum supprimere, possibile fiat maiorem varietatem in usum psalmorum inducere. Etenim, ob multiplicatum numerum festorum ritus duplicis, plerique psalmi fere extra usum positi erant ; nam in his officiis impossibile erat adhibere psalmos matutini ferialis ob diversitatem numeri psalmorum in utroque officio adhibitorum, et psalmi laudum ferialium officio festivo propter suam indolem paenitentialem convenire non videbantur ; unde fere semper recurrendum erat ad varia Communia, in quibus non nisi pauci psalmi leguntur.

Postquam vero in omni officio matutino idem numerus psalmorum est assignatus, et pro laudibus ferialibus confectum est schema quod indolem hanc paenitentialem iam prae se non fert, possibile fuit etiam in officio festivo psalmos non iam ex Communi sanctorum, sed ex officio feriali mutuari. Sed quia cum psalmis intime cohaerent antiphonae, illae quoque una cum psalmis ad omnes horas ex officio feriali erunt desumendae, immo, ad matutinum, etiam versus in fine nocturni positus. Et cum in nova psalterii dispositione, aeque atque in antiqua, omnes 150 psalmi habeantur, sic fit ut in singulis hebdomadis, non theoretice tantum, ut antea, sed re vera fere totum psalterium recitetur ; fere dicimus, quia, uti statim videbimus, nonnulla officia ab hoc ordine sunt excepta.

Sed illud quoque cautum est in novo modo ordinandi divinum officium, ut, quantum fieri potest, lectiones de Scriptura occurrente quam rarissime omittantur ; deinceps igitur regulariter illae lectiones dicentur, etiam si in breviario indicentur legendae de Communi, in omnibus officiis, iis tantum exceptis de quibus infra b) et c).

Ne autem officia illa caracterem suum festivum amittant, reliqua omnia, puta in matutino invitatorium cum hymno, lectiones secundi et tertii nocturni, necnon responsoria trium nocturnorum [1], ad reliquas vero horas, omnia a capitulo erunt

[1] Mirum, primo aspectu, videri potest una cum lectionibus de Scriptura occurrente sumenda non esse in 1 nocturno responsoria feriae ut in plurimorum votis erat, quodque magis principiis fuisset consentaneum, cum responsoria cum recitatis lectionibus cohaerere debeant. Nihilominus tamen, testante cl. PIACENZA (*In Constitutionem « Divino afflatu » Commentarium*, p. 40), istud ex necessitate statutum est in novis rubricis ; nam in usu practico breviarii, usquedum non reformetur hac quoque in re, nonnulla incommoda (ex alia dispositione) obvenirent.

de ipso festo et sumenda e proprio vel de communi. Ita in officio festivo duplicem partem distinguere erit, alteram desumptam ex officio feriali, alteram ex officio festivo.

Ne tamen a praestantioribus quibusdam festis quicquam de sua sollemnitate detrahatur, aut ne quid de partibus vere propriis pereat, nonnulla officia a novo modo recitationis excipiuntur, sive totaliter, sive partialiter.

1. *Totaliter* eximuntur :

a) *Propter praestantiam ritus*, duplicia omnia 1 et 2 classis.

b) *Propter dignitatem personalem*, officia omnia Domini, beatae Mariae Virginis, Angelorum, s. Ioannis Baptistae, s. Ioseph, ss. Apostolorum. Officiis Domini annumeranda est vigilia Nativitatis Domini, ad laudes et per horas, necnon vigilia Epiphaniae.

c) *Propter coniunctionem cum praecedentibus*, officium totum de octava, sive fiat de die octava, sive de die infra octavam ; non tamen si infra octavam fit de aliquo festo aut de dominica. Attamen officio de octava aequiperatur officium de dominica infra octavas Nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis, et Corporis Domini ; item, hac in re, habentur ut dies infra octavam feria VI post octavam Ascensionis et vigilia Pentecostes.

His diebus omnibus, totum officium recitatur uti ante reformationem, non exceptis lectionibus 1 nocturni (quae plerumque erunt vel propriae vel de communi, et infra solas octavas de Script. occurr.), sed ad laudes, horas [1] et completorium psalmi dicuntur de dominica ut in novo psalterio. In triduo tamen sacro, ad laudes adhibentur psalmi de feria currente ut in secundo schemate, nisi quod sabbato sancto servatur canticum *Ego dixi : in dimidio dierum meorum,* quod prostat in secundo schemate laudum feriae III.

2. *Partialiter* eximuntur *propter proprietatem*, officia ritus duplicis vel semiduplicis in quibus in aliqua hora maiori occurrit aliquid proprii, scilicet :

a) Officia quae *antiphonas proprias* ad matutinum habent [2], illas retinent cum psalmis propriis vel de communi.

b) Officia quae in 1 nocturno habent *lectiones proprias* (non vero de Communi) illas retinent [3].

c) Officia quae in 1 nocturno habent *responsoria propria* [4]

---

[1] Ad primam tamen, loco ps. 117 *Confitemini Domino,* dicitur, ut ante reformationem, ps. 53 *Deus, in nomine tuo salvum me fac.*

[2] Scilicet in kalendario universalis ecclesiae officia s. Agnetis (21 ian.), s. Agathae (5 febr.), s. Elisabeth (8 iul.), s. Martini (11 nov.) et s. Caeciliae (22 nov.)

[3] S. Leonis (11 apr.), s. Magdalenae (22 iul.), inventionis s. Stephani (3 aug.), impressionis Stigmatum s. Francisci (17 sept.) et s. Ioannis a Cupertino (18 sept.).

[4] S. Luciae (13 dec.), s. Agnetis (21 ian.), s. Agathae (5 febr.), ss. Ioannis et Pauli (26 iun.), s. Elisabeth (8 iul.), s. Magdalenae (22 iul.), inventionis s. Stephani (3 aug.), s. Martini (11 nov.), s. Caeciliae (22 nov.) et s. Clementis (23 nov.).

numquam retinent lectiones de Scriptura occurrente, sed si desunt lectiones 1 nocturni propriae, habent illas de Communi.

d) Officia quae *antiphonas proprias* habent ad psalmos laudum et vesperarum [1], illas conservant, ad laudes quidem cum psalmis de dominica ut in novo psalterio, ad vesperas vero cum psalmis propriis vel de Communi. Psalmi tamen horarum cum antiphona dicentur de feria currente. Cfr. statim infra.

Notandum est in omnibus his casibus exceptionem esse solummodo *partialem*, ac proinde illa officia a novo modo tantum eximi in iis partibus in quibus aliquid proprii occurrat ; ut si, v. g. officium aliquod habeat tantum antiphonas proprias ad matutinum, soli psalmi ad matutinum ex Communi sint desumendi, dum cetera omnia, etiam lectiones 1 nocturni, dicenda sunt secundum novas regulas ; item, si officium aliquod habeat tantum lectiones 1 nocturni proprias, solae lectiones 1 nocturni a novis regulis eximantur, reliqua autem, etiam psalmi nocturnorum dicenda sint iuxta novam methodum ; immo, si festum antiphonas proprias habeat ad psalmos laudum et vesperarum, illae antiphonae cum suis psalmis in solis laudibus et vesperis dicantur : in parvis horis dici debent psalmi cum antiphonis de feria.

III. Aliud quoque in praesenti reformatione est cautum, ut scilicet non tam facile quam in antecessu eliminari possit officium de tempore, praecipue vero officium dominicale.

1. Quod ad *officium dominicale :* mutatae sunt regulae tam in concurrentia, quam in occurrentia servandae.

a) In *concurrentia* tam in 1 vesperis, quas dominica in posterum integras habebit et non a capitulo tantum, quam in 2, dominicae maiores non iam cedunt nisi duplicibus 1 vel 2 classis ; dominicae vero minores vesperas integras habent nisi concurrant sive cum duplici 1 vel 2 classis, sive cum festo aliquo Domini, aut cum die octava festi Domini.

b) In *occurrentia*, quod ad dominicas maiores quidem nihil est immutatum, sed dominicae minores integrum officium habebunt, nisi occurrant cum festo duplici 1 vel 2 classis, cum aliquo festo Domini, aut cum octava festi Domini.

c) Si in dominica minori officium peragendum est alicuius festi Domini, illud in concurrentia privilegium obtinet ipsius dominicae in cuius locum subrogatur, ita ut tam in 1 quam in 2 vesperis praevaleat officio quod non sit 1 vel 2 classis,

---

[1] S. Luciae (13 dec.), s. Agnetis (21 ian.), s. Agathae (5 febr.), ss. Ioannis et Pauli (26 iun.), s. Elisabeth (8 iul.), inventionis s. Stephani (3 aug.), s. Martini (11 nov.), s. Caeciliae (22 nov.) et s. Clementis (23 nov.). Non sufficit ut habeatur antiphona propria ad *Benedictus* vel ad *Magnificat*.

etiam si ipsum officium Domini, in dominica celebratum, sit tantum secundarium, cum officium concurrens sit primarium.

d) Si propter concurrens festum praevalens, dominica vesperas integras non habet, certe tamen in utrisque vesperis servat commemorationem etiam, si in 2 vesperis concurrat cum duplici 1 vel 2 classis.

e) Si a nobiliori occurrenti festo officium dominicae impeditur, semper habet commemorationem in utrisque vesperis, laudibus et missa ; in matutino legitur 9 lectio de homilia dominicae et in missa ultimum eius evangelium.

f) Officium dominicae, si impeditum fuerit, commemorationem suam semper 1° loco obtinet, post commemorationes illas quae ab ipso officio seiungi non possunt, ut v. g. s. Pauli in festis s. Petri, et post commemorationem officii in vesperis reapse concurrentis, i. e. cuius die praecedenti vel sequenti fit officium.

g) In ipso officio dominicae numquam legitur 9 lectio historica de festo simplici vel simplificato de quo fit commemoratio [1].

h) Dominicis maioribus nullum festum, ne duplex 1 classis perpetuo assignari potest, dominicis vero minoribus duplicia 1 et 2 classis tantum et festa Domini. Alia vero officia his dominicis assignata, usque dum nova correctio breviarii, a Sanctissimo Domino decreta, vulgetur, vel in ipsa dominica simplificentur, vel potius omittantur ; ut autem in aliam diem transferri possint, indultum S. R. C. requiritur. Festum tamen ss. Nominis Mariae, hucusque dominicae infra octavam Nativitatis eiusdem assignatum, perpetuo assignatur diei 12 septembris ; item pro locis quibus erant concessa, festum omnium Summorum Pontificum assignatur diei 1 iulii et festum Reliquiarum, ubi dominicae erat affixum, diei 5 novembris.

i) Doxologia propria alicuius temporis, item versus proprius ad primam habenda sunt uti *propria ipsius dominicae*, ac proin quotiescumque fit officium dominicae, haec doxologia hicque versus sunt adhibendi a 1 vesperis, etiam si commemoratio facta est alicuius festi doxologiam propriam habentis. Idem dicendum videtur si in dominica officium fit de duplici 2 classis quod doxologiam propriam non habet. Quod si non habetur doxologia propria temporis, quotiens in officio de dominica fit commemoratio alicuius festi doxologiam propriam habentis (etiam si officium sit perpetuo

[1] Haec omissio 9 lectionis historicae valet tantum pro officio dominicali ; nam si festum aliquod duplex maius vel minus, semiduplex aut simplex impeditur non a dominica sed ab alio festo praevalenti, eius 9 lectio dicenda erit secundum pristinas regulas.

simplificatum),illa doxologia adhibetur in officio de dominica, exceptis tamen dominicis adventus. — Doxologiae tamen dominicae cuius officium in dominica mere commemoratur, praefertur in 1is et 2is vesperis, et, consequenter in coniuncto completorio, doxologia festi quod, tamquam concurrens, ante dominicam commemoratur.

2. Quod ad *officium feriale,* huius restauratio obtinetur :

a) Suppressis omnibus officiis votivis.

b) Mutatis regulis de festorum translatione. Cfr. IV.

Hinc etiam continget ut saepius iam officium fieri debeat tum de Simplici, tum de B. M. V. in sabbato. De hac fiet singulis sabbatis extra adventum et quadragesimam in quibus non occurrit festum 9 lectionum, dies infra octavas Paschae et Pentecostes, feria quattuor temporum aut vigilia, vel officium de dominica anticipata. Nihil tamen exinde onus breviarii augebitur, cum officia ritus simplicis, illa praesertim in quibus recitandae non sunt preces feriales, breviora sint quam officia illa votiva quae eorum loco recitabantur ; etenim, dum eosdem numero psalmos utraque habent, in officiis simplicibus tres tantum lectiones, in aliis vero novem legendae sunt.

IV. **De translatione festorum.** — 1. *Perpetuo* impedita festa 1 et 2 classis reponenda sunt, *tamquam in sedem propriam, in primam diem liberam ab alio festo duplici 1 aut 2 classis, vel ab aliqua die octava, vel ab officio huiusmodi festa excludente : inter quae numeranda est 2 novembris.* Impedita pro hac translatione proinde non sunt duplicia maiora et minora, nec semiduplicia, quae tamen et ipsa sic perpetuo impedita, ulterius transferri debent secundum regulas mox dandas.

Pro festis quae dominicis vel feriis affixa sunt, illa prima dies libera est sequens feria *per singulos annos* praedicto modo libera, nullo modo vero illa dies fixa mensis quae prima occurrit post ultimam diem in qua ob mobilitatem suam dominica vel feria cui festum affixum erat occurrere potest. Sic intellegimus verba decreti 24 febr. 1912 : *post ambitum dierum infra quos incidere possent.*

Quod ad translationes aliorum festorum perpetuo impeditorum, nihil est mutatum.

2. In occurrentia *accidentali,* sola festa 1 vel 2 classis in posterum transferri poterunt, et transferri debent in primam diem vacuam alio duplici 1 vel 2 classis, vel alio officio huiusmodi officia excludente. Transferri igitur poterunt in diem octavam non privilegiatam, non tamen in dominicam

etiam minorem [1], nec in diem in qua faciendum est de Commemoratione Omnium Fidelium defunctorum. Reliqua vero festa, etiam duplicia maiora vel festa doctorum, accidentaliter impedita, in posterum nullo modo iam transferri poterunt, sed de illis ipsa die qua occurrunt fiet tantum commemoratio, nisi praevalens festum sit 1 classis, quia tunc festum impeditum non privilegiatum simpliciter omittitur.

Excipiuntur ab hoc modo transferendi festa :

a) *Festum Purificationis*, quod transfertur in diem sequentem, etiam si occurrat festum 2 classis.

b) *Commemoratio sollemnis s. Ioseph*, quae, occurrens in dominica passionis, transfertur in feriam II sequentem, et si occurrat in hebdomada maiori, transfertur in feriam IV post dominicam in albis : utraque assignatio a solo duplici 1 classis occurrente impediri potest.

c) *Festum Annuntiationis*, quod simili modo transfertur vel in feriam II post dominicam passionis, vel in feriam II post dominicam in albis [2].

Reliqua privilegia quod ad translationem festorum, v. g. quod ad festum ss. Nominis Iesu, etc. sunt sublata.

V. **Nonnulla alia** insuper in officio divino sunt mutata :

1. In festis duplicibus 1 classis, iam non admittitur commemoratio diei octavae occurrentis non privilegiatae, nec excipiuntur dies octavae festorum Domini primariorum sicut pro iis exceptio fit in concurrentia ad 1 vesperas.

Si festum 1 classis octava gaudet, eius dies octava ad ritum duplicis maioris evehitur.

2. Quod ad celebrationem Patroni, Titularis, et anniversarii Dedicationis ecclesiae haec sunt mutata :

a) Festum *Transfigurationis*, utpote Titulare archibasilicae Salvatoris, quae omnium ecclesiarum urbis et orbis mater et caput est, et anniversarium *Dedicationis* eiusdem (9 nov.) elevantur ad ritum duplicis 2 classis pro tota ecclesia latina, etiam pro his qui peculiarem ritum sequuntur.

b) Festum *Patroni loci* celebrandum est sub ritu duplicis 1 classis cum octava ab omni clero qui dioecesano kalendario utatur, a clero vero regulari proprium kalendarium habente pariter sub ritu 1 classis sed absque octava, et hoc etiam si praedictum festum numquam feriatum fuerit. — Et idem iam dicendum est non solum de Titulari ecclesiae cathedralis, qui antiquitus iam hoc ritu celebrabatur, sed etiam de Patrono

---

[1] Haec exceptio, quae ceterum in antiquis regulis iam occurrebat et novis principiis prorsus congruit, tamen in Tit. III n° 3 novarum rubricarum explicite non legitur ; sed ex decreto 24 febr. 1912 illa exceptio deducenda est ex eodem Tit. n° 2, ubi dicitur in dominicis semper fieri de ea, nisi *occurrat* duplex 1 vel 2 classis, etc.

[2] In antiqua tamen provincia mechliniensi, in feriam III post dominicam in albis.

dioeceseos, qui, attenta lege, in sola civitate episcopali et in locis quae peculiarem Patronum non habebant antea colebatur, nunc vero in tota dioecesi ab utroque clero erit recolendus, — et de anniversario Dedicationis ecclesiae cathedralis, de quo antea a clero saeculari fiebat extra civitatem episcopalem absque octava, et a clero regulari in sola civitate episcopali et tantum sub ritu duplicis 2 classis.

3. *In commemoratione omnium Fidelium defunctorum,* — quae nova *Martyrologii* nuntiatione donatur, — omissa octava Omnium Sanctorum, fit tantum officium pro defunctis sequenti modo :

Pridie, post vesperas diei, dicto *Benedicamus Domino*, *Deo gratias*, recitantur vesperae defunctorum ; et, omisso completorio de festo, dicitur Completorium pro defunctis, item sequenti die matutinum, laudes et horae usque ad nonam inclusive, dicuntur de defunctis ut in novo officio defunctorum in appendice novi psalterii [1].

In hoc officio, lectiones ad matutinum sunt novae, in laudibus tres psalmi (66, 148, 149) supprimuntur; ceterum vesperae, matutinum et laudes fere concordant cum pristino officio defunctorum ; ad parvas horas et completorium, omissis hymno, antiphona, et capitulo, dicuntur psalmi de feria currente; ad primam dicuntur tantum tres psalmi. Finita nona, terminatur officium defunctorum.

Animadvertendum insuper est praedictum officium dici tantum in Commemoratione Omnium Fidelium defunctorum; in reliquis vero circumstantiis in quibus dicendum est officium defunctorum, v. g. in exsequiis, servatur pristinum officium uti iacet in breviario ; in laudibus tamen tertio loco dicitur tantum ps. 62 *Deus*, *Deus meus ad te de luce vigilo,* omisso scilicet ps. 66 *Deus misereatur nostri,* et quinto loco, omissis psalmis 148 *Laudate Dominum de caelis,* et 149 *Cantate Domino canticum novum,* dicitur tantum ps. 150 *Laudate Dominum in sanctis eius* [2].

4. Novum datur formulare *suffragii.* Hoc unicum suffragium locum tenet, extra tempus paschale, omnium suffragiorum quae antea fieri debebant, immo et commemorationis crucis extra tempus paschale in officio feriali faciendae. In oratione *A cunctis,* ad litteram *N.* nominandus est Titularis ecclesiae vel oratorii, sollemniter saltem benedicti, cui quis est ascriptus. A regularibus insuper nominandus videtur proprius Fundator. Verba illa *cum beato N.* omittenda sunt ab iis qui nulli ecclesiae vel oratorio sollemniter saltem bene-

---

[1] Hoc officium in novis breviariis inseri iubetur die 2 novembris. (Decr. 23 ian. 1912.)

[2] In officio parvo B. M. V. ad laudes omittendi sunt ps. 66 *Deus misereatur nostri* et ps. 149 *Cantate Domino* cum ps. 150 *Laudate Dominum in sanctis eius.*

dicto ascripti sunt et etiam ab illis qui ascripti sunt ecclesiae vel oratorio dedicato alicui Personae divinae, vel Mysterio, vel sancto in oratione iam nominato.

Tempore paschali, loco praedicti suffragii, adhuc fit commemoratio crucis et quidem eadem atque antea, nisi quod in vesperis adhibetur antiphona laudum.

Novum hoc suffragium et, tempore paschali, commemoratio crucis iisdem omittitur diebus atque ante reformationem; et insuper quotiens in officio dominicae [1] fit commemoratio alicuius duplicis, etiam simplificati.

In officio beatae Mariae Virginis in sabbato, extra tempus paschale, in suffragio dicitur tantum: *Sancti Dei. omnes intercedant pro nobis.* Versus dicitur de more; sed in oratione omittitur mentio beatae Mariae Virginis.

5. *Preces dominicales* — eaedem quae ante, — iam non tantum in duplicibus et infra octavas omittendae sunt ; sed omne duplex quod in laudibus dominicae commemoratur precibus Primam, quod vero in 1is vel 2is vesperis, precibus subsequens Completorium levat.

Preces feriales iisdem diebus atque antea dici debebunt, nec omitti possunt propter duplex occurrens ; sed in iis ad laudes et vesperas suppressus est ps. *De profundis* vel *Miserere,* in quorum locum dicuntur versus tum pro Romano Pontifice, tum pro Episcopo. In hoc ultimo ab omnibus, etiam a regularibus nominandus est episcopus dioecesanus a die captae possessionis sive per se sive per procuratorem. Solus nominatur episcopus dioecesanus proprius orantis, non autem vicarius capitularis, neque vicarius apostolicus [2].

6. *Symbolum athanasianum* « *Quicumque* » deinceps omittendum erit : a) in omnibus dominicis maioribus, b) in dominicis temporis paschalis, c) in dominicis quae occurrunt infra octavam quamcumque, d) in dominicis omnibus in quibus commemoratio fit alicuius duplicis.

7. *Officia additionalia*, officium parvum beatae Mariae Virginis, officium defunctorum, psalmi graduales et paenitentiales iam, ne in choro quidem, dici debebunt [3], et superest tantum obligatio recitandi, etiam in privata recitatione, litanias die 25 aprilis necnon diebus rogationum.

8. Novis *praestantiae* legibus, festa cum octava, festa magis propria, festa universalia, non iam autem festa fixa, qua talia, et servatis servandis, ceteris praeferuntur.

---

[1] In rubrica qualis in Ordinario legitur, suffragium omittendum praescribitur quotiens in officio commemoratio fit duplicis, nulla distinctione facta inter officium dominicae et feriae, sed per decretum 24 febr. 1912 illud soli officio de dominica restringitur.

[2] Nisi *ex usu* in canone missae nominetur.

[3] Sicubi ex fundatione praedicta recitanda sint, a Sancta Sede petenda fuerit commutatio huius obligationis ad fructus percipiendos.

B. De iis quae reformata sunt in missa

1. **Diebus dominicis**, de missa dominicae, quae, propter officium, plerumque dicenda erit, haec attendas :

a) Semper adhibendus erit color ipsi missae conveniens, scilicet in dominicis adventus et in dominicis a Septuagesima ad Palmarum color violaceus ; in dominicis a Nativitate Domini ad octavam Epiphaniae, tempore paschali [1] et infra octavam Corporis Domini, color albus ; in reliquis tandem dominicis color viridis ; neglecto iam colore octavae forsan decurrentis etiam si sit octava Domini, exceptis tantum octavis super enumeratis.

b) Commemoratio communis (3ª oratio) omittitur quotiens in ea facienda est commemoratio alicuius duplicis maioris vel minoris aut octavae.

c) Praefatio semper dicitur de ss. Trinitate, nisi dicenda sit propria temporis (tempore quadragesimae, passionis et paschali), vel octavae decurrentis alicuius festi Domini ; nullo autem modo iam attenditur ad reliquas octavas, etiam B. M. V., nec ad festa forte simplificata.

Idemque observandum est in dominicis in quibus faciendum est de duplici 1 vel 2 classis, nisi tamen ipsum illud festum praefationem propriam habeat.

d) Si in dominica minori ab ipso dominicae officio impeditur festum quod celebratur ex voto vel cum populi concursu, — de qua re iudicaverit Ordinarius, — missae esse poterunt de festo cum commemoratione dominicae et eius evangelio in fine ; una tamen missa, quae potest esse lecta, de dominica esse debet, unde hoc privilegium excluditur ubi una tantum dicitur missa, quae tunc necessario de dominica erit. Missae de festo in casu permissae dicendae sunt in colore festi et cum praefatione quae huic est propria, vel si non datur praefatio propria, cum praefatione ss. Trinitatis. Missa vero de dominica, eadem die dicenda, sequitur rubricas superius pro missis de dominica datis.

2. **In feriis** quadragesimae, IIª rogationum, quattuor temporum, et in vigiliis quae missam propriam habent, etiam si fiat de festo duplici (non tamen 1 vel 2 classis), *legi* possunt missae de feria cum commemoratione festi et aliis commemorationibus quae in officio occurrunt.

a) Hae missae dicuntur in colore feriae vel vigiliae ; et in feriis quadragesimae, temporis passionis, necnon in feria II rogationum, dicitur praefatio de tempore, etiam si commemoratio facta sit alicuius festi praefationem propriam habentis,

---

[1] Praeter festum Pentecostes, in quo color ruber adhibetur.

quod eruere posse putamus ex regula superius data pro dominicis. In aliis vero feriis dicenda est praefatio communis, nisi forsan occurrat commemoratio festi vel octavae praefationem propriam habentis.

b) Explicite non dicitur, contra ac pro missa de dominica, in hac missa commemorationem communem (tertiam orationem) esse omittendam, si commemoratio fit de aliquo duplici; unde contra alios cum R. D. Callewaert (*La réforme du bréviaire,* p. 29, nota) concludimus, in his missis semper dicendum esse numerum orationum quem exigit ipsa missa ferialis, ac proin extra tempus passionis saltem tres. Haec autem conclusio eo probabilior nobis apparet quod in decreto 24 febr. 1912, I, a feriis in quibus commemoratur duplex abiudicatur privilegium omittendi suffragium quod per novas rubricas conceditur dominicis.

c) In hac missa semper dicitur ultimum evangelium s. Ioannis *In principio,* etiam si in missa feriae quadragesimae facta sit commemoratio vigiliae.

Si his diebus dicitur missa de occurrenti festo duplici vel semiduplici, commemoratio semper fit de feria vel de vigilia, et legitur eius evangelium in fine. Orationes et praefatio dicuntur quae festo conveniunt.

3. **Circa missas votivas sollemnes et privilegiatas**, nihil hucusque est mutatum, ac proin pro his standum est indulto. Quod si concessum est ut in die dominica omnes missae sint de Sancto, certe praesenti disciplinae magis consonum erit ut una saltem missa dicatur de dominica. Nisi tamen in concessione restrictio habeatur de non omittenda missa una de die, non ausim dicere veram obligationem in casu ex nova rubrica erui posse.

4. **Missae votivae privatae** in posterum nullo modo celebrari poterunt:

a) In omnibus feriis et vigiliis quae missam propriam habent (cfr. supra), sive de iis sive de semiduplici officium fiat.

b) Item prohibentur in feria in qua faciendum est de dominica anticipata, et in feria in qua reponenda est missa dominicae impeditae, h. e. in prima die infra hebdomadam in qua fit de officio feriali, si in dominica praecedenti missa dominicae dici non potuit.

5. Circa **missas defunctorum cantatas,** nihil est mutatum ; et idem dicendum videtur de iis missis quae de iure debent esse cantatae etsi ob privilegium fiant tantum lectae, utputa de missa exsequiali pro defuncto paupere, vel de missa exsequiali quae in Societate Iesu cum assistentia communitatis celebratur, praesente corpore, pro defuncto consocio.

6. Circa **missas lectas**, duo sunt mutata :

a) Missae quae in die obitus aut pro die obitus permittuntur pro defuncto cuius corpus est saltem moraliter praesens, iam prohibebuntur, non tantum in diebus festis de praecepto et in duplicibus 1 classis necnon in diebus quae huiusmodi duplicia 1 classis excludunt, sed insuper in duplicibus 2 classis (non tamen diebus infra octavas Epiphaniae et Corporis Christi quamvis duplicia 2 classis excludant) : ceterae omnes condiciones relate ad illas missas permanent.

b) **Missae cotidianae de Requiem** prohibentur in feriis omnibus in quibus prohibitae sunt missae votivae privatae ; attamen intra quadragesimam missa cotidiana de Requiem in singulis ecclesiis vel oratoriis dici potest ab omnibus sacerdotibus ibi celebrantibus, prima die infra unamquamque hebdomadam quae in kalendario *huius ecclesiae vel oratorii* libera est ab officio duplici vel ab officio duplex excludente [1] ; nihil tamen refert quod in hac ecclesia eadem hac hebdomada iam, propter exsequias, missae in duplici lectae sint. Unde fieri potest ut, si sacerdos infra eandem hebdomadam in variis celebret ecclesiis, saepius quam semel missam de Requiem celebrare possit et e contra etiam ut ne semel quidem. In oratoriis stricte privatis, in quibus unusquisque celebrans proprium kalendarium sequi debet, praedictae missae de Requiem licitae erunt prima hebdomadae die in qua in kalendario celebrantis non occurrit duplex, vel officium quo duplex excluditur.

Diebus ferialibus quibus missae de Requiem prohibentur, licitum erit penultimo loco addere collectam pro defunctis in genere, vel pro illo defuncto in specie pro quo sacrificium offertur, qua addita, obtinetur privilegium altaris privilegiati. Contra nonnullos, v. gr. La Vie diocésaine, 1912, p. 62 ; Les Questions liturgiques, 1912, p. 259, haec oratio addi posse nobis videtur si celebres pro defuncto, etiam diebus quibus in missa de feria festum duplex commemorandum sit. Putamus autem eam ponendam esse extra numerum, neque ideo supprimi posse orationem imperatam, sed nec obligationem adesse aliam superaddendi ut numerus quinquenarius perficiatur.

Etiam illa die in qua infra quadragesimam licita est missa de Requiem, putamus, contra aliquos, celebrantem indulgentiam altaris privilegiati lucrari posse dicendo missam ferialem cum oratione pro defunctis. Cfr. *Quaesita varia*, n. XIX.

7. **Collectae** seu orationes imperatae ab episcopo, si

---

[1] Haec exceptio non prodest missis votivis.

sint pro re gravi praescriptae, sicut antea dicendae sunt, etiam in duplicibus 1 classis, secundum Ordinarii arbitrium ; quod si consueto modo imperantur, omittendae sunt non solum in duplicibus 1 classis et in missis quae eodem ritu celebrantur, scilicet in dominica Palmarum, in vigiliis Nativitatis Domini et in missis votivis sollemnibus ; sed insuper in duplicibus 2 classis (in omnibus missis), in dominicis maioribus i. e. in dominicis adventus et a Septuagesima ad dominicam in albis, infra octavas privilegiatas Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes et Corporis Domini, et quotiens *ex obligatione* sine imperata dicendae sunt plus quam tres orationes. Ceterae leges de imperata manent, ita ut v. g. imperata dici non possit loco tertiae orationis ad libitum. Quae de omittenda imperata dicta sunt extendi non possunt ad illas orationes quae certis diebus *ex regula generali* praescribuntur, ut v. g. oratio pro Papa in anniversario eius electionis vel coronationis, oratio pro episcopo in anniversario eius nominationis vel consecrationis, aut oratio Sanctissimi ex obligatione addenda in missa *cantata* coram SS^o^ exposito, quae addi debent, etiam si plus quam tres orationes ex praescripto sint dicendae. Praedictae tamen orationes, si quarto loco occurrant, impediunt collectam ab Ordinario imperatam. Contra imperata omitti non potest ob additam quartam orationem quae tamen praescripta non sit sed ad libitum relicta, ut v. g. oratio de Sanctissimo in missis *lectis* coram eo celebratis, neque, ut superius diximus, oratio pro defunctis.

8. **De missis conventualibus.** Cessat obligatio cantandi coram choristis missas illas conventuales quae nonnumquam praeter missam de die praescribuntur ; praedictae missae adhuc celebrandae sunt et quidem post horam canonicam in rubrica indicatam, sed extra chorum, et sufficit ut legantur, nec assistere debent choristae. Excipiuntur tamen quaedam missae, ut videre est in ipsis rubricis (cfr. supra, p. 137 ss.), quae, sicut antea, cum assistentia choristarum post propriam horam in ipso choro cantari debent.

C. De his quae reformata sunt in dispositione breviarii

Etsi per praesentem reformationem iam multa ex rubricis generalibus penitus mutantur, harum tamen rubricarum reformatio ad aliud tempus remittitur, cum totius breviarii emendatio fieri poterit [1].

---

[1] Secundum cl. PIACENZA *(Commentarium in Constitutionem « Divino afflatu »* p. 27) commissionis instituendae ad emendationem breviarii et missalis inter alia erit : a) Criteria determinare, ad dignoscendum quaenam festa in universa ecclesia, et quo

Decreto tamen diei 23 ian. 1912, Congregatio nonnulla mutanda praescribit in kalendario tum breviarii, tum missalis ; reformatur quoque catalogus festorum primariorum et secundariorum [1] ; et novae dantur tabellae occurrentiarum et concordantiae, in quibus, cum distinctae tradantur pro occurrentia perpetua et pro accidentali, accuratius res exponi potuerunt [2].

Quaedam insuper in ipso breviario factae sunt reformationes rubricarum specialium, praecipue tamen illarum quae mutandae erant ad normam motu proprio de diebus festis, et decretorum S. R. C. 24 et 28 iul. 1911 [3], ita ut etiam in novis editionibus breviarii quaedam rubricae cum praesentibus regulis concordaturae non sint, ut v. g. quando in officio festivo dicetur : *Omnia de Communi*, cum tamen psalmi et antiphonae ad omnes horas sumenda sint de feria currenti in psalterio, vel quando in duplici maiori indicatur *Lectiones de Communi,* cum tamen legendae sint de Scriptura occurrenti.

Praecipua tamen mutatio sita est in eo quod Ordinarium avulsum est a Psalterio proprie dicto. Porro haec nova dispositio quam maxime nobis videtur afferre commodum ; in hoc enim Ordinario clare et distincte describitur quomodo singulae horae sint recitandae, quomodo inchoandae [4], finiendae, quando suffragium vel preces recitandae sint, etc.

---

ritu, celebranda, ac proin in kalendarium inducenda sint. b) Historicas lectiones, secundum verae criticae leges emendare. c) Sermones et homilias ss. Patrum revisioni diligenti submittere, ut quae spuria sint, amoveantur a breviario. d) Rubricas generales breviarii noviter et iuxta recentes praescriptiones, reformare. e) Commune plurimorum Confessorum ac illud pro pluribus sanctis mulieribus inducere, ut facilius festorum numerus minuatur absque detrimento cultus sanctorum.

Absque dubio fere omnes cl. CALLEWAERT consentient, cum votum exprimit ut inter alia illa de quibus PIACENZA silet, etiam habeatur emendata versio psalmorum. (*La réforme du bréviaire,* p. 62.)

[1] Commemoratio sollemnis s. Ioseph manet festum primarium, quo confirmatur quod in hoc periodico dictum est (t. 6, n. **526,** p. 91) ; ad eandem qualitatem evecta sunt festa Praesentationis B. M. V. et Decollationis s. Ioannis Baptistae.

[2] Mirum prorsus videtur quod in 1ª tabella occurrentiae praescribitur faciendum, cum duo festa simplicia perpetuo occurrunt eodem die, ut scilicet fiat de nobiliori et *aliud reponatur*, cum tamen hucusque principium esset festa simplicia numquam transferri, et in ipsis his tabellis praescribatur omittendum simpliciter festum simplex si occurrat perpetuo cum duplici 1 classis. Ceterum, cum in kalendario quod ad hanc rem nihil sit mutatum diebus 1 sept. et 7 oct. — in quibus praedictus casus occurrit, — nobis verisimile videtur mendum ibi in tabella irrepsisse ac pro 8 quod significat : *officium de nobiliori, repositio de alio,* legendum esse 7, significans *officium de nobiliori, commemoratio de alio.*

[3] Confer PERIODICUM, t. 6, n. **526,** p. 81. Restat ut indicentur authentice mutationes ad normam istorum decretorum et ex praesenti reformatione in martyrologio introducendae v. g. quomodo deinceps annuntianda sint festa perpetuo translata tamquam in sedem propriam ; officia in dominicis occurrentia et in perpetuum simplificata, festa ss. Corporis Christi, s. Ioannis Bapt. s. Ioseph, etc.

[4] Sic v. g. clare ibi indicatur in fine matutini, si a laudibus separetur, recitandum esse, sicut in fine aliarum horarum, *Pater noster,* et in principio laudum tunc dicendum *Pater* et *Ave.*

Simul ibi inveniuntur: a) Ea omnia quae in singulis officiis communia sunt, ut, v. g. ps. *Venite exsultemus*, *Te Deum*, *Benedictus*, *Magnificat*, hymni ad parvas horas, etc.

b) Ea quae, etsi non in singulis officiis recurrant, habentur tamen in omnibus officiis de tempore aut saltem de feria certis anni temporibus, ac proin ab ipsa feria sunt independentia, ut v. g. hymnus et versus ad laudes et vesperas, lectio brevis ad primam, responsoria brevia ad horas dicenda tempore adventus, quadragesimae, passionis et paschali, capitula et responsoria dicenda in officio feriali per annum ad parvas horas, etc. [1]

D. De dispositionibus temporalibus

Praesens reformatio prorsus observanda est a die 1 ian. 1913 ab omnibus qui, ad horas canonicas obligati, ritum romanum sequi debent ; nec iam ab hoc die secus satisfacere possunt. Nihil autem immutatur quod ad illos regulares qui proprio breviario utuntur sicut Dominicani, Carthusiani, Carmelitae, monachi Benedictini et alii [2]; regulares autem qui habent tantum editiones speciales breviarii romani uti Augustiniani, Fratres Minores et alii, ad usum novi psalterii tenentur.

Observat tamen Piacenza [3], quod si aliqui erunt qui, vel ob oculorum aciem obtusam, vel ob decrepitam senectutem, novo psalterio uti nequibunt, ad Episcopum recurrant, qui, debita facultate obtenta, quid sit faciendum declarabit.

Anno 1912, hoc unum omnibus praeceptum est, ut novum officium defunctorum in commemoratione omnium Fidelium defunctorum recitetur.

Singulorum tamen optioni, vel, si agitur de capitulis, eorum maioris partis optioni permittitur ut novus psalterii ordo usurpetur ; ita ut diebus non exceptis ad singulas horas dicantur psalmi cum antiphonis de currente feria, et in 1 nocturno dicantur lectiones de Scriptura occurrente, si ita postularint novae rubricae, etiam si in breviario indicentur lectiones de Communi. Quod si quis novo psalterio utatur, quod ad suffragium et preces omnino se novis legibus accommodabit.

Singulis diebus optionem inter utrumque modum dicendi breviarium dari, ita ut quis una die novum usurpet psalte-

---

[1] In eodem Ordinario habentur quoque capitula et responsoria brevia dicenda ad parvas horas in officio de dominica per annum. Haec autem, cum non nisi in dominica occurrant, potius exspectasses posita in psalterio ubi dantur capitula et hymni quae in eodem officio in laudibus et vesperis recitanda sunt.

[2] Piacenza, op. c. p. 29.

[3] P. 27.

rium, alia vero die antiquo utatur, omnes fere auctores concedunt quamvis minus laudent, dummodo in officio eiusdem diei eadem methodus adhibeatur.

In feriis quoque quadragesimae et aliis quae missam propriam habent, licet iam, hoc anno, missas privatas de feria celebrare, etiam in diebus in quibus occurrit festum duplex maius vel minus ; et, saltem si in hac missa additur oratio pro defunctis, sacerdos sic lucrari posse videtur indulgentiam altaris privilegiati ; nondum tamen prohibentur in his feriis missae defunctorum vel votivae.

Applicari iam potest nova regula quod ad collectas imperatas.

Ceterum, singulis diebus officium dici debet secundum kalendarium a competente auctoritate pro anno 1912 editum, ita ut nondum applicari possint novae regulae quod ad translationes festorum.

Ex speciali tamen dispositione, permittitur ut in dominicis in quibus kalendarium 1912 indicat festum duplex maius vel minus quod non sit festum vel octava Domini, in privata recitatione dicatur officium de dominica, quod officium tunc dicetur secundum novas rubricas ; unde etiam vesperae secundum novas regulas de concurrentia festorum ordinandae videntur ; item iisdem diebus licitum erit missas privatas celebrare de dominica, in quibus tunc observantur quae dicta sunt de omittenda commemoratione communi ob commemoratum festum duplex, de dicenda praefatione ss. Trinitatis etiam infra octavas, ac tandem de adhibendo colore ipsius dominicae [1]. Coniunctio utriusque facultatis non requiritur ; poterit proin pro libitu missa dici de festo etiam si officium recitatum est de dominica, et vice versa.

Quod ad officia votiva attinet, contendit R.D. CALLEWAERT [2], idemque defenditur in QUESTIONS LITURGIQUES [3], ex eo quod de iis supprimendis in praescriptionibus temporalibus sileatur, illa ex obligatione hoc anno esse recitanda, saltem si in kalendario imponuntur ; GATTERER [4], contra, ex eo quod in novo breviario nulla admittuntur officia votiva, concludit ab

---

[1] Putat P. GATTERER (*Wie betet man das neue Brevier ?* p. 34) ad vitandam mirationem populi, in eadem tamen ecclesia ab omnibus sacerdotibus ibidem celebrantibus eundem colorem esse adhibendum, ac proin, nisi omnes de dominica celebrent, celebrandum esse, hoc anno, missam de dominica colore festi. Eius argumenta tamen rem efficere non videntur ; quare, cum nihil de tali exceptione dicatur, putamus hanc opinionem vix sustineri posse. Nobiscum sentit R. D. CALLEWAERT, COLLATIONES BRUGENSES, t. 17, p. 207.

[2] P. 58. Quod ad officia votiva quae privatorum optioni permittebantur, optionem istam manere opportune monet R. D. CALLEWAERT, ita tamen ut tunc pristino modo officium recites ; novo enim psalterio si utaris officium de feria solum sumi posse. Cfr. COLLATIONES BRUGENSES, t. 17, p. 202.

[3] Febr. 1912, p. 261.

[4] P. 35.

his qui hoc anno iam illo utuntur, praedicta officia prorsus esse derelinquenda et eorum loco recitandum officium de feria, vigilia, festo simplici vel B. M. V. in sabbato. Utrumque probabiliter sustineri potest. Directorium 1912 pro archidioecesi mechliniensi ad rite legendas horas canonicas iuxta normam novi psalterii, omnia officia votiva omittit.

Officium defunctorum, quale adhibendum est extra Commemorationem omnium Fidelium defunctorum, sicut et officium parvum B. M. V. certe iam ad novas normas accommodare licebit.

E. **Practica informatio de nova breviarii recitatione, summatim proposita**

I. *In officiis 9 lectionum infra non exceptis*

a) Ad *matutinum*, psalmi cum antiphonis et versus *de feria currente*. (Versus toto anni tempore sumitur ut indicatur *per annum.)*

b) Lectiones 1 nocturni *semper* de Scriptura occurrente.

c) Ad reliquas horas *omnes*, etiam ad completorium, psalmi cum antiphonis *de feria currente*. (In laudibus semper adhibetur 1^{us} schema ex duobus quae in novo Psalterio pro singulis diebus proponuntur, et ad parvas horas semper dicuntur antiphonae uti indicantur *per annum*.)

d) Suffragium, si sit dicendum, *unicum*, sicut in novo psalterio.

II. *Officia excepta*

1. In duplicibus 1 et 2 cl., — in festis omnibus Domini, beatae Mariae Virginis, Angelorum, s. Ioannis Baptistae, s. Ioseph, et Apostolorum, — in vigilia Nativitatis Domini (matutino excepto) Epiphaniae et Pentecostes, — infra omnes octavas, et F. VI post oct. Ascensionis, (si de iis fit officium) omnia dicuntur *ut ante reformationem*, his tantum exceptis :

a) In laudibus, omittuntur psalmi 66 *Deus misereatur*, et 149, 150 *Cantate Domino, Laudate Dominum in sanctis eius*.

b) In completorio, omittitur ps. 30 *In te, Domine, speravi*.

Observes, completorium manere de feria, nisi praecedentes vesperae saltem a capitulo sint de officio excepto.

2. In festis quae *lectiones*, vel saltem *responsoria* 1 nocturni *propria* habent, lectiones 1 nocturni recitantur ut antea.

3. In festis quae antiphonas *proprias* habent ad *matutinum*, psalmi cum antiph. et versic. matutini recitantur ut antea.

4. In festis quae antiphonas *proprias* habent ad *psalmos*

laudum et vesperarum, laudes et vesperae recitantur ut antea (omissis tamen in laudibus psalmis 66, 149 et 150). In parvis horis et completorio psalmi sumuntur cum antiphona de feria.

III. *In officio de dominica*

a) Officium de dominica habet *primas vesperas* integras, in quibus tamen, sicut in sequenti completorio, dicuntur psalmi et, extra vesperas adventus, antiphonae de sabbato.

b) In *matutino* dicuntur novem psalmi cum antiphonis novi Psalterii ; numquam dicitur nona lectio historica.

c) Pro *laudibus* datur duplex schema, quorum secundum adhibendum est in dominicis a Septuagesima ad dominicam Palmarum, prius vero in reliquis dominicis sed, extra tempus paschale, semper cum *quinque antiphonis*. (Praedicta schemata non differunt a laudibus usque nunc recitatis, nisi ommissione ps. 66, 149 et 150, et pro 2 schemate etiam quarto psalmo, cantico.)

d) In *Prima* dicuntur *tres tantum* psalmi, quorum prior, omisso ps. 53, *Deus in nomine tuo,* est ps. 117 *Confitemini* duo reliqui iidem sunt qui antea. Quotiens tamen in laudibus adhibitum est 2 schema in prima, loco ps. *Confitemini*, dicuntur duo psalmi in laudibus omissi.

Symbolum athanasianum omittendum est 1° in omnibus dominicis maioribus ; 2° in dominicis temporis paschalis ; 3° in dominicis in quibus commemoratio fit ad laudes octavae, vel duplicis. — Itaque, per adventum a et Septuagesima ad Dominicam SS. Trinitatis, numquam recitandum est.

e) *Tertia*, *Sexta*, *Nona,* ut antea.

f) In 2is *vesperis* habentur novae antiphonae ; psalmi iidem sunt qui ante.

g) In *completorio* supprimitur ps. 30 *In te, Domine speravi*. Reliqua ut antea.

h) Suffragium *unicum* in utrisque vesperis et laudibus, et preces dominicales in utroque completorio et prima, omittuntur quotiens in eadem hora, vel in praecedenti hora maiori, commemoratio facta est sive octavae sive duplicis etiam simplificati.

IV. *In officio feriali*

a) In *matutino* dicuntur novem psalmi unico tractu, et, omissis duobus prioribus versibus, tertius dicitur, qui in fine tertii nocturni pro diversitate temporum positus est.

b) Pro *laudibus* duplex schema proponitur ; alterum, quod priore non differt nisi primo psalmo *Miserere* et quarto

(cantico), adhibetur in certis feriis quae maiorem indolem paenitentialem habent, prius in omnibus aliis.

c) In *Prima* dicuntur tres psalmi ut in novo Psaltèrio ; quotiens tamen in laudibus adhibitum est alterum schema, post tres illos psalmos additur primus psalmus primi schematis laudum.

d) *Parvae horae,* quarum psalmi variant, ex novo Psalterio sumenda sunt.

e) Preces feriales vel dominicales dicuntur uti antea, nec umquam omittuntur preces feriales propter duplex commemoratum.

V. *In officio simplici vel B. M. V. in sabbato*

a) In *matutino* novem psalmi dicuntur unico tractu, cum versu in fine tertii nocturni posito.

b) Duae priores lectiones semper de Scriptura occurrente, cum responsoriis propriis vel de communi ; tertia lectio de festo, duabus propriis, si habeantur, in unam coniunctis.

c) Reliqua ut in festo semiduplici.

d) In officio B. M. V. omittuntur in suffragio quae ad B. M. V. pertinent.

VI. *Tempore paschali*

1. In officiis non exceptis : a) In omnibus horis psalmi dicuntur sub una antiphona.

b) Antiphonae in omnibus horis et versus in matutino dicuntur de tempore paschali.

2. In officiis exceptis, ut ante reformationem.

N. B. In nova breviarii recitatione, praeter eam novi Psalterii partem quae sua cuique diei assignatur, per se ea etiam adhibenda est quae *Ordinarium* vocatur. Attamen, in *festis*, dummodo formulam habeas novi suffragii, reliqua in antiquo psalterio iam reperiuntur. — Idem dic in *dominicis,* nisi quod in Dominica minore per annum, post capit. Tertiae, versus non iam habet verba : « Averte oculos meos ne videant vanitatem » sed haec sola: « In via tua vivifica me ». — In ipsis *feriis,* hae tantum *Ordinarii* indicationes novae sunt. Suffragium de cruce non iam nisi tempore paschali recitatur. In precibus ferialibus laudum et vesperarum omittitur ps. *De Profundis* vel *Miserere*. Sed inseritur ℣ et ℟ pro Papa, pro Episcopo, pro benefactoribus. — Praeterea in *feriis* per annum habetur ad sextam et ad nonam capitulum distinctum a capitulo dominicae, dum olim (extra tempus adventus,

quadragesimae, Passionis et Paschatis) idem erat atque in dominica.

Denique, in officiis quae 1° loco inter excepta supra n. II posuimus, ipsum novum Psalterium non est recitando breviario necessarium. Ios. PAUWELS, S. I.

---

555. — S. CONGR. RITUUM

MONITUM 28 IAN. 1912

De actis suis quae authentica sint et ephemeridum auctoritate (A. A. S. 31 ian. 1912, 4, 84)

Quaenam acta valeant.

Sacrae Rituum Congregationi visum est Rmos locorum Ordinarios certiores facere, eosque orare ut suis subditis notum faciant, nullius roboris esse *rescripta, responsa ad dubia, concessiones, declarationes cuiusque generis, privilegia, commentaria* nomine ipsius S. Congregationis evulgata, nisi, prout de iure, subsignata fuerint exclusive ab Emo Cardinali ipsi S. Congregationi Praefecto una cum S. ipsius Congregationis Secretario vel eius Substituto, aut, in casu necessitatis, saltem ab Emo Praefecto, vel a Secretario aut eius Substituto : item nil esse commune inter S. Rituum Congregationem et cuiuscumque generis ephemerides rem liturgicam pertractantes, cum Sacra ipsa Congregatio, quotiens promulgatione opus sit, ea quae statuerit, in Commentario officiali *Acta Apostolicae Sedis* ad tramitem Constitut. Ap. « *Promulgandi pontificias* » inserenda curet.

Ephemerides de re liturgica privatum opus tantum sunt.

Ex S. R. C. Secretaria, die 28 ianuarii, 1912.

Dies (28 ian. 1912.)

† *Petrus La Fontaine, Episc. Charystien.*, Secretarius.

ANNOTATIO

Gratissimi monitum istud exscribimus, quo confirmatur quod non semel vel insinuavimus vel aperte professi sumus, v. gr. t. 2, p. 9-10, non esse aestimandam sententiam ex loco ubi proponatur sed ex fonte publico aut privato unde manet, et ex vi rationum quibus innitatur. De iuris scientia conclamatum est, nisi, inter ipsa acta authentica, leges a iurisprudentia, responsa generalia vel iterata a particularibus et singularibus, responsa plenarii coetus a responsis Praefecti et Secretarii discernas, et numquam animadversionibus vel suffragiis consultorum vim tribuas quae decretorum propria est ; nisi denique probe teneas, Congregationem romanam extra Patrum Cardinalium coetum non exsistere, ita ut quae deinde vel antea dixerint aut scripserint singulae personae privatarum sententiarum loco habeas.

---

556. — S. RITUUM CONGREGATIONIS

LITTERAE CIRCULARES 3 FEBR. 1912

De funeribus occisorum in bello Tripolitano

(A. A. S. 15 febr. 1912, 4, 107)

Indultum de funeribus pro defunctis in bello Tripolitano.

Cum saepe saepius in Sacra Rituum Congregatione exquirantur facultates celebrandi Missam de Requie pro defunctis in bello Tripolitano Dominicis aliisque festis de praecepto, in quibus haberi potest maior fidelium frequentia; Sacra eadem Congregatio monet R^mos^ locorum Ordinarios quod Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, hisce praecibus ac votis cleri plebisque fidelis clementissime deferens, cum sancta et salubris sit pro defunctis exoratio, quae etiam afflictos moerore propinquos erigit, benigna dispensatione a regulis liturgicis indulta, permittere dignatus est, ut tum Dominicis, non tamen privilegiatis primae classis, tum aliis festis de praecepto quae non sint duplicia primae vel secundae classis, una Missa de Requie cum cantu et subsequenti Absolutione ad tumulum, in Ecclesiis seu Oratoriis publicis iuxta prudens respectivi Ordinarii iudicium, celebrari valeat: servatis de cetero Rubricis. Mandat autem ac praecipit Sanctitas Sua, ut in eiusmodi funeribus, etsi fiant diebus a ritu permissis, nemo, cuiuscumque sit dignitatis, sermones aut funebres orationes, in quibusvis Ecclesiis seu Oratoriis habere praesumat.

Et simul vetitum.

Dies (3 febr. 1912).

Die 3 februarii, 1912.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Episc. Charystien. Secretarius.*

---

557. — S. CONGR. CONCILII

RESPONSUM 15 DEC. 1911

De ieiunio et abstinentia in pervigilio Nativitatis D^ni^

(A. A. S. 31 ian. 1911, 4, 54)

DUBIUM CIRCA INTERPRETATIONEM EORUM QUAE MOTU PROPRIO « SUPREMI DISCIPLINAE » DE DIEBUS FESTIS, DIE II IULII ANNO 1911 EDITO, STATUTA SUNT.

Occasio dubitandi.

S. Congregationi Concilii a nonnullis Hispaniae Episcopis dubium quod sequitur propositum est: « Cum hoc anno verificetur quod vigilia « Nativitatis D. N. I. C. coincidat cum Dominica, quae semper manet « exclusa a lege ieiunii et abstinentiae, nonnulli Moralistae interpretantur

Dubium.

« dispositiones Motus Proprii « De diebus festis », retinentes et publi- « cantes in ephemeridibus, quod die 23 decembris, scilicet sabbato, vigeat « obligatio simplicis ieiunii ratione temporis sacri Adventus, non vero « obligatio abstinentiae a carnibus uti fieri solebat in vigilia aut antivigilia « eiusdem Nativitatis Domini. Quaeritur itaque ut explicite declaretur an « praedicta interpretatio sustineri possit ».

S. C. Concilii respondendum censuit : *Negative.*
Datum Romae ex Secretaria S. C. Concilii, die 15 dec. 1911.

Responso. *Dies (15 dec. 1911).*

C. Card. Gennari, *Praefectus.*
O. Giorgi, Secretarius.

Annotatio

Sicut, more suo, erudite id demonstrat R. P. Ferreres, S. I. in Razon y Fe, 1912, p. 339 ss., evidenti ratione et pluribus auctoritatibus praesens responsum nititur, ita ut magis mirari possis a moralistis quibusdam dubitatum quam a S. Congregatione ita rescriptum esse.

---

558. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

DECRETUM 25 IAN. 1912

De imperata Ordinariis relatione de Modernismo

(A. A. S. 15 febr. 1912, 4, 101)

Dubitantes nonnulli Sacrorum Antistites num ipsi duplicem teneantur relationem super modernismo Apostolicae Sedi exhibere, id est alteram quolibet triennio, a constitutione *Pascendi dominici gregis*, die 8 septembris 1907 et a Motu proprio *Sacrorum Antistitum* die 1 septembris 1910 praescriptam ; alteram vero singulis quinquenniis una cum relatione de statu suae dioecesis iuxta huius S. Congregationis decretum *A remotissima Ecclesiae aetate* diei 31 decembris 1909, rem S. Sedi subiecerunt dirimendam. Cum autem subsignatus Cardinalis Secretarius id SSmo Dno nostro Pio PP. X retulisset, hic, ad omnem animi anxietatem ac dubitationem tollendam, declarare et, quatenus opus sit, statuere dignatus est, locorum Ordinarios, quo anno relationem de statu suae ecclesiae peragunt, simul satisfacere posse obligationi quae ex supra memoratis constitutione *Pascendi dominici gregis* et Motu proprio *Sacrorum Antistitum* exoritur, atque idcirco relevari ab onere exhibendi triennalem relationem super modernismo ibidem statutam : idque per praesens decretum S. Congr. Consistorialis constitui et promulgari iussit : contrariis non obstantibus quibusvis.

Dubium de imperata relatione.

Satis est ut simul fiat cum consueta relatione.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 25 mensis ianuarii anno 1912.

Dies (25 ian. 1912.)

† C. Card. De Lai, *Episc. Sabinen., Secretarius.*
Scipio Tecchi, Assessor.

Annotatio

Praeceptum de triennali relatione quod, C. *Pascendi* datum Motu Proprio *Sacrorum Antistitum* confirmatum est habetur Periodica, t. 4, n. **228**, p. 37 et t. 5, n. **444**, p. 198.

Summa autem decreti S. C. Consistorialis, qua puinquennalis relatio praecipitur, habetur PERIODICA, t. 5, n. **382**, p. 102. Praesenti itaque declaratione vera suppressio legis continetur, dum satis dicitur esse ut Episcopus quinto quoque anno, cum de dioecesi generatim refert, specialem de Modernismo relationem conficiat.

559. — SS. D. N. PII PP. X

LITTERAE IN FORMA BREVIS 4 IAN. 1912

De pia Unione a prima puerorum communione

(A. A. S. 31 ian. 1912, 4, 49)

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Proprio-rum consi-liorum et actorum memor,

canonice erecta Unione a prima pue-rorum com-munione laetatur

Sublimem Divi Petri Cathedram Nobis divinitus obtinentibus in terris, ob singulare studium quo erga Sacramentum amoris ducimur, nihil antiquius est, quam ut pueri obsitum periculis vitae iter suscipientes, puro corde Eucharisticas dapes se sistant, ac tempestive, antequam mundi sordes innocentiae speculum obtegant, tanti mysterii gratia muniantur. Hac provida mente de aetate admittendorum ad primam communionem eucharisticam decretum edidimus quod incipit verbis « *Quam singulari* », et non sine magna animi Nostri laetitia comperimus, in hac Alma Urbe ad Sancti Claudii a Dilecto Filio Nostro Cardinali Vicario in spiritualibus generali, canonice erectam fuisse piam Unionem cui titulus a Prima Communione Puerorum. Haec enim Unio frugiferum ad finem intendit tum propagandi inter populos illius decreti cognitionem et implementum, tum instituendi pueros ad normam supernunciati decreti, ut rite instructi et apparati ad Sacram Synaxim prima vice accedant ac, durante pueritia, Angelorum Pane se frequenter reficiant. Nunc autem cum hodiernus Procurator Generalis Congregationis a SS^mo^ Sacramento Nos enixis precibus flagitet, ut ipsam piam Unionem ad Primariae gradum pro universo catholico orbe evehere de benignitate Nostra dignemur, Nos tam frugiferae societatis coeptis ultro libenterque faventes, ut uberiora in dies incrementa capiat, et in catholici nominis bonum atque emolumentum eadem, favente Deo, magis magisque succrescat, optatis his annuendum propensa voluntate existimamus. Quare his Litteris, Auctoritate Nostra piam Unionem a prima Communione Puerorum, in hac Alma Urbe ad Sancti Claudii canonice erectam, in Primariam pro Universo Catholico orbe, perpetuum in modum erigimus atque instituimus ; illique privilegia omnia et praerogativas tribuimus quae Primariis Unionibus de iure competunt. Porro Piae Unionis eiusdem sic in Primariam per Nos erectae moderatori atque officialibus praesentibus et futuris, Apostolica similiter Nostra Auctoritate, per praesentes concedimus, ut ipsi, servatis formae Constitutionis Clementis PP. VIII rec. mem., Decessoris Nostri, aliisque Apostolicis Constitutionibus atque Ordinationibus desuper editis, alias omnes eiusdem tituli atque instituti pias Uniones canonice ubique terrarum, sive erectas in praesens, sive erigendas in posterum, vel etiam

eamque, consuetis legibus ac privilegiis, in Prima-riam evehit.

ubique singillatim fideles sibi aggregare queant; et cum illis indulgentias omnes ipsi Primariae Unioni a Sede Apostolica concessas quae cum aliis communicare valeant, communicare licite etiam possint. Decernentes praesentes Nostras Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac fore, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos spectat, sive spectare poterunt, plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque et inane fieri, si secus quicquam super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter, attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die 4 ianuarii MCMXII, Pontificatus Nostri Anno Nono. *(Dies (4 ian. 1912.)*

R. Card. MERRY DEL VAL,
a Secretis Status.

---

560. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

RESPONSA 6 DEC. 1911 ET 16 IAN. 1912

De tertiis ordinibus saecularibus (A. A. S. 29 feb. 1912, 4, 143)

I

A. *Responsum 6 dec. 1911.*

In plenario Eminentissimorum Patrum Coetu habito ad Vaticanum die 24 novembris 1911, sequentia dubia proposita fuerunt circa Tertium Ordinem Saecularem S. Francisci Assisiensis: *Coetus plenarius; 24 nov. 1911.* **Dubia.**

I. Utrum *Congregationes* Tertii Ordinis S. Franc. Ass. ab una oboedientia Primi Ordinis vel a Tertio Regulari Ordine erectae, possint, inconsultis vel invitis Superioribus qui ipsas erexerunt, ad aliam oboedientiam valide transire? *De transitu.*

II. Utrum *eaedem Congregationes* ab una Oboedientia ut supra erectae et a Fratribus alterius Oboedientiae in eadem Provincia vel Civitate commorantibus directae, adhuc sint sub dependentia primae Oboedientiae — *erigentis* — ita ut haec possit *easdem Congregationes* visitare et ea omnia perficere quae de iure requiruntur in legitima iurisdictione? *De administratione.*

Et E^mi^ Patres, re mature perpensa, reposuerunt: **Responsa.**

Ad I. *Negative.* *Ad I.*

Ad II. *In voto Consultoris,* seu: *Si directio Congregationis Tertiariae ab una Familia Franciscali prius erectae legitime commissa fuerit Fratribus alterius Familiae,* Negative; *secus,* Affirmative. *Ad II.*

Quas resolutiones SS^mus^ D. N. Pius PP. X, in Audientia habita ab infrascripto Secretario die 6 decembris 1911, approbare et confirmare dignatus est. *Approbatio.*

Ios. CAL. Card. VIVES, *Praefectus.*
† *Donatus Archiep. Ephesin., Secretarius.*

II

Praepositus Generalis Ordinis Carmelitarum Excalceatorum Huic S. Congregationi exponit saepe accidere ut Tertiarii saeculares Carmeli- *Orator, proposito*

plurium voto,

tarum Antiquae Observantiae et respective Carmelitarum Excalceatorum, cooptari exoptent Congregationi alterius Oboedientiae ratione mutati domicilii vel etiam ratione commoditatis. Relate ad Tertiarios Saeculares S. Francisci Assis. nullum dubium, cum exstet Decretum S. Congr. Indulgentiarum diei 4 martii 1903, quod statuit :

memorato decreto 4 mart. 1903,

1° Ut novicii tertiarii saeculares S. Francisci professionem emittere valeant in Congregatione alterius oboedientiae, seu diversae ab illa in qua ad noviciatum fuerant admissi, si melius eorum commoditati provideatur.

2° Ut professi eadem de causa transire possint ab una Congregatione ad aliam diversae oboedientiae.

3° Ut Parochus, vel quilibet Sacerdos alicuius Congregationis Tertiariorum Moderator, si alio transferatur ubi alia Congregatio diversae Oboedientiae reperiatur, eandem regere possit quin indigeat nova approbatione ; teneatur tamen hac de re certiorem facere Visitatorem Regularem, ut cum eodem negotia Congregationis gerere valeat.

Quaerit *de valore pro Tertiariis Carmelitanis.*

Sed huius Decreti occasione, nonnullis Ordinariis et Sacerdotibus ortum est dubium, quod Praepositus Generalis Ord. Carm. Excalc. solvendum proponit huic S. Cong. :

« An Decretum S. Congr. Indulgentiarum diei 4 martii 1903 valeat quoque pro Tertiariis saecularibus utriusque Obedientiae Carmelitanae ? »

Responsio *ex aud. SSi.*

SSmus vero Dnus N. Pius PP. X, in Audientia habita ab infrascripto Cardinali Praefecto, attenta identitate rationum, *affirmative* respondere dignatus est.

Dies (16 ian. 1912).

Die 16 ianuarii 1912.

Ios. Cal. Card. Vives, *Praefectus.*

Annotatio

Causa dubitandi de transitu et administratione fuit tum facultas *singulis* Tertiariis facta ex decreto 4 mart. 1903, tum Breve *Septimo*, 4 oct. 1909 (Periodica, t. 5, n. **337**, p. 27, IX p. 33) ubi tribus Generalibus O. M. eadem potestas tribuitur ; et vetatur ne ascripti Tertio Ordini aliter ac S. Francisci Tertiarii appellentur.

561. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

DECRETUM 15 FEBR. 1912

De iureiurando examinatorum synodalium et parochorum consultorum [1]

Decreti occasio.

Cum nonnulla dubia orta essent circa modum, tempus ac tenorem iurisiurandi ab examinatoribus synodalibus praestandi cum adhibentur ad videndas causas amotionis parochorum iuxta decretum *Maxima cura,*

[1] Acta superiora habentur in Periodicis, t. 5, n. **448**, p. 234. 235 ; et **475**, p. 190.

SSmus D. N. Pius PP. X ad haec diluenda dubia, de consulto Emorum Patrum Sacrae huius Consistorialis Congregationis, statuit ac decrevit ut in posterum tam examinatores synodales quam parochi consultores, qui Episcopo sociantur in amotionis decreto ferendo vel in eiusdem decreti revisione, singulis vicibus, in prima sessione, sub poena nullitatis actorum, iusiurandum prout in formula heic adiuncta praestare teneantur.

Sub nullitate praecipitur formula iurisiurandi singulis vicibus observanda.

Idque per praesens decretum S. C. Consistorialis constitui ac promulgari iussit, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 15 februarii 1912.

Dies (15 febr. 1912).

C. Card. De Lai, *Episc. Sabinen., Secretarius.*
Scipio Tecchi, Assessor.

FORMULA ADHIBENDA.

« Ego *N. N.* examinator (*vel* parochus consultor) synodalis (*vel* prosynodalis) spondeo, voveo ac iuro munus et officium mihi demandatum me fideliter, quacumque humana affectione postposita, et sincere, quantum in me est, exsecuturum: secretum officii circa omnia quae ratione mei muneris noverim, et maxime circa documenta secreta, disceptationes in consilio habitas, suffragiorum numerum et rationes religiose servaturum: nec quicquam prorsus, occasione huius officii, etiam sub specie doni, oblatum, nec ante nec post, recepturum.

Formula.

« Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia, quae meis manibus tango ».

---

562. — S CONGR CONCILII

RESPONSUM 25 FEB. 1912

De vigiliis festorum S. Ioseph et Annuntiationis B. M. V.

Sub die 18 sept., anno elapso, S. H. C. ad quaestionem: « An post « *Motu Proprio* diei 2 iulii 1911 adhuc servari debeant vigiliae festorum « suppressorum »; respondit: *Affirmative.* Cum autem in decreto *Fre-* « *quentes pluribus* », a S. C. Sancti Officii die 5 sept. anno 1906 edito, constitutum fuerit ut vigiliae festorum Sancti Ioseph et Annuntiationis B. M. V. servari debuissent iis tantum in locis in quibus eadem festa sub praecepto recoluntur, quaesitum nuper a S. H. C. est: « An per deci- « sionem die 18 sept. anni elapsi datam, suprarecensitam, dispositioni « decreti Sancti Officii sit derogatum ». Et S. H. C. respondendum censuit: *Negative.*

Duo decreta 18 sept. 1911 et 5 sept. 1906 componuntur.

Datum Romae, e Secretaria S. C. Concilii, die 25 februarii 1912.

(Dies 25 feb. 1912).

C. Card. Gennari, *Praefectus.*
O. Giorgi, Secretarius.

ANNOTATIO

S. C. hoc principio usa est, per legem generalem priori magis speciali non derogari. Satis mirum tamen videbitur cur sub speciali suppressae vigiliae lege ponantur ambo festa S. Ioseph et Annuntiationis B. M. V. praesertim cum infra quadragesimale ieiunium diem suam habeant.

563. — NOTANDUM

De Motu Proprio 9 oct. 1911 quo excommunicantur privati viri trahentes ecclesiasticos ad iudices saeculares.

Sicut veri simile existimabamus (Cfr. supra, p. 109), S. Sedes studio pacis et concordiae mota, variis declarationibus vim legis suae ita temperavit ut primo Germaniam, deinde Belgium, tum Hollandiam sanctionibus suis immunes profiteretur. Rationem autem addidit qua iuris ac moralis disciplinae uti poterunt ut de privilegiato cleri foro sententiam suam emolliant.

Hoc enim initio usus, Motu Proprio illas solas regiones affici ubi antiquum iurisdictionis privilegium ecclesiasticis personis exsisteret, Em^us^ Cardinalis Secretarius Status addidit in supradictis regionibus privilegiatum cleri forum contrario usu plus quam saeculari abrogatum esse. Qui contrarius usus prorsus idem in pluribus aliis regionibus exsistit. Dicendum itaque videtur : ubi eadem est ratio eadem sit conclusio.

Verum num inde erues cuilibet plane licere ut, sine ullo personarum respectu, sacerdotes ac praelatos in ius vocet quotiescumque laïcum convenire possit ? Minime gentium. Cessante enim positivo iure, naturale manet, quo edicitur ut debitam observantiam superioribus praestemus et scandalum vitemus.

ERRATUM

Pag. 165, linea 37, *pro* iis tantum exceptis de quibus infra b) et c), *lege :* de quibus infra 1, a) et b) ; et 2, b) et c).

Praeterea festum SS. Philipppi et Iacobi et festum S. Ioannis ante Portam Latinum interdum de Scriptura occurrente lectiones I Nocturni habent.

DECRETA SUMMATIM RELATA

564. — *SS. D. N. PII PP. X*

A. *Societas Nostrae Dominae a Sacro Corde Iesu, Bogotae instituta, erigitur in primariam cum facultate aggregandi* (A. A. S. 20 dec. 1911, 3, 651).

Erectio in primariam.

Litteris Apostolicis 8 nov. 1911, S. Pontifex Sodalitatem N. D. a Sacro Corde Iesu, Bogotae penes Ecclesiam Ordinis Eremitarum S. Augustini erectam, Primariam pro universa Columbiana ditione declaravit, cum facultate aggregandi.

B. *Dividitur apostolica Praefectura Littoris Eburnei et erigitur novus Vicariatus* (A. A. S. 20 dec. 1911, 3, 653).

Divisio Praefecturae et erectio Vicariatus.

Litteris apostolicis 17 nov. 1911, Praefecturae Littoris Eburnei pars septentrionalis constituitur in Praefecturam « a Korogo » nuncupandam ; pars meridionalis erigitur in Vicariatum Apostolicum « Littoris Eburnei ».

C. *Alloquitur S. Pontifex novos Cardinales, occasione impositionis bireti, 29 nov. 1911* (A. A. S. 20 dec. 1911, 3, 655).

Argumentum allocutionis.

S. Pontifex queritur S. Purpuram nostris diebus esse symbolum doloris et sacrificii. Ipsum tamen solatur laetitia quacum in Anglia, Hollandia et praesertim in America creatio novorum Cardinalium excepta sit a concivibus suis catholicis, immo et ab acatholicis. Galliam autem praedicit reversuram ad Christum, ipsam comparans Saulo persecutori et paenitenti.

D. *Reformatur Curia dioecesana Romana* (A. A. S. 15 ian. 1912, 4, 5).

Reformatur Vicariatus Urbis.

Constitutione *Etsi Nos*, 1 ian. 1912, S. Pontifex reformavit Curiam suam dioecesanam Romanam seu Urbis Vicariatum. In posterum dispescitur in *quattuor Officia :* 1° de divino cultu et visitatione apostolica ; 2° de cleri et christiani populi disciplina ; 3° de iudiciariis negotiis ; 4° de oeconomica administratione. Quibus Officiis, sub Cardinali Vicario, praesunt quattuor Praelati, qui respective vocantur *Commissarius, Assessor, Auditor, Praefectus administrationi*, suppresso munere Vicesgerentis, Locumtenentis, Secretarii et Auditoris Vicariatus.

Varia eius officia.

Quod ad primum Officium : a) Ad peragendam singulis quinquenniis visitationem apostolicam, suppressa Congregatione quae hoc nomine vocabatur, iuxta Const. *Sapienti consilio* qua Curia Romana est reformata (29 iun. 1908), instituitur *Commissio*, cuius Praeses erit Cardinalis Vicarius et membra nata Cardinales Praefecti SS. CC. Concilii et Religiosorum, a secretis autem Commissarius Vicariatus. Quae Commissio in visitatione

peragenda (nullo loco aut persona excepta, praeter S. R. E. Cardinales, palatia apostolica et S. Sedis officia) servabit regulas statutas decreto S. C. Consistorialis, 31 dec. 1909. (Cfr. PERIODICA, n. **382**, t. 5, p. 102.)

b) Officio primo insuper competit moderari quicquid in ecclesiis aliisque sacris Urbis locis cultum divinum spectat, sanctorum reliquias, sacras imagines, legatorum adimplementum. Insuper ipsi adiunguntur lipsanotheca, coetus ab archeologia et a musica sacra, et commissio ab arte sacra nunc primum constituta.

Quod ad alterum Officium : dividitur in quattuor sectiones :

1. Prima Sectio, scil. *De clero saeculari et regulari*, componit ea quae pertinent ad pravas opiniones profligandas, ad iuramentum et professionem fidei exigendam, ad seminaria et admissionem ad SS. Ordines, ad approbandos confessarios et contionatores, ad provisionem paroeciarum, etc. Adiunguntur varii coetus, ut *Examinatorum Cleri*, qui in posterum 18 erunt et ad invitationem Cardinalis Vicarii operam suam navabunt experimentis habendis ad provisionem paroeciarum, ad clericorum ordinationem, ad approbationem sacerdotum ad confessiones, itemque ad amotionem alicuius parochi decernendam.

2. Altera Sectio est *De institutis religiosis mulierum.* Ad eam pertinent sex sacerdotes delegati qui in singulis Urbis regionibus conventus mulierum visitent. Omnes in posterum conventus mulierum uni Cardinali Vicario subiecti sunt, suppressis privilegiis quibus nonnullae domus aliquibus S. R. E. Cardinalibus aut Praelatis obnoxiae erant.

3. Tertia Sectio est *De scholis, collegiis aliisque educationis laicorum institutis.* Ad hanc pertinet Consilium scholasticum, sub Cardinalis Vicarii seu Assessoris auctoritate constituendum, quod curabit delectum magistrorum et librorum, interiorem disciplinam, rectam iuvenum institutionem, conservationem aedium patronatus, opera « post-scholaria ». Scholae ad erudiendam laicam iuventutem deinceps subiectae erunt omnes Cardinali Vicario, salvis tamen Religiosorum exemptionis legibus.

4. Quarta Sectio est *De confraternitatibus aliisque consociationibus et operibus socialibus.* Ad hanc pertinent, praeter consilia ad dirigendam unamquamque consociationem, Consilium actionis catholicae in Urbe. Congregatio doctrinae christianae in singulis paroeciis constituenda, etc. Consociationes omnes in posterum subiectae erunt Cardinali Vicario, salvis tamen legitimis earum statutis quod ad modum huius iurisdictionis exercendae.

Quod ad tertium Officium, scil. de iudiciariis negotiis : unicus iudex primae instantiae erit Cardinalis Vicarius, qui regulariter per Auditorem suum causas videbit, ad tramites iuris. Ad hoc officium etiam spectant processus de dispensationibus matrimonialibus, de mandatis status liberi etc.

Quod ad quartum Officium, scil. de administratione oeconomica : unica haec erit administratio pecuniaria omnibus Vicariatus Officiis, quae etiam rectam gestionem bonorum paroecialium curabit.

De cleri disciplina instauranda.

E. *Urgetur cleri disciplina in Republica Venezuelana* (A. A. S. 15 ian. 1912, 4, 23).

Litteris apostolicis 8 dec. 1911, Archiepiscopum Caracensem S. Pontifex

solatur, et hortatur ad disciplinam cleri instaurandam, ad seminaria rite constituenda, ad non facilius alumnos SS. Ordinibus initiandos : « Omnino enim praestat alicubi nullum adesse sacerdotem, quam adesse eiusmodi, qui vitae perversitate offendens, pestem ac perniciem christianae plebi, pro salute, paret. »

F. *Erigitur in basilicam minorem templum S. Ioseph in civitate Bonaërensi* (A. A. S. 31 ian. 1912, 4, 50).

Erigitur basilica minor.

Litteris apostolicis 15 ian. 1912, vetustissimum templum parochiale S. Ioseph, Deiparae Virginis Sponsi, in civitate Bonaërensi decoratur titulo basilicae minoris.

G. *Erigitur in archiconfraternitatem ad honorem, Sodalitas SS. Rosarii in oppido « Mojano »* (A. A. S. 15 feb. 1912, 4, 97).

Erigitur archiconfraternitas.

Litteris apostolicis 29 ian. 1912, S. Pontifex Sodalitatem SS. Rosarii in oppido « Mojano », dioecesis S. Agathae Gothorum, erigit in archiconfraternitatem ad honorem.

H. *Erigitur in archiconfraternitatem Associatio Horae Sanctae perpetuae instituta in archidioecesi Tolosana* (A. A. S. 29 febr. 1912, 4, 137).

Erigitur archiconfraternitas.

Litteris apostolicis 17 febr. 1912, S. Pontifex Associationem Horae Sanctae perpetuae de Gethsemani, in archidioecesi Tolosana institutam, erigit in archiconfraternitatem cum facultate aggregandi in universa ditione gallica.

565. — *S. CONGR. INDICIS*

Proscripti libri (A. A. S. 31 ian., 15 et 29 febr. 1912, 4, 56 et 102. 103. 144).

Decreto 22-24 ian. 1912, S. Indicis Congregatio opera haec damnavit :

L. Duchesne, *Histoire ancienne de l'Eglise. Paris.*

Abbé Dolonne, *Le clergé contemporain et le célibat. Paris, s. a.*

Letters to His Holiness Pope Pius X. By a Modernist. Chicago 1910.

The Priest. A Tale of Modernism in New-England. By the author of *Letters to H. H. P. Pius X.* Boston, 1911.

Adveniat regnum tuum, 1. Letture e Preghiere cristiane. — 2. Rituale del Cristiano. — 3. L'anno cristiano. Roma, 1904-5.

Venancio Gonzalez y Sanz, *La bancarotte del Protestantismo ; estudio historico, historico-sociologico-critico.* Madrid, 1910.

L. Chouilly, *Carnet du petit Citoyen. Résumés d'instruction morale et civique. — Cours moyen et supérieur.* Verdun, 1910.

Tommaso Gallarati Scotti. *Storia dell' amore sacro e dell' amore profano.* Milano 1911.

Decreto vero 1 febr. 1912 damnavit opus hoc :

Mariano Palmarini, *Quando non morremo. Romanzo eroico.* Milano, 1911.

Praeterea, litteris Secretarii monemur Zenner-Wiesmann, O. Wecker, Aug. Humbert, Ottocarum Prohaszka, auctorem (P. A. S.) operis inscripti *Catechismo di storia sacra*, R. D. L. Duchesne et R. Venantium Gonzales, decretis 8 maii, 5 iun. 1911 et 22 ian. 1912 laudabiliter se subiecisse.

566. — *S. C. DE PROPAGANDA FIDE*

A. *Dividitur praefectura apostolica Uellensis* (A. A. S. 31 ian. 1912, 4, 55).

Erectio praefecturae.

Decreto 18 dec. 1911, S. C. de Propaganda Fide divisit praefecturam apostolicam Uellensem in duas partes secundum gradum 26° 30' Est Greenwich, quarum prima, Canonicis Praemonstratensibus Abbatiae Tongerloo credita, nomen acciperet de Uellè Occidentali, altero vero FF. Praedicatoribus provinciae Belgicae commissa, nuncuparetur de Uellè Orientali.

567. — *S. CONGREGATIO RITUUM*

Introductio causae.

A. Die 6 sept. 1911, signata est Commissio Introductionis Causae Venerabilis Servi Dei Benvenuti Bambozzi, Sacerdotis Ordinis Minorum Conventualium (A. A. S. 15 ian. 1912, 4, 27).

Introductio causae.

B. Die 13 dec. 1911, signata est Commissio Introductionis Causae Venerabilis Servae Dei Mariae Teresiae Haze, fundatricis Congregationis Filiarum a Cruce (A. A. S. 15 febr. 1912, 4, 103).

568. — *E SECRETARIA STATUS*

Declaratur Indultum de abstinentia et ieiunio pro America latina, 1 ian. 1910 [1] (A. A. S. 20 dec. 1911, 3, 669).

Responsa ad dubia de cumulandis indultis et mixtis epulis.

Ex aud. SSi die 13 dec. 1911, Revmo Vicario Apco Guyanae Britannicae responsum est: privilegia seu indulta C. *Trans Oceanum*, 18 april. 1897, cum indulto 1 ian. 1910 cumulari posse; — diebus autem quibus hoc indulto frui licet firmam manere prohibitionem miscendi carnes et pisces, nisi speciale Indultum apostolicum obtineatur; — ita ut prohibitio ista Nigritas et Indos etiam respiciat.

569. — *S. ROMANA ROTA*

Nullitas matrimonii ob vim et metum.

A. Die 7 iulii 1911, S. Romana Rota in causa Tunkinen. Nullitatis matrimonii, inter Ioannem Tien et Agnetem Canh, declaravit constare de nullitate matrimonii, propter impedimentum vis et metus, praecipue attendendum cum in regione annamitica parentes solant filiis et filiabus suis coniugem assignare (A. A. S. 20 dec. 1911, 3, 661).

---

[1] Periodica, n. 401, t. 5, p. 134.

Sententia rerum sub secreto actarum.

B. Die 10 ian. 1912, ex Cancellaria S. Rotae prodiit pars dispositiva 27 sententiarum decursu anni 1911 sub secreto actarum (A. A. S. 15 ian. 1912, 4, 29).

Cura animarum.

C. Die 2 sept. 1911, S. Romana Rota in causa Salutiarum, Iurium, inter Parochum ecclesiae cathedralis Salutarum et Capitulum eiusdem ecclesiae cathedralis, statuit curam animarum non competere Capitulo, sed Parocho (quoniam instrumentum erectionis Capituli nullam omnino curam animarum ipsi tribuit) universaliter et independenter a Capitulo exercendam ; regimen ecclesiae cathedralis competere ad Capitulum pro functionibus capitularibus, ad Parochum vero pro functionibus parochialibus ; Parochum quoque habere ius residendi in domo ecclesiae cathedrali adiacenti, eamque domum ad usum habitationis aptandi suis sumptibus, et independenter a Capitulo (ita saltem ex aequitate, sub dependentia Ordinarii et refectis damnis quae Capitulo obvenire possent) (A. A. S. 15 ian. 1912, 4, 32).

Optionis ius peremptum.

D. Die 12 aug. 1911, S. Romana Rota in causa Melevitana, Optionis, inter Can. M. Ciappara et Can. A. Mifsud, statuit huic alteri adiudicandam esse praebendam, quoniam Can. Paenitentiarius iure optionis destituitur si suo tempore officium non resignavit (A. A. S. 31 ian. 1912, 4, 85).

Nullitas matrimonii, ob vim et metum.

E. Die 2 iun. 1911, S. Romaua Rota, in causa Veszprimien., Nullitatis matrimonii, inter Nataliam Andrassy et Aladarum Széchényi, declaravit constare de matrimonii nullitate, ex capite vis et metus. Cum autem metus ille tempore celebrationis matrimonii sufficienter publicus esset, non potuit postea sanari matrimonium per privatam consensus renovationem et vitam coniugalem fere per viginti annos protractam, eo vel magis quod ignorabatur nullitas matrimonii. Causa haec iam ter fuerat ita diiudicata, deinde a S. Pontifice delata est ad S. Rotam, cum clausula « ut videant omnes » auditores. (A. A. S. 15 febr. 1912, 4, 108).

Pensio.

F. Die 25 nov. 1911, S. Romana Rota in causa Aretina, Pensionis, inter D. Donati parochum loci « Bagnoro » et D. Marcantoni, oeconomum Curatum S. Agathae loci Saccione, statuit praestandam esse pensionem de qua ambigebatur (A. A. S. 15 febr. 1912, 4, 119).

Nullitas matrimonii ob condicionem substantiae contrariam.

G. Die 9 dec. 1911, S. Romana Rota in causa Neo-Eloracen. Nullitatis matrimonii, inter M. Paulum Boni de Castellane et Annam Gould, statuit non constare de nullitate matrimonii, ex capite condicionis obstantis substantiae coniugii (A. A. S. 29 febr. 1912, 4, 146).

Nova causae instructio negatur.

H. Die 29 nov. 1911, S. Romana Rota in causa Baltimoren. Nullitatis matrimonii inter Mariam Reid et Frid. Parkust, censuit reiciendam esse novam instructionem, quae expetebatur propter novas res productas (A. A. S. 29 febr. 1912, 4, 157).

I. Salsmans, S. I.

BIBLIOGRAPHIA [1]

Apologeticum

E. Thibaut (S. I.), *Les Jésuites et les fermes-chapelles.* A propos d un débat récent. 1902, in-8, 32 p. Bruxelles, Goemaere. Prix 0,50 fr.

Canonica et Liturgica

J. Besson (R. D.), *L'instruction « Inter ea » et l'administration temporelle des communautés religieuses.* Texte, Traduction et Explication. 1 vol. in-16, 96 p. 1,25 fr. (franco) Paris, Beauchesne, 1912.

C. Callewaert (R. D.), *La Réforme du Bréviaire ;* son esprit, ses prescriptions nouvelles. 1 vol. in-8, 63 p. Bruges, Beyaert, 1912.

Jos. Pauwels (S. I.), *Modus recitandi divinum officium iuxta novas rubricas,* opusculum. Mechliniae, Dessain, 1912. 1 exempl. = 0,10 ; 25 = 2,25 fr. ; 100 = 7,50 fr.

Oeconomica. Socialia

G. Goyau. *L'Œuvre sociale de l'État Belge* (1884-1912). 32 p. Paris, (Poussielgue) de Gigord, 1912.

L'avènement des catholiques : leur programme social. — La protection ouvrière. — La représentation ouvrière. — La prévoyance. — La protection et le relèvement des petits paysans. — Le relèvement des petits métiers. — Conclusion.

Cyr. Van Overbergh. *L'assistance aux étrangers,* in-12, 248 p. Bruxelles, Dewit, 1912.

Introduction. TITRE I. Rapport général sur la question de l'assistance aux étrangers. Ch. 1. Les principes. — Ch. 2. Examen de la situation internationale. — Ch. 3. Le remboursement ou le non-remboursement. — Ch. 4. Les mesures de police. — Ch. 5. Les associations ou sociétés de bienfaisance. — Ch. 6. Les vœux proposés au Congrès. — Ch. 7. La mise en rapport des vœux avec les conclusions des Congrès antérieures.

TITRE II. Projet de résolution de la délégation Française.

TITREIII. La discussion générale au Congrès international de Copenhague.

TITRE IV. Composition au Comité international.

TITRE V. Les résolutions du Congrès international de Copenhague.

J.-B. Geniesse. *Préface aux « Essais sur la Question sociale » de M. de Karnice-Karnicki,* in-8, 39 p. Paris, Niesson, 1911.

J. Ingels. *Le droit d'association et la personnification civile,* in-12, 42 p. Bruxelles, Larcier, 1911.

Rutten (O. P.), *Petit Manuel d'Etudes sociales.* 1 vol. in-8, 152 p. Gand, Imprimerie « Het Volk », 1912.

1e PARTIE : Les études nécessaires pour tous : La science professionnelle. — Les études sociales générales. — Conclusion.

2e PARTIE : Les études nécessaires aux spécialistes : Les sources. — Les grandes vues d'ensemble.

Epilogue. — A la jeunesse laïque. — Au jeune clergé. — Annexes.

L. Bernard. *Les Idées Révolutionnaires dans les campagnes du Bourbonnais,* in-16, 62 p. Montluçon, A. Herbin, 1911. Prix : 1 fr.

[1] Tous les ouvrages cités dans la Bibliographie sont en vente chez M. Beyaert, Libraire, Bruges.

MONUMENTA

570. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

DECLARATIO 28 NOV. 1911, ET MONITUM

De irregularitate et de sacerdote apostata

(A. A. S. 20 dec. 1911, 3, 658.)

A. **Romana**. *Declaratio 28 nov. 1911 de dispensatione ab irregularitate.*

Ab irregularitate ex delicto, S. C. de Sacramentis dispensat.

Propositio dubio « utrum, vi decisionis huius S. Congregationis Consis-« torialis diei 27 februarii 1909, facultas concedendi presbyteris dispensa-« tionem ab irregularitate, sive haec oriatur ex delicto, sive ex defectu, « spectet ad S. Congregationem de Sacramentis, an potius ad S Congre-« gationem Concilii » ; SSmus D. N. Pius PP. X, attentis votis tum a Secretis utriusque Congregationis de Sacramentis et Concilii, tum huius S. Congregationis Consultorum, mandavit respondeatur « dispensationem « ex defectu reservari ad S. Congregationem de Sacramentis, ex delicto autem ad S. Congregationem Concilii ».

Dies (28 nov. 1911).

Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis Consistorialis, die 23 novembris anno 1911,

C. Card. De Lai, *Ep. Sabinen., Secretarius.*

Scipio Tecchi, Assessor.

B. *Monitum*

Narratis factis sacerdotis.

Sacerdos quidam, nomine Torrente, qui, anno praeterito, placita protestantium et spiritistarum amplectens, fidem catholicam magno apparatu abdicavit, ab infestis perniciosisque erroribus inter veteres sodales et fideles pervulgandis minime destitit, quinimmo in dies periculosior evadit eo quod artibus dolisque suis scelestum suum propositum simulare conatur.

Cautio praecipitur.

Ad haec mala itaque vitanda, maioraque praecavenda, necesse omnino est ut dioecesum Ordinarii, praecipue Hispaniarum et Americae Latinae, in quibus ipse peragrari dicitur, diligenter invigilent et praedictum sacerdotem a quovis sacro ministerio peragendo prohibeant.

571 — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

RESPONSA 19 IAN. 1912

De laurea et privilegiis doctoralibus

Romana clericorum regularium a Matre Dei (A. A. S. 30 mart. 1912, 4, 245.)

Orator. Sacrae Congregationi de Religiosis a R^mo^ P. Procuratore Generali Clericorum Regularium a Matre Dei proposita fuerunt haec dubia :

Dubia.

De vetita doctoratus laurea.

1. An expediat vetitum de Doctoratus Laurea, de quo in Cap. XIII, Art. 6, Part. I. Constitutionum Clericorum Regularium a Matre Dei, expungere ?

Et quatenus Affirmative :

2. An dictum vetitum ex tunc pro expuncto habendum sit ?

Et quatenus Affirmative :

Quid si Doctores ingressi sint.

3. An titulus et privilegia Doctoratus competere dicenda sint tam his qui ante, quam his qui post ingressum in Congregationem Lauream assecuti sunt ; vel saltem in hoc, pro utroque casu, standum menti Constitutionum ?

Plenarius coetus, 24 nov. 1911.

Porro E^mi^ Patres Cardinales, in Plenario Coetu habito in aedibus Vaticanis die 24 novembris 1911, responderunt :

Responsa.

Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Affirmative.

Ad mentem.

Ad 3. Affirmative ad primam partem ; Negative ad secundam ; et ad mentem. Mens est : ut, quod ad illos qui Congregationem ingrediuntur insigniti Laurea doctorali, in potestate sit eiusdem Congregationis eos novo examini subicere.

Approbatio SS^i^.

Quas resolutiones Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, in audientia die 6 decembris eiusdem anni infrascripto Secretario Sacrae Congregationis concessa, approbare et confirmare dignatus est. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Dies (19 ian. 1912).

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 19 ianuarii 1912.

Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus,*
† *Donatus, Archiep. Secretarius.*

Annotationes

1. Responsa ista, quibus constitutiones Ordinis Regularis mutantur ut sodales lauream doctoralem consequi possint, praesentem S. Sedis sollicitudinem demonstrant ut regulares cum humilitatis studio solidam scientiam coniungere conentur, atque, dum obtentae laureae titulum praeferunt quamnam fiduciam mereantur aliis personis aliquo modo demonstrare possint. Plenarius tamen coetus qui de re deliberavit, et intervallum quo approbatio SS^mi^ a S. Congregationis conclusione

separatur, manifestum faciunt rem pro difficili habitam, et maturo consilio definitam esse.

2. Responsionem tertiam *ad mentem* ita interpretamur, ut quos Doctores ingressos in novo examine minus peritos repererint, possint Superiores usu tituli privare. (Namque hodie in hoc potissimum stat doctoratus privilegium ut Doctor dicatur et scribatur, qui lauream assecutus est.) Ne quispiam autem miretur istam facultatem factam examinandi viros qui iam doctores renuntiati sint, memoremus esse in Urbe collegia quaedam quae Doctores sine examine creare possunt, ita ut titulus competentem scientiam non semper certo revelet.

---

572. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

RESPONSA 1 FEBR. 1912

Declarationes decreti « inter reliquas » circa servitium militare quod ad religiosos sodales

Romana et aliarum (A. A. S. 30 mart. 1912, 4, 246.)

Edito Decreto *Inter reliquas* [1], die prima ianuarii superioris anni, respiciente servitium militare a viris religiosis praestandum, nonnulla exorta sunt dubia, quorum solutio expetita fuit a Sacra Congregatione de Religiosis, nempe :

Per occasionem decreti Inter reliquas,

Dubia.

I. Utrum vota perpetua emissa ante promulgationem Decreti *Inter reliquas*, cessent ipso facto, quando servitium militare activum assumitur ?

De votis ante nuncupatis.

II. Utrum vota temporanea item cessent ipso facto, quando idem servitium assumitur ?

III. Utrum valida sit professio sollemnis in Ordinibus, et perpetua in Institutis votorum simplicium, emissa in bona fide ab eo qui falso existimavit se a servitio militari exemptum esse ?

De validis votis ante expletas conditiones factis.

IV. Utrum valida sit professio sollemnis in Ordinibus, et perpetua in Institutis votorum simplicium, emissa antequam completus fuerit annus a die expleti servitii militaris activi ?

V. Utrum integer annus defluere debeat, antequam ad professionem sollemnem vel perpetuam admittatur ille qui per tres tantum menses servitio militari activo addictus fuit ?

Quid si quis tres tantum menses miles fuit ?

VI. Utrum ad professionem sollemnem vel perpetuam, admitti possint ii Religiosi qui, servitio militari activo subiecti, firmum tamen habent et manifestant animum sese exteris Missionibus addicendi, in iisque permanendi usque ad tempus a lege civili statutum ad perpetuam exemptionem a servitio militari adipiscendam, ut, verbi gratia, in Italia est trigesimus secundus aetatis annus ?

Quid si velint missionibus exteris addici.

---

[1] Cfr. PERIODICA nostra, n. 472, t. 5, p. 282-284.

Plenarius coetus, 24 nov. 1911. Emi autem ac Rmi Patres Cardinales Sacrae huius Congregationis de Religiosis, in Plenario Coetu ad Vaticanum habito die 24 nov. 1911, omnibus mature perpensis, respondendum censuerunt :

Responsa.

Ad I. Ad I. Negative.

Ad II. Ad II. Negative per se, seu vota non cessare ipso facto, initio servitii militaris ; posse tamen Religiosos petere votorum dispensationem a prima die militaris servitii, iuxta Art. VIII Decreti *Inter reliquas*, si perseverare non intendant ; si perseverare intendant, in nullo casu novam votorum professionem emittere posse, nisi expleto servitio militari, etiamsi tempus professionis durante servitio militari exspiraverit.

Ad III. III. Ad Negative.

Ad IV. Ad IV. Negative.

Ad V. Ad V. Negative, sed necessarium esse et sufficere in casu trimestre, vel spatium temporis, brevioris anno, correspondens tempori in servitio militari transacto.

Ad VI. Concessio facta. Ad VI. Negative per se. Concedit tamen Sacra Congregatio ut ultimo studiorum curriculi anno liceat iuvenes ad sacras Missiones intra annum profecturos, ad sollemnem, seu respective ad perpetuam professionem admittere et ad sacros Ordines promovere, emisso prius ex parte candidati iuramento de servitio Missionibus praestando usque ad tempus praefinitum a lege civili ad exemptionem obtinendam, et onerata Superiorum conscientia de eiusdem exsecutione.

Approbatio SSmi. His autem omnibus et singulis responsionibus relatis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae Decimo, in Audientia die 6 decembris 1911 ab infrascripto Sacrae Congregationis Secretario habita, Sanctitas Sua easdem approbare et confirmare dignata est. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dies (1 febr. 1912). Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis de Religiosis, die 1 februarii 1912.

Fr. I. C. Card. Vives, *Praefectus,*
† *Donatus, Archiep. Ephesinus, Secretarius.*

Annotationes

Decretum *Inter reliquas,* quod modo exscriptis responsis declaratur, in Periodicis nostris, t. 5, p. 284-286 interpretati sumus. Has notas iam ex praesentibus responsis perficere debemus. Itaque :

1. Cum in decreto *Inter reliquas* de votis ante promulgatam, die 16 ian. 1911, legem novam nihil statuatur, bina priora responsa quibus vota sic facta valere dicuntur (excepta facultate dispensandi vota temporalia, ex art. 8 decreti *Inter reliquas*) evidenti ratione nituntur.

2. Valorem professionis sollemnis vel perpetuae, contra decreti condiciones factae dubium habuimus, p. 286. Ac rem esse quae ex ipso decreto S. Sedi proponi debeat addidimus. S. porro Congregatio, quae hodie multas istas nullitatis causas minus quam ante formidare videtur, responso 3° et 4° pro nullitate respondit.

3. Responso quinto nova lex conditur, secundum quam ii qui per brevius anno temporis spatium militari debuerunt, debent per idem temporis spatium quo in militia versati sint, exspectare ut, finita militia, professionem sollemnem aut perpetuam efficiant.

4. Sexto demum responso S. Sedes indulget ut, emisso iuramento de servitio Missionibus praestando donec plenam in patria exemptionem consecuti fuerint, iuvenes qui in ultimo studiorum anno iam sunt (non itaque satis est ut in anno versentur post quem sacros ordines recipere consueverint, nisi annus iste ultimus fuerit studiorum) et infra annum profecturi sunt, sollemnem seu perpetuam professionem facere et sacris ordinibus augeri possint.

Responso isto nihil contradicitur nostrae observationi factae p. 285, initio, de his qui iam in peregrina regione versentur, ubi actu immunes sunt. Similes tamen cautiones adhibendae videntur, ut sacris ordinibus non augeantur nisi sub finem studiorum, vel saltem non ante absolutum tertium theologiae annum, et iuramento praestito de serviendo Ordini extra patriam donec plene exempti fuerint.

---

573. — S. C. CONSISTORIALIS

DECRETUM 23 FEBR. 1912 [1]

Praecepta iansenismi abiuratio Belgio et Hollandiae aufertur

Oratores,

Nuper sacrorum Antistites in Belgio et Hollandia unanimi voto SS^mum Dominum Nostrum Pium PP. X efflagitarunt, ut praescriptis professioni fidei et iuramento contra hodiernae aetatis errores deinceps non adderetur formula ab Alexandro VII pro Belgio et Hollandia contra errores iansenisticos praescripta, utpote quae minus opportuna ac necessaria, attentis praesentis temporis adiunctis, videbatur. Quod probe noscens SS^mus D. N. de consulto S. Congregationis Consistorialis memoratis precibus annuendum esse censuit, ac mandavit ut per Decretum eiusdem S. Congregationis omnes ad quos spectat in Belgio et Hollandia releventur ab obligatione addendi in professione fidei formulam illam ab Alexandro VII statutam, quae hisce verbis continetur : « Ego... constitutioni Apostolicae Innocentii X datae d. 31 maii 1653 et Constitutioni Alexandri VII, datae d. 16 octobris 1656, Summorum Pontificum, me subicio et quinque propositiones ex Cornelii Iansenii libro *Augustinus* excerptas et in sensu ab eodem auctore intento, prout illas per dictas constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo reicio et damno, et ita iuro. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia. »

inutilis iam praecepti abrogationem **postulant**.

Quod **concedens** *SS^us decretum edi iussit.*

---

[1] Ex COLLATIONIBUS GANDAVENSIBUS, t. 3, april. 1912, p. 81 ss.

Decretum. In exsecutionem autem Apostolici mandati per hoc consistoriale Decretum atque a die publicationis eiusdem, statuitur ac decernitur ne in universis Belgii atque Hollandiae dioecesibus professioni fidei amplius addatur relata formula a s. m. Alexandro VII olim prudenter praescripta; quibuscumque in contrarium facientibus non obstantibus.

Dies (22 febr. 1912). Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die XXII februarii 1912.

C. Card. De Lai, Ep. Sabinen., *Secret.*
Scipio Tecchi, Assessor.

Annotatio

Bulla *Regiminis Apostolici*, 15 febr. 1665 [1], Alexander VII formulam modo suppressam, intra tres menses, Galliae subscribendam proposuit. Post frustraneum conatum Clementis IX, episcopi Belgii formularium aliquanto adauctum proposuerunt. Hac tunc occasione Innocentius XII brevi *Sanctissimus*, 6 febr. 1694, formulam Alexandri VII Belgio et Hollandiae utendam praecepit.

---

574. — S. CONGR. RITUUM

INDULTUM 28 FEBR. 1912

De transferendo Ordis Praedicatorum privilegio processionis SSi (A. A. S. mart. 1912, 4, 177.)

Orator, memorato privilegio, **postulat** *eius in aliam dominicam translationem.* De mandato Rmi Patris Fr. Hyacinthi Mariae Cormier, Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum, Rmus P. Fr. Maria Henricus Desqueyrous, Procurator Generalis eiusdem Ordinis, Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam X supplicibus votis rogavit, ut privilegium suo Ordini concessum a Sancto Pio V et confirmatum a Summis Pontificibus Clemente VIII et Benedictio XIII, nempe processionem agendi qua defertur Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum Dominica infra Octavam Sollemnis Commemorationis SSmi Corporis D. N. I. C., transferre dignaretur in Dominicam primam post eandem Octavam; siquidem ex novissimo Decreto Urbis et Orbis diei 24 iunii anni superioris, Processio sollemnis cum Sanctissimo Sacramento, quae in *Caeremoniali Episcoporum*, lib. II, cap. 33, praescribitur, die Dominica infra Octavam Sollemnis Commemorationis SSmi Corporis D. N. I. C. ubique peragenda est. Sanctitas porro Sua, referente infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto, precibus benigne annuens, indulsit Fratribus memorati Ordinis, ut

Conceditur.

---

[1] Id est 1664 ab Incarnatione Domini. Erravit itaque Denzinger-Bannwart n. 1099, dum, nostro kalendario utens, constitutionem ad annum 1664 ascripsit; erravit etiam Bullarium Romanum (t. 6 parte 6, p. 52) dum annum ab incarnatione posuit 1665; minime autem erravit Bullarium Luxemburgense (t. 6, p. 221) dum annum ab incarnatione scripsit 1664.

Dominica prima post Octavam Corporis Christi, Processionem cum Sanctissimo Eucharistiae Sacramento instituere valeant, eo prorsus modo quo a Romanis Pontificibus concessa fuerat eidem Ordini facultas illam agendi Dominica infra Octavam praefatae Sollemnitatis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 28 februarii 1912. *Dies (28 febr. 1912).*

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secretarius.*

ANNOTATIO

Privilegium istud sollemnes instituendi processiones infra octavam sollemnis commemorationis SS. Corporis Christi non solis Fratribus Praedicatoribus concessum est, sed ex Brevi Gregorii XIII *Cum interdum*, 11 martii 1573 (B. R. t. 4, parte 3, p. 252 ss.), et C. Innocentii XII, *Sua Nobis* 29 febr. 1696 (apud FERRARIS, v. *Processiones*, n. 29), omnibus Regularibus commune factum est.

Quocirca quaeri potest an praesens indultum omnibus Regularibus communicatione privilegiorum prodesse aestimandum non sit. Quod tamen negandum est. Sicut enim legenti C. Gregorii XIII facile perspicitur, privilegium Fratribus Praedicatoribus ob peculiarem huius Ordinis devotionem erga SS. Eucharistiae sacramentum et Angelici Doctoris memoriam concessum est. Propriam itaque in isto Ordine causam habuit, ita ut a Fratribus Praedicatoribus aliis Regularibus opponeretur, nedum omnibus communicari putarent. Et cum praesens indultum isti peculiari privilegio tamquam aliqua eius extensio cohaereat, etiam Praedicatorum Ordine circumscribi videtur.

---

575. — S. CONG. RITUUM

RESPONSA 2, 9 ET 22 MARTII, ET 19 APRIL. 1912

De Novis Rubricis

A. *Responsa 2 martii 1912* — **Dubia** (A. A. S. 15 mart. 1912, 4, 177.)

Ad Sacram Rituum Congregationem pro opportuna solutione sequentia dubia delata sunt; nimirum : **Dubia.**

I. Decurrente anno 1912, Dominicis diebus in quibus, iuxta Praescriptiones temporarias, Missa lecta celebrari potest vel de Festo duplici maiori vel minori occurrente, vel de Dominica, utendumne est, in Missa de Dominica, colore a Kalendario pro Festo occurrente indicato? *De colore in dominicis adhibendo.*

II. Anno proximo 1913, Dominica in Septuagesima occurrit die 19 ianuarii; anticipari propterea debet Dominica II post Epiphaniam. Cum autem in Kalendario Universali singuli dies hebdomadae impediantur Festis ritus duplicis, praeterquam dies 16 in qua occurrit Festum ritus *De anticipanda Dominica II post epiphaniam.*

semiduplicis, et in permultis Kalendariis particularibus nulla dies libera sit a Festo ritus duplicis ; quaeritur an Dominica praedicta in Kalendario Universali anticipanda sit per integrum officium, ut antea, die 16 ianuarii, et in Kalendariis particularibus per simplicem commemorationem die 18 ianuarii ?

De facultate Ordinariorum expungendi festa particularia.

III. Cum ex Praescriptionibus temporariis facta sit locorum Ordinariis et Superioribus Regularium facultas expungendi a proprio Kalendario Festa B. M. V. aut Sanctorum ritus duplicis maioris aut minoris Dominicis diebus assignata ; quaeritur an ipsi eadem gaudeant facultate, quod ad festa fixa particularia a S. Sede indulta, quin necesse sit ad S. R. C. recurrere ?

Responsa.

Et Sacra eadem Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, reque accurato examine perpensa, rescribendum censuit :

Ad I.

Ad I. *Negative ;* et Missa Dominicalis sicut et Missa ferialis colorem sibi proprium iugiter servet.

Ad II.

Ad II. Officium Dominicae II post Epiphaniam impeditae amodo anticipetur in Sabbato aut in alia praecedenti Feria, in qua occurrit Festum ritus semiduplicis. Quod si nullum Semiduplex infra hebdomadam habeatur, anticipetur in Sabbato, aut in alia praecedenti Feria, occurrente etiam Festo ritus duplicis minoris.

Ad III.

Ad III. *Negative*, et in singulis casibus ad S. Rituum Congregationem negotium deferatur.

Dies (2 mart. 1912).

Atque ita rescripsit, die 2 martii 1912.

Fr. S. Card. Martinelli, *S. R. C. Praefectus.*
† *Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., Secretarius.*

B. *Responsa 9 mart. 1912.* **Strigonien. dubia** (A. A. S. 30 mart. 1912, 4, 227.)

Orator. **Dubia.**

Hodiernus Kalendarii Archidioeceseos Strigonien. redactor, de consensu sui R^mi^ Archiepiscopi, sequentia dubia Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime proposuit, nimirum :

De colore in dominica.

I. Rubrica, Tit. X, n. 3, iuxta recentem Constitutionem *Divino afflatu*, colorem Dominicae proprium retinendum iubet, etiam si Dominica infra aliquam Octavam occurrat. Quia vero Rubrica Generalis Missalis, Tit. XVIII, n. 4, colore viridi utendum esse praescribit ab Octava Pentecostes usque ad Adventum ; quaeritur utrum Dominica II post Pentecosten, nempe infra Octavam SS^mi^ Corporis Christi, color viridis, an albus, usurpandus sit ?

De translatione festi SS. Nominis Iesu.

II. Cum anno proximo 1913 post Octavam Epiphaniae immediate sequatur Dominica Septuagesimae, quaeritur utrum Festum SS^mi^ Nominis Iesu transferri debeat, iuxta recentem disciplinam, in diem immediate sequentem ; vel potius, ad normam veteris privilegii memorato Festo concessi, in diem vigesimam octavam ianuarii ?

De Festo S. Familiae.

III. Festum Sanctae Familiae Iesu, Mariae, Ioseph, quod pluribus locis sub ritu duplici maiori concessum est, recensendumne est inter Festa Domini, ita ut praevaleat Officio minoris Dominicae post Epiphaniam recurrentis ?

IV. Et quatenus *affirmative* ad praecedentem quaestionem, quid agendum de Festo Sanctae Familiae, quando Dominica tertia, iuxta compu-

tum civilem, post Epiphaniam occurrit in Dominica Septuagesimae aut Sexagesimae ?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audito voto Commissionis Liturgicae, reque accurato examine perpensa, rescribendum censuit : **Responsa.**

Ad I. Negative ad primam partem ; affirmative ad secundum ; et in Dominicis infra Octavas occurrentibus color Octavae adhibendus est quando in ipsis Officium non de Psalterio sumitur, sed de Octava. *Ad I.*

Ad II. Affirmative ad primam partem ; negative ad secundam. *Ad II.*

Ad III. Affirmative. *Ad III.*

Ad IV. Festum Sanctae Familiae ad instar simplicis redigendum est, quando occurrit in Dominica privilegiata. *Ad IV.*

Atque ita rescripsit, die 9 martii 1912. *Dies (9 martii 1912).*

Fr. S. Card. Martinelli, *S. R. C. Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., Secretarius.*

C. *Decretum 22 mart. 1912* (A. A. S. 15 apr. 1912, 4, 274.)

Novis dispositionibus a Sancta Sede evulgatis, ad S. Rituum Congregationem pro opportuna solutione insequentia dubia delata sunt ; nimirum : **Dubia.**

I. Cum in novis Rubricis unicum praescribatur Suffragium de Omnibus Sanctis in quo mentio fit de Sancto Ecclesiae Titulari, quaeritur quid faciendum in Ecclesiis habentibus pro Titulo aliquod Domini Mysterium ? *De suffragio unico.*

II. An suffragium de omnibus Sanctis locum habeat in Vigilia Omnium Sanctorum, quando de ea fit Officium aut Commemoratio in Officio semiduplici ?

III. An versiculus *Oremus pro Antistite nostro N.* cum suo responsorio, nuperrime inter Preces feriales insertus, dicendus sit etiam ab Episcopis Titularibus cum pronuntiatione nominis Episcopi Dioecesani ? *De « oremus pro Antiste ».*

IV. Num idem versiculus dicendus sit a Missionariis cum pronuntiatione nominis Vicarii Apostolici, aut Praefecti, aut Praelati ?

V. Cum in Feriis Quadragesimae, Quattuor Temporum, II Rogationum et in Vigiliis in quibus occurrat Officium ritus duplicis maioris seu minoris aut semiduplicis, Missae privatae dici possint, ex dispositione novarum Rubricarum, vel de Festo cum commemoratione Feriae, vel de Feria aut Vigilia cum commemoratione Festi ; quaeritur an in hac Missa de Feria aut Vigilia adiungenda sit tertia Oratio pro diversitate temporis ? *De orationibus in Missa de feria.*

VI. Quae Praefatio usurpanda est in Duplicibus II classis Praefationem propriam non habentibus, quando occurrunt in Dominica minori et simul in die Octava alicuius Festi Domini, aut B. M. V, aut Apostolorum ? *De Praefatione.*

VII. Quando Officium Dominicae II post Epiphaniam, ad normam Decreti diei 2 martii currentis anni, anticipatur die decima sexta ianuarii, occurrente etiam die infra aliquam Octavam, huius Octavae Commemoratio fierine debet in Officio eiusdem Dominicae anticipatae ? *De anticipatis Dominicis.*

VIII. Et quatenus affirmative, adiungine debet Suffragium ad Laudes et Preces ad Primam ?

IX. Quando Officium alicuius Dominicae infra hebdomadam anticipatur, Psalmi feriales in Laudibus primo vel secundo loco sumendi sunt ?

X. Utrum suppressa censenda sit facultas adiciendi in Missa orationes usque ad septem in simplicibus et ferialibus per novas Rubricas, quae collectas excludunt quando habetur quarta oratio ? *De orationum numero maximo.*

De collectis. XI. Utrum Collectae, si fuerint duae, ambae adiciendae sint post tertiam praescriptam orationem ; an una tantum ?

Num officia concessa quasi festiva sint suppressa ? XII. Cum quibusdam Dioecesibus, necnon Ordinibus aut Congregationibus Religiosis, Indultum a S. Sede concessum fuerit quaedam Officia particularia semel aut pluries in mense aut in hebdomada, immo etiam singulis anni diebus, exceptis sollemnioribus, celebrandi ; ex gr. SS^mi Sacramenti, SS^mi Cordis Iesu, B. M. V. Immaculatae, etc. sive sub ritu semiduplici, sive etiam sub ritu duplici minori aut maiori, ita ut videantur non officia Votiva, sed quasi Festiva ; quaeritur an ista Officia comprehendantur inter Officia Votiva quae a novis Rubricis (tit. VIII, num. 1) suppressa declarantur ?

Responsa. Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audita sententia Commissionis Liturgicae, reque sedulo perpensa, rescribendum censuit :

Ad I. Ad I. Nihil in casu fiat de Titulo.

Ad II. Ad II. Negative.

Ad III. Ad III. Episcopos Titulares non teneri.

Ad IV. Ad IV. Negative, nisi eadem nomina in Canone Missae, ex Apostolico Indulto, pronuntientur.

Ad V. Ad V. Si Officium ritus duplicis recitatum fuerit, negative ; si vero ritus semiduplicis, affirmative.

Ad VI. Ad VI. Adhibeatur Praefatio quae dicenda foret in Missa de Dominica.

Ad VII. Ad VII. Affirmative.

Ad VIII. Ad VIII. Negative.

Ad IX. Ad IX. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad X. Ad X. Negative.

Ad XI. Ad XI. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad XII. Ad XII. Affirmative.

Dies (22 martii 1912). Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit. Die 22 martii 1912.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., Secretarius.*

D. *Responsa 19 april. 1912* (A. A. S. 30 april. 1912, 4, 322.)

Dubia. Ad Sacram Rituum Congregationem pro opportuna solutione insequentia dubia delata sunt ; nimirum :

De Festis Deiparae et Sanctorum in dominicis. I. Utrum Festa Deiparae et Sanctorum quae sub ritu duplici maiori vel minori in Dominicis agebantur, possint in alia die fixe reponi si eadem Festa mobilia particularia iure vel privilegio translationis et repositionis ornabantur ; an potius debeant, sicuti alia Festa mobilia, ad instar Simplicis commemorari, nisi potius velint omitti.

De translatione festorum I et II classis. II. Num Festa mobilia quae sub ritu duplici I vel II classis alicubi celebrantur, ius translationis et repositionis habeant, quamvis nulla de hoc iure mentio in decreto concessionis aliquibus locis facta habeatur ?

Quid si festa fixa alicubi celebrantur in dominica ? III. Utrum Festa quae in universa Dioecesi vel in toto Instituto die fixa mensis celebrantur, si in aliqua Dioecesis vel Instituti ecclesia sub ritu duplici minori vel maiori Dominicis diebus fuerint hucusque celebrata, debeant commemorari vel omitti iuxta praescriptiones temporarias ; an potius celebrari debeant in die fixa iuxta Kalendarium Dioecesis vel Ordinis, servato ritu forsan altiori Officii eiusdem pro Dominicis diebus in particulari Ecclesia concessi ?

Quid si festa mobilia, per hebdomadam celebranda, impediantur ?

IV. Num Festa mobilia quae in alia per hebdomadam Feria sub ritu duplici maiori vel minori recoluntur, ut Festa Mysteriorum et Instrumentorum Dominicae Passionis, commemorari generatim debeant iis annis quibus impediuntur, etsi ius translationis et repositionis non habeant ?

De facultate celebrandi ob concursum populi festa impedita.

V. Utrum facultas quae data est per novas rubricas, tit. X, num. 3, Festis a Dominica impeditis ut recoli valeant celebratione omnium Missarum, una excepta, ob votum vel concursum populi, extendi possit ad Festa in perpetuum ad instar Simplicis redacta, vel penitus abolita, eo quod Dominicis olim fuerint affixa ?

De Missis in festo I aut II classis.

VI. An Missae omnes quae permittuntur a rubrica, tit. X, num. 3, celebrari possint etiam si occurrat Festum duplex I aut II classis ?

De Missis defunctorum in Quadragesima.

VII. Cum ex nova rubrica, tit. X, num. 2, Missae privatae defunctorum in Quadragesima non liceant nisi prima cuiusque hebdomadae die non impedita ; quaeritur utrum haec prohibitio generalis sit, atque, recurrente Festo semiduplici aut Feria, Missas etiam privatas quidem seu lectas, sed de anniversario alicuius defuncti ex propinquorum devotione celebrari postulatas involvat ?

De orationum numero in missa.

VIII. Utrum in Missa de Feria Quadragesimae celebrata, ad normam novae rubricae, tit. X, num. 2, post commemorationem Festi duplicis eadem die recurrentis, addi debeat tertio loco oratio *A cunctis ;* et si negative, utrum sumi possit collecta ex devotione celebrantis addenda ; et si pariter negative, utrum id liceat in Missa feriali, Festo semiduplici recurrente ?

De Dominica II post epiphaniam.

IX. Cum in Decreto die 2 martii currentis anni praescriptum sit, Dominicam II post Epiphaniam anticipandam esse Sabbato aut in alia praecedenfi Feria, in qua occurrit Festum ritus semiduplicis ; et si nullum semiduplex infra hebdomadam habeatur, in Sabbato aut in alia praecedenti Feria, occurrente etiam Festo ritus duplicis minoris : quaeritur quid agendum si tota hebdomada impediantur Festis classicis aut ritus duplici maioris ?

De colore 2 novembris.

X. Quo colore utendum est in Communione extra Missa administrandam in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum ?

De praefatione in missis votivis,

XI. Num in Missis Votivis Praefationem propriam non habentibus legenda sit Praefatio de Officio Sanctae Mariae in Sabbato, quod in iisdem Missis commemorationem habet ?

et in festis, cum celebratur de feria.

XII. Utrum in Festis novem Lectionum Praefationem propriam in Missa habentibus, et infra tempus Quadragesimale, aut Passionis, aut Paschale celebratis, si dicatur, iuxta rubricam, tit. X, num. 2, Missa de Feria cum commemoratione Festi currentis, adhibenda sit Praefatio Temporis, an Praefatio Festi quod in Missa Feriae commemoratur ?

Quid si ex duabus commemorationibus praefatio sumi possit.

XIII. Quaenam Praefatio adhibenda sit in Missa, Praefatione propria carente, in qua commemoratur tum Festum simplificatum et Praefatione propria gaudens, tum Feria Praefationem Temporis item propriam obtinens ?

De lectionibus S. Scripturae.

XIV. Num occurrente Festo novem Lectionum in Feria II et IV Rogationum et in Feriis Quattuor Temporum Adventus et mensis septembris, legi possint et debeant Lectiones de Scriptura, quae die immediate antecedenti vel sequenti fuerint impeditae, si Festum illud novem Lectionum Lectiones propriás vel de Communi non reposcat ?

XV. Et quatenus affirmative ad XIV :

1° Utrum Lectiones de Scriptura diei praecedentis, an Lectiones de Scriptura diei sequentis sint praeferendae, si ambae fuerint impeditae ?

2° Num a sua die Lectiones de Scriptura occurrente amoveri possint ut in Feriis Homiliam habentibus Lectiones de Scriptura legi possint, ita ut, exempli gratia, si Lectiones Feriae II infra hebdomadam III Adventus impediantur, poni possint et debeant in Feria III et Lectiones Feriae III in Feria IV, et ita in similibus ?

XVI. Num initium alicuius Libri, si aliter poni nequeat, reponi possit et debeat in Festo novem Lectionum, quod Lectiones revera proprias et historicas in I Nocturno habeat, prout habent utraque Cathedra et Vincula S. Petri Apostoli, Conversio S. Pauli Apostoli, Inventio S. Stephani Protomartyris et similia ?

XVII. Et quatenus negative ad XVI, num idem dicendum sit de Lectionibus appropriatis, prout sunt appropriatae in Festo Dedicationis Basilicarum Ss. Petri et Pauli, S. Mariae Maioris et in similibus ?

Responsa. Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audita sententia Commissionis Liturgicae, reque accurato examine perpensa, rescribendam censuit :

Ad I. Ad I. Negative ad primam partem, nisi obtineatur novum Indultum ; affirmative ad secundam, iuxta novas dispositiones.

Ad II. Ad II. Affirmative.

Ad III. Ad III. Negative ad primam partem ; affirmative ad secundam.

Ad IV. Ad IV. Affirmative, iuxta novas rubricas, tit. III, num. 4.

Ad V. Ad V. Affirmative, pro simplificatis ; negative pro abolitis.

Ad VI. Ad VI. Negative, salva tamen rubrica generali Missalis, tit. VI, *de translatione Festorum*.

Ad VII. Ad VII. Affirmative.

Ad VIII. Ad VIII. Quod ad primam partem, provisum per Decretum diei 22 martii 1912 ad 5 ; quod ad secundam et tertiam partem, negative.

Ad IX. Ad IX. In casu Dominica anticipetur in Sabbato, aut in alia praecedenti Feria in qua occurrit Festum ritus duplicis maioris.

Ad X. Ad X. Utendum colore violaceo, aut albo.

Ad XI. Ad XI. Affirmative ad mentem recentium Decretorum.

Ad XII. Ad XII. Adhibeatur Praefatio Temporis, utpote propria Missae.

Ad XIII. Ad XIII. Adhibeatur Praefatio Festi simplificati et prius commemorati.

Ad XIV. Ad XIV. Affirmative.

Ad XV. Ad XV. Quod ad primam partem, legantur Lectiones diei praecedentis ; quod ad secundam partem, affirmative.

Ad XVI. Ad XVI. Negative.

Ad XVII. Ad XVII. Negative.

Atque ita rescripsit, declaravit et servari mandavit, die 19 aprilis 1912.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus*.

† *Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., Secretarius*.

E. *Litterae circulares 15 maii 1912, ad Rev^mos locorum ordinarios quod ad propria officiorum dioecesana* (A. A. S. 31 maii 1912, 4, 376.)

Ill^me et R^me Domine, uti Frater,

Postulatur ut maturo consilio Cum Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X magnae curae sit, ut Breviarii Romani reformatio ad unguem perficiatur ; operae pretium erit,

etiam lectiones historicas cuique dioecesi proprias ad trutinam revocare. Quam ob rem gratissimum Summo Pontifici fecerit Amplitudo Tua, si pro virili curabit, ut in ista dioecesi Tibi commissa, viri periti eligantur qui, collatis consiliis, historicas lectiones quas supra dixi, diligenter examinent easque cum vetustis codicibus, si praesto sint, aut cum probata traditione conferant. Quod si repererint eas historias contra fidem codicum et solidae traditionis in aliam formam a nativa degenerasse, omni ope allaborent ut vera narratio restituatur.

recognoscantur lectiones propriae officiorum particularium.

Omnia vero maturius expendenda sunt, ne quid desit ex ea diligentia, quae collocanda est in reperiendis codicibus, in eorum variis lectionibus conferendis et in vera traditione observanda. Nec profecto opus est festinatione : putamus enim spatium ad minus triginta annorum necessarium, ut Breviarii reformatio feliciter absolvatur.

Sine festinatione, nam reformatio Breviarii ante 30 annos absolvenda non videtur.

Interea cum opus in ista dioecesi perfectum fuerit, Amplitudo Tua ut illud ad hanc Sacrorum Rituum Congregationem mittatur, pro sua pietate sataget : ita tamen, ut si quid in lectionibus historicis additum vel demptum aut mutatum fuerit, rationes quae ad id impulerunt, brevi sed lucida oratione afferantur.

Opus, brevi addita relatione, ad S. Rituum Congregationem mittendum est.

Dum haec, de speciali mandato Summi Pontificis, Amplitudini Tuae significo, diuturnam ex animo felicitatem apprecor.

Auctoritas et conclusio litterarum.

Romae, die 15 maii 1912.

Dies (15 maii 1912).

Amplitudinis Tuae

Uti Frater addictissimus

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., Secretarius.*

NOTA. Hisce similes litterae missae sunt ad Praepositos generales Ordinum seu Congregationum Religiosorum, quod ad Propria Officiorum ipsis concessa.

Idem a Superioribus religiosis postulatum est.

ANNOTATIONES

Post editas novas rubricas breviarii fieri non potuit quin plura puncta, minus clara et ab aliis aliter intellecta, S. Congregationi proponerentur ut ab ea authentica interpretatio obtineretur, sicque paulatim circa hanc rem novum ius constitueretur quod definitive sanciretur quando post tempus plus minusve longum reformarentur rubricae generales breviarii [1].

Maioris claritatis et facilitatis gratia praesentes responsiones compendiose componemus, quantum fieri potest, eundem ferme ordinem adhibentes quem in prioribus nostris annotationibus secuti sumus. (Cfr. pp. 163-183).

I. **De officiis quae dominicis diebus affixa erant.** — 1. Secundum novas rubricas in dominicis diebus de aliquo festo iam fieri non potest nisi sit : α) festum 1 vel 2 classis,

[1] Uti legitur in litteris circularibus Eminentissimi Cardinalis Praefecti, spatium ad minus triginta annorum erit necessarium ut breviarii reformatio feliciter absolvatur; inde tamen concludi non debet ante illud tempus nullas partiales reformationes futuras esse.

β) festum Domini, vel dies octava festi Domini. Cum autem multis in kalendariis particularibus plura festa duplicia maiora et etiam minora hucusque essent affixa, quae iam in propria die celebrari non possunt, simul in Dispositionibus temporariis cautum est quomodo res essent componendae: scilicet huiusmodi festa locorum ordinarii seu superiores regularium debebant aut commemoranda praescribere, aut, validis argumentis S. R. C. oblatis, transferenda curare, aut potius omittere. Quae verba modo sufficienter claro ordinariis et superioribus regularium ius denegare videbantur huiusmodi festa adhuc transferendi absque speciali indulto. Fuit tamen auctor optimae notae qui in Ephemeridibus liturgicis contenderet hanc prohibitionem illos tantum afficere qui hucusque hac in re utebantur iure communi, quo talium festorum translatio prohibebatur, nullo modo vero illos qui antiquitus privilegium obtinuerant talia festa transferendi, vel haec festa inscripta habebant, uti contigit pro pluribus ordinibus regularibus, in suo kalendario perpetuo approbato. Porro huiusmodi interpretatio prorsus reicitur, ac proin certum nunc est, quaecumque fuerint privilegia antiquitus hac in re concessa, talia festa a nullo iam posse transferri sine novo indulto.

2. Ex facultate Ordinariis et Superioribus facta supprimendi haec festa indultiva diebus dominicis affixa nonnulli, inter quos cl. Piacenza [1], concludere fas esse putarunt idem illos posse circa festa indultiva diebus fixis mensis affixa, cum huiusmodi festa, aeque ac festa dominicis affixa, sint *indultiva*. Sed talis interpretatio falso enititur principio festa indultiva semper manere ad libitum, cum tamen ipsa Congregatio pluries responderit huiusmodi festa semel acceptata fieri obligatoria. Concessio in Dispositionibus temporariis facta, cum sit contra ius, stricte est interpretanda, et inde nihil mirum quod Congregatio opinionem istam improbaverit.

3. Hanc simplificationem vel omissionem extendi non debere ad festa universalis ecclesiae iam responderat Congregatio et ideo statuit (9 febr. 1912 ad 3) festa B. M. V. vel sanctorum in kalendario universalis ecclesiae diei fixae ascripta, si ex indulto sub ritu duplici maiori vel minori in aliquibus dioecesibus vel ordinibus religiosis diebus dominicis essent affixa, restituenda esse in die in qua coluntur in universali ecclesia ; idem nunc extendit ad festa *particularia* quae in dioecesi vel ordine religioso in die fixa mensis recoluntur, et in quibusdam ecclesiis particularibus diebus dominicis erant affixa. Ritus tamen altior in his ecclesiis forsan concessus servatur.

---

[1] *In constitutionem « Divino afflatu » commentarium*, p. 140.

4. Ultima difficultas oritur ex festo s. Familiae, de cuius dignitate personali controversia haberi posset. Indirecte iam Congr. responderat die 4 mart. 1901 illud habendum esse uti festum Domini ; idem nunc explicite declarat, unde celebrari poterit in dominica minori ; in dominica maiori vero, saltem ubi est tantum ritus duplicis minoris, erit ipsa die simplificandum.

II. **De translatione festorum**. — 1. In novis regulis de translatione festorum mentio fit trium tantum privilegiorum scilicet quod ad festa Purificationis et Annuntiationis B. M. V. et Commemorationis sollemnis s. Ioseph ; unde concludebamus reliqua privilegia fuisse suppressa, quod nunc explicite de festo ss. Nominis Iesu a S. Congregatione affirmatur. Ceterum fatendum est festis antiquitus quod ad hanc rem privilegiis donatis, si eorum privilegia cum iure communi non coincidunt, sufficienter novo hoc iure esse provisum.

2. Alia difficultas exoriri potuit ex eo quod in novis rubricis absolute dicitur, festa 1 vel 2 classis, si in propria die impediuntur, esse transferenda, festa vero ritus inferioris esse simplificanda ; sed cum antiquitus quaedam festa erant quae ex iure transferri non poterant, sed in propria die impedita, erant *omittenda*, evidens non erat novam regulam his etiam festis esse applicandam. Porro regulam esse generalem Congregatio respondit ; ne tamen inde inferas eam etiam de festis quae *ad lubitum* concessa sunt valere.

III. **De officiis dominicae anticipatae**. — Nonnumquam accidit omnia officia dominicalia post Epiphaniam et Pentecosten in ipsis dominicis poni non posse, quo casu de dominica omissa fit infra hebdomadam praecedentem, dicitur-que huiusmodi officium de *dominica anticipata*. Regulariter de dominica anticipata fit in *ultima* hebdomadae die in qua non occurrit festum 9 lectionum *obligatorium*. Quodsi infra totam hebdomadam nulla huiusmodi dies libera exsistat, de dominica anticipata fiebat tantum commemoratio in sabbato, nisi tamen dominica anticipanda fuisset 2ª post Epiphaniam, quae pro dignitate sua anticipabatur in casu in *prima* die post octavam Epiphaniae in qua occurrebat semiduplex, et tantum, deficiente semiduplici, in sabbato commemorabatur. Porro, cum ex novis rubricis multum sit superadditum dignitati officii dominicalis, quaestio moveri poterat num privilegia dominicae anticipatae non essent augenda, et quoniam anno proximo anticipanda sit dominica 2ª post Epiphaniam, de hac praesertim interrogata fuit Congregatio. Huius autem dominicae officium anticipatum fere privilegia obtinet ipsius officii dominicalis, nam non solum, deficiente die feriali, de

hac officium integrum erit peragendum in aliquo semiduplici, sed etiam, hoc deficiente, in duplici minori, immo in huius defectu in duplici maiori, sed semper videtur assumendum ultimum huius ritus festum in hebdomada occurrens.

Hoc officium reapse est feriale, et in eo dicuntur psalmi de feria currente, non vero de dominica ; ad laudes autem, cum nullo modo sit ex his feriis quae indolem habent paenitentialem, adhibentur psalmi uti habentur in priore schemate. Per se exigit preces dominicales (non vero feriales) et suffragium, quae tamen omitti debent quando dc hac dominica fit infra aliquam octavam. Ex decreto vero 24 febr. 1912 ad 1 (p. 163) concludendum videtur haec non omitti extra octavas propter duplex commemoratum, cum officium non sit dominicale.

In hac die prohibentur missae privatae de Requiem et votivae. Num in missa addenda sit commemoratio communis (3ª oratio) si facta est commemoratio duplicis, et addi valeant orationes ad libitum celebrantis dicetur infra (p. 214).

Per se privilegia ista dominicae 2ae post Epiphaniam concessa extendi non possunt ad reliquas dominicas anticipandas.

Veri simile tamen est harum etiam privilegia auctum iri ; etenim : α) hoc non est nisi consequentia privilegiorum quae nunc dominicis conceduntur ; β) immo hoc aliquatenus saltem erui posse videtur ex ipsis novis rubricis. Haec enim missam huius dominicae anticipatae novis decorant privilegiis, cum feria in qua anticipandum est officium dominicae iuxta novas rubricis (tit. X, n. 2) ex iis sit in quibus vetantur missae votivae privatae et privatae pro defunctis. Cur tunc ipsi non concedas hoc aliud privilegium de quo in eodem numero, ut, scilicet, si in ea occurrat fieri officium alicuius festi duplicis aut semiduplicis, missae privatae dici possint de feria cum commemoratione festi? Haec sola negandi causa afferri potest quod numquam iam in duplici vel semiduplici dominica anticipata mere commemoranda sit. Sed contra, nisi novo privilegio ornetur, dominica anticipata, ex hactenus observatis rubricis fere numquam nisi commemorationem obtinet. Mox ceterum, cum anno 1914 dominica 5ª post Epiphaniam anticipanda sit, authentica responsione dubium solvetur.

IV. **De officiis votivis.** — De lege qua officia votiva tolluntur dubitari potuit num afficeret etiam illa officia quae non numquam tantis privilegiis decorabantur, ut potius festiva quam vere votiva habenda essent. Ac lege ista attingi declaratum est.

V. **De missis festi impediti in dominica.** — 1. Etsi opinio cl. Piacenza quam supra retellit R. P. Degrelle (p. 33), expressis verbis hic non reiciatur, cum hic sermo

non sit de dominicis in quibus celebratur festum Domini aut octava eiusdem, multo minus tamen huiusmodi opinio stabilitur, in totoque suo robore manent argumenta a R. P. Degrelle allata.

2. Quod vero illa licentia applicari etiam possit illis festis quae olim dominicis erant affixa et nunc in perpetuum hac ipsa dominica simplificantur, nihil mirum est ; de ipsis enim omnes condiciones verificantur quae in novis rubricis exiguntur. Sed aliter respondendum est si festum fuit suppressum, aut ex indulto in die fixa repositum.

VI. **De lectionibus I nocturni**. — Circa has lectiones duo statuuntur quae videntur potius ius novum constituere quam meram interpretationem (saltem litterae) novarum rubricarum praestare.

1. In novis rubricis cautum est ut frequentius lectiones dicerentur de *Scriptura occurrente* et non, nisi rarissime et iustas ob causas, recurreretur ad lectiones de Communi. Iusta causa, ut patet, habetur si officium 9 lectionum celebratur in die cui in Proprio de Tempore non assignantur lectiones de Scriptura, puta in fer. II vel IV rogationum, in quattuor temporibus. Attamen etiam talibus diebus, nonnumquam lectiones de Scriptura absolute loquendo legi possent : assumendo v. g. lectiones diei praecedenti vel sequenti assignatas, et in propria die impeditas. Porro eo quod tales transpositiones lectionum de Scriptura occurrente iam antiquitus non fuerint ignotae, affirmaverat cl. Piacenza (p. 42) hoc modo in casu esse agendum. Contra in hoc ipso periodico (p. 30) recte, nostro iudicio, P. Degrelle respondit, quidquid sit de convenientia huiusce translationis, hanc certe nullo modo ex novis rubricis erui posse, ac proin, usque dum novum de hac re non prodeat decretum, standum esse antiquis regulis quae in casu hanc translationem non permittebant. Nunc autem tale decretum est latum, immo, S. Congregatio rem ampliavit ; nam non solum ita est procedendum si lectiones immediate praecedentes huiusmodi feriam, vel lectiones immediate sequentes fuerint impeditae, sed etiam si lectiones in alia die infra eandem hebdomadam fuerint impeditae, ac proin res componi non possint, nisi translatis pluribus lectionibus.

2. Aliud quoque est innovatum, sed in favorem lectionum *propriarum*. Ex antiquis regulis, quae ceterum adhuc vigent, si initium alicuius libri in propria die legi non potuit, transferendum est in aliam eiusdem hebdomadae feriam in qua legendum fuisset de Scriptura occurrente, vel, tali die deficiente, in festum cui assignatae erant lectiones de Communi, vel immo propriae, dummodo festum non fuerit 1 vel 2

classis. (Cfr. decr. 23 mart. 1911) [1]. Initium istud, ut antea, lectionibus festo *appropriatis*, non iam tamen lectionibus vere *propriis* et *historicis* praeferendum est. Propriae et historicae ex novo iure semper legendae sunt.

VII. **De suffragio et precibus**. — 1. Confirmatur quod p. 172 dicebamus de non nominando Titulari in oratione *A cunctis* quando hic Titularis est Mysterium divinum vel Persona divina ; item de non nominando Vicario apostolico in precibus, nisi etiam nominandus sit in Canone missae.

2. Quod vero suffragium omittendum sit in Vigilia omnium Sanctorum, sive de ea fiat officium, sive de semiduplici, non est nisi applicatio illius principii in re liturgica celebris : *Non bis de eodem*.

VIII. **De orationibus in missa**. — 1. Ex certis analogiis concludere posse putabamus in missis ferialibus etiam celebratis in duplici, tamen numerum orationum dicendum esse prout ipsa missa ferialis postulabat, ac proin, extra tempus passionis, ex obligatione dicendas esse tres et insuper ad lubitum celebrantis addi posse orationes votivas ; aliam tamen solutionem nunc dat S. Congregatio, ita ut si officium dictum sit de duplici addi non debeat nec possit commemoratio communis (3 oratio) ac multo minus orationes votivae, et si officium dictum sit de semiduplici, addi quidem debeat commemoratio communis, nisi alia facienda sit commemoratio, non vero addi possint orationes votivae. In casu proinde officium duplex vel semiduplex *reapse recitatum* vere circumscribit numerum orationum huius missae ferialis, quae ceteroquin aliquo modo dici potest officio conformis. Hinc etiam, in missa ista nec addi posse videtur oratio pro defunctis, quippe quae in missa de duplici vel semiduplici non admittatur [2].

2. Atque, ex decreto 24 maii 1912 ad 5, infra, n. **580**, perinde dicas si de ipsa feria officium recitaveris ita ut duplex mere commemoratum sit. Quod enim de privilegiata SS. Corporis Christi octava statuitur cadit etiam in privilegiatas ferias ubi missa ferialis similem duplicis commemorationem habere possit. V. gr. si feria IV Cinerum vel die qua fit de dominica anticipata, duplex in missa commemorare debueris, 3ª oratio (communis) omittenda est. Duplex itaque

---

[1] PERIOD., t. 6, p. 18.

[2] Mendose certe in QUESTIONS LITURGIQUES, II, p. 416 permissa est haec oratio addenda hoc anno die 1 iunii in sabbato quattuor temporum Pentecostes, sicut ibidem p. 336 mendose indicatum erat pro die 25 maii in vigilia Pentecostes psalmos ad omnes horas desumi posse de feria currente et missam lectam *dici posse* de feria currente *cum commemoratione festi occurrentis*, cum hac die omnino psalmi dicendi essent de octava Ascensionis, et missa *ex obligatione* celebranda esset de vigilia *absque ulla commemoratione*.

commemoratum, quod officium non afficit nisi dominicale (ad tollendas preces cum suffragio et symbolum *Quicumque*), ad determinandas missae orationes semper valet [1].

Hinc colliges etiam in missis votivis quae in semiduplici dicuntur, orationes stricte votivas ad lubitum celebrantis iam addi non posse.

IX. **De collectis**. — Ex nova regula de collectis seu imperatis quidam conclusisse videntur in missa iam non plus quam quattuor orationes dici posse, nisi plures occurrant commemorationes speciales vel orationes praescriptae quae numquam sunt omittendae. Unde logice fluxisset numquam iam posse ad lubitum celebrantis addi orationes ad 5 vel 7, et si ex praescripto in aliqua missa tres dicendae sint orationes et simul praescribantur duae collectae, ultimam esse omittendam. Utrumque negat Congregatio. Debent proin duae collectae dici etiam post tertiam orationem ; et in missis ferialibus vel de Simplici potest celebrans pro lubitu orationes votivas addere ad 5 vel 7, quo in casu, si aliqua oratio est imperata, potest, etsi non debet, etiam illam tamquam votivam assumere.

X. **De praefatione**. — 1. Confirmantur regulae quas dedimus p. 173 de praefatione adhibenda tam in missa de dominica quam de feria. Hae autem regulae huc redeunt ut cum habetur conflictus inter praefationes proprias, illa adhibeatur quae convenit missae celebratae, vel prius commemoratae. Notandum est praefationem de Tempore censendam esse propriam missarum de dominica vel de feria hoc tempore celebratarum, extra vero tempora praefationem habentia item censendam esse propriam missae de dominica praefationem ss. Trinitatis. Si tamen occurrat octava Domini, eius praefatio semper adhibetur in missa de dominica.

2. Regula quae traditur pro praefatione in missis votivis nova est. Hactenus enim, in missis votivis numquam attendebatur ad praefationem forsan propriam festi occurrentis ; in posterum iam erit attendendum dummodo, ut patet, in missa votiva fiat commemoratio festi occurrentis.

XI. **De missis defunctorum**. — Circa prohibitionem missas de Requiem celebrandi certis diebus ferialibus quaestio moveri potuit num misssae privatae hic intellegendae essent solae missae stricte cotidianae quae scilicet ritu simplici celebrantur, vel num talis prohibitio esset exten-

---

[1] Efficacitas illa duplicis *simplificati* in numerum orationum prorsus nova est ; minus nova, quamvis nondum generaliter accepta fuerit, efficacitas officii vere recitati in missam cum officio non concordantem esse perspicitur. Cfr. decreta 12 maii 1905 ; 10 nov. 1906 ; 31 martii 1909. (PERIODICA, t. 2, n. **118** ; t. 3, n. **166** ; t. 5, n. **359**.)

denda etiam ad illas missas quae, etsi lectae, ritu tamen duplici dicuntur, puta in die 3ª vel 7ª vel in anniversario, vel prima die post acceptum nuntium de alicuius morte. Illas autem comprehendi Congregatio respondit ; notandum tamen uti ex ipsis rubricis patet, illud extendi non debere ad missas quae occasione exsequiarum permittuntur, praesente corpore, etiam in duplicibus ac multo minus ad missas exsequiales lectas. Verbo, in his feriis illae tantum permittuntur missae de Requiem, quae permittuntur in duplicibus.

XII. **De Communione distribuenda in Commemoratione omnium fidelium defunctorum.** — Ex regula generali Communio extra missam distribuenda est cum stola coloris diei vel cum stola alba. Nunc vero, cum in commemoratione omnium fidelium defunctorum unicum dicatur officium pro defunctis, huius diei color est niger ; iamvero, in tractanda Eucharistia, extra missam, Ecclesia nigro non utitur ; sed, sicut iam decr. 3562 praescripserat colorem nigrum mutandum esse in violaceum pro conopaeo tabernaculi, sic nunc idem praescribit pro stola in distribuenda ss. Communione.

XIII. **De dispositionibus temporariis.** — 1. Confirmatur quod contra GATTERER dicebamus de retinendo colore proprio (viridi) in missis de dominica hoc anno celebrandis in dominicis in quibus kalendarium assignat festum duplex maius vel minus quod non sit festum vel octava Domini. Inde etiam concludi potest iam hoc anno colorem viridem esse adhibendum in iis dominicis quae occurrent infra octavas et pro quibus in kalendario indicatur color octavae.

2. Ex responso S. R. C. 24 febr. 1912 ad episcopum Salforden. et in TABLET publici iuris facto [1] habemus :

a) Licere cuivis officium divinum persolvere aliis diebus ex novo psalterio, aliis vero ex antiquo ad lubitum, perdurante anno 1912, quod confirmat quae dicebamus p. 178.

b) Quod ad missam, standum esse kalendario ecclesiae ubi celebratur missa ; excepto tamen tempore quadragesimae, quo, qui utuntur novo psalterio, possunt dicere missam de feria currente nisi tamen occurrat festum 1 vel 2 classis, iuxta rubricas ad normam bullae « Divino afflatu », tit. X, n. 2. Haec autem applicari item possunt et debent diebus dominicis, necnon vigiliis et quattuor temporibus hoc anno occurrentibus et in quibus secundum novas rubricas licet missam legere de dominica, vel de feria aut vigilia. Dicitur equidem hoc fieri posse ab his qui novo utuntur psalterio. An

[1] Oblivioni dari non debet, haec responsa, cum in ACTIS APOSTOLICA SEDIS non fuerint promulgata, nullam veram vim habere nisi pro iis quibus fuerunt data.

haec verba sumi debent restrictive, ita ut iis solum hoc possint qui novo utuntur psalterio ? Hoc certe non est evidens, et cum ipsae rubricae nullam talem restrictionem habeant, potius applicandum videtur principium : *Quod de uno affirmatur, de alio non negatur.*

Nota : In praecedenti fasciculo monuimus p. 182, secundum novum psalterium responsorium breve Tertiae in dominicis per annum iam non habere verba : « Averte oculos meos ne videant vanitatem » ; iamvero typographis S. R. C. nunc nuntiatum est mendose haec fuisse omissa in editione typica, eaque esse restituenda sicut erant in breviario Pii V ; nonnulla insuper alia menda typographica emendanda fuerunt significata. Ios. Pauwels, S. I.

---

576. — S. CONGR. RITUUM

RESPONSA 22 MART. 1912

De Missa pro populo et usu organi

Egitanien. dubia (A. A. S. 15 april. 1912, 4, 274.)

Orator. Episcopus Egitaniensis Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione sequentia dubia subiecit ; nimirum :

Dubia.

De Missa pro populo. I. Utrum Decretum n. 3096 — quo declaratur die vigesima quinta Aprilis occurrente in Dominica, in Ecclesiis ubi unicus est Sacerdos, Missam cum cantu Rogationum, quando fit Processio, valere etiam pro adimplendo onere Missae Parochialis — extendi possit ad Missam quae cani permittitur de Festo Commemorationis sollemnis SS^mi Corporis Christi Dominica infra Octavam eiusdem, saltem ubi fit Processio ?

De organo. II. An Decretum diei 11 maii 1911 ad II — quo edicitur organum adhiberi posse, in casu necessitatis, solummodo ad associandum et sustinendum cantum, silente organo cum silet cantus, in Officiis et Missis in quibus sonus organi prohibetur — semper valeat, sive adhibeatur cantus Gregorianus, sive polyphonicus ?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audita sententia Commissionis Liturgicae, respondendum censuit :

Responsa.

Ad I. Ad I. Negative, nisi obtineatur indultum.

Ad II. Ad II. Affirmative.

Dies (25 mart. 1912). Atque ita rescripsit, die 22 martii 1912.

Fr. S. Card. Martinelli, *S. R. C. Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., Secretarius.*

---

577. — S. CONGR. CONCILII

LITTERAE 3 MAII 1912

Circa dies festos (A. A. S. 10 maii 1912, 4, 340.)

Scribendi occasio. Plurimis ex locis pervenerunt ad hanc S. Congregationem Concilii supplices libelli, quibus instantissime postulatur ut omnes aut nonnulli dies festi de numero festivitatum sub praecepto per litteras Apostolicas diei 2 iulii 1911 expuncti, in pristinum restituantur, tum ad satisfaciendum pietati fidelium id enixe expetentium, tum ob alias peculiares cuiusque loci rationes. Potissimum vero supplicatum fuit ut festum SS^mi^ Corporis Christi celebrari possit cum sollemni processione et pompa, ut antea, feria V post Dominicam SS^mae^ Trinitatis, eam praesertim ob causam quod huiusmodi processionis defectum non sine animi moerore et spirituali iactura pati videantur populi, qui eam diem specialiter sollemnem habere et miro splendore celebrare consueverunt.

Iussum Sanctitatis Suae. Porro, SS^mus^ D^nus^ N. Pius PP. X, Cui relatio de praemissis facta fuit ab infrascripto Cardinali huius S. Congregationis Praefecto, plane cupiens ne, ex praepostera aut non recta interpretatione praedictarum litterarum, fidelium pietas ac debitus Deo cultus imminuantur ; volens immo ut, quod ad fieri possit, augeantur, haec quae sequuntur declarari, praecipi atque indulgeri mandavit :

Qua mente egerit SS^us^ D^nus. 1° Cum, perpensis temporum rerumque novarum adiunctis, Summus Pontifex nonnullos dies expunxit e numero festivitatum sub praecepto, quemadmodum non semel a Suis Decessoribus factum fuit, minime sane intellexit ut eorum dierum festivitas omnino supprimeretur : vult immo Sanctitas Sua ut iidem dies in sacris templis celebrentur non minori quam antea sollemnitate, et, si fieri potest, eadem populi frequentia. Ea vero fuit et est Sanctitatis Suae mens, ut relaxata maneat tantummodo sanctio qua fideles tenebantur iis diebus audire Sacrum et abstinere ab operibus servilibus ; idque potissimum ad evitandas frequentioris praecepti transgressiones et ne forte contingeret ut, dum a multis Deus honorificatur, ab aliis non sine gravi animarum detrimento offenderetur. Praecipit itaque Eadem Sanctitas Sua omnibus et singulis animarum curam gerentibus ut ipsi, dum haec commissis sibi gregibus significant, ne cessent eos hortari vehementer ut, iis etiam diebus, pergant suam in Deum pietatem et in Sanctos venerationem, quantum maxime poterunt, testari, praesertim per frequentiam in ecclesiis ad audienda sacra aliaque pia exercitia peragenda.

Facultas facta episcopis. 2° Quo autem Christifideles magis excitentur ad supradictos dies festos pie sancteque excolendos, vigore praesentium litterarum, conceditur omnibus locorum Ordinariis ampla facultas dispensandi cum suis subditis super lege ieiunii et abstinentiae, quotiens dies abstinentiae vel ieiunio consecratus incidat in festum quod, licet praecepto non subiectum, cum debita populi frequentia devote celebratur.

De festo SS. Corporis Christi. 3° Item, per praesentes litteras conceditur ut festum SS^mi^ Corporis Christi, ubi Sacrorum Antistites ita in Domino expedire censuerint, etsi praecepto non obstrictum, celebrari possit cum sollemni processione et pompa,

prout antea, feria V post Dominicam SS^mae Trinitatis ; contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria Sacrae Congregationis Concilii, die 3 maii 1912. *Dies (3 maii 1912).*

C. Card. GENNARI, *Praefectus.*
O. Giorgi, Secretarius.

ANNOTATIONES

1. Litteris modo exscriptis iterum inculcatur provida ista SS^i D^ni sapientia qua ita voluit piorum pietati consulere ut aliis multas peccandi occasiones auferret. Quare libenter indulsit ut in feria V post Dominicam SS. Trinitatis, Antistites sollemnem pompam servare possent, sine tamen obligatione vacandi ab operibus servilibus. Simul amplam fecit Ordinariis facultatem dispensandi a ieiunio et abstinentia in festis quae, licet praecepto non subiecta sint, cum debita populi frequentia devote celebrantur.

2. De qua facultate haec quaerenda veniunt :

Quaenam vis in voce *ampla* inest qua facultas appellatur ? Hanc ni fallimur, ut dispensationem *generalem* dare possint et facultatem suam late interpretari.

In quibusnam festis episcopi uti possunt sua facultate : in solis festis quae *Motu Proprio* 2 iul. 1911 servantur an in omnibus in quae ratio requisita valet ? In omnibus facultatem valere arbitramur, ita ut si alicubi festum S. Michaelis, S. Mathiae, vel S. Annae, cum debita populi frequentia celebretur, dispensatio ab episcopo concedi possit. Responsio nostra magis certa est de festis quae in calendario Urbani VIII celebrari praecipiebantur, cum in haec festa cadat finis cur facultas concedatur : « Quo Christifideles magis excitentur ad supradictos festos pie sancteque excolendos. » Sic recentes litterae. In ipso autem Motu proprio *Supremi disciplinae* optat S. Pontifex ut fideles « iis etiam diebus quos nunc de numero festivitatum praecepto obstrictarum expungimus, suam in Deum pietatem et in Sanctos venerationem non minus quam antea, testentur ».

Cuinam condicioni usus facultatis istius obnoxius est ? Nulla requiritur vacatio ab operibus servilibus, sed frequentia in ecclesia ut more festivo sacram synaxim vel missam seu divina officia participent. Ita v. gr. in Belgio celebrantur festa Purificationis et Immaculatae Conceptionis B. M. V. Nec longe absumus quin etiam festum SS. Cordis sufficienti populi frequentia celebretur, nisi quod hoc festum ita ab initio cum abstinentia coniunctum fuit ut dispensatio minus opportuna videatur.

Si autem ipsam Pontificis mentem in ipso facultatis usu

plene assequi voluerint, episcopi illud etiam considerabunt num dispensatio piae et sanctae festorum celebritati utilis esse possit.

Possuntne Episcopi dispensationem parte dioecesis circumscribere, vel solam ieiunii legem auferre, conservata abstinentia, vel contra? Utrumque posse censemus, cum ampla facultas concedatur. Hactenus tamen S. Sedes utramque legem simul solvere consuevit, ita ut partialis seu imperfecta dispensatio eius stylo minus consentanea videatur.

3. Cum obligatio ieiunii non tollatur nisi per dispensationem, E. Card. Gennari, in Monitore Ecclesiastico, t. 37, p. 88, monet prohibitionem vescendi simul carnibus et piscibus intactam manere etiam iis diebus quibus ex *Motu proprio* a ieiunio et abstinentia dispensatur. Atque addit se ex privata scientia novisse istam a benigna legis relaxatione exceptionem, quam praeter multorum exspectationem addi suspicamur, ipsi S. Pontifici probari. Huius tamen voluntatis promulgatio desideratur.

---

578. — S. CONGR. INDICIS

RESPONSUM 9 MAII 1912

De praevia librorum censura et approbatione

(A. A. S. 31 maii 1912, 4, 370.)

Coetus habitus 6 maii. Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 6 maii 1912, ad dubium :

Dubium. « Utrum Episcopus loci, in quo aliquis auctor eidem non subditis « librum, a proprio Ordinario iam examinatum et prelo dignum iudica- « tum, publici iuris facere desiderat, istius libri impressionem permittere « possit, quin eum novae censurae subicere debeat » respondendum censuit :

Responsum. « Affirmative, apponendo iudicium « Nihil obstare » censoris alterius « dioecesis, ab istius Ordinario sibi transmissum. »

Approbatio SSmi. Quibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per me infrascriptum Secretarium relatis, Sanctitas Sua responsionem Eminentissimorum Patrum confirmavit et promulgari praecepit.

Dies (9 maii 1912). Datum Romae, die 9 maii 1912.

F. Card. Della Volpe, *Praefectus.*
Thomas Esser, O. P., Secretarius.

ANNOTATIO

Ex C. *Officiorum ac Munerum*, 25 ian. 1897, liber ab Ordinario loci ubi editur approbandus est, obtento iudicio alicuius ex censoribus quos SS. D. N. Pius Pp. X C. *Pascendi* ex officio constitutos esse voluit. Hinc Ordinarius editoris dubitare potuit num censori alius dioecesis, id est propriae auctoris, ita fidere posset ut sine novo examine librum approbaret. Atque id licere responsum est, dummodo iudicium istius censoris ab huius Ordinario sibi transmissum in libro apponeret. Cum autem litteris Enc. *Pascendi*, 8 sept. 1907 prohiberi non videatur ne Ordinarius per se ipse aut aliam personam aptam librum quempiam examinet, et nullatenus exigatur ut censor in Ordinarii approbantis dioecesi eligatur, Ordinario integrum esse arbitramur ut etiam iudicio censoris alienae dioecesis, etiam quae auctoris propria non sit, *prudenter* contentus sit. Prudenter, id est si censorem istum peritum ac probum existimare possit. Cfr. opus nostrum *De prohibitione et censura librorum*, n. 7-9 ; 104-118 ; et annotationes in Enc. *Pascendi* PERIODICA, t. 4, pp. 56-57.

---

579. — S. CONGREG. RITUUM

INSTRUCTIO 22 MAII 1912

De privilegiis in triduo vel octiduo Beatificatorum vel Canonizatorum (A. A. S. 15 iun. 1912, 4, 417)

Quaenam Missae et qua ratione dici possunt.

I. In sollemniis, sive triduanis sive octiduanis quae in honore alicuius Sancti vel Beati celebrari permittuntur, Missae omnes de ipsa festivitate ob peculiarem celebritatem dicantur cum *Gloria* et *Credo*, et cum Evangelio S. Ioannis in fine, nisi legendum fuerit ultimum Evangelium Dominicae aut feriae, aut vigiliae, quotiens de his facta fuerit commemoratio.

II. Missa sollemnis seu cantata, ubi altera Missa saltem lecta de Officio currenti celebretur, dicatur cum unica Oratione ; secus fiant illae tantummodo commemorationes quae in duplicibus primae classis permittuntur. Missae vero lectae dicantur cum omnibus commemorationibus occurrentibus, sed orationibus de tempore et collectis exclusis. Quod ad Praefationem, serventur Rubricae ac Decreta.

III. Missam cantatam impediunt tantum Duplicia primae classis, eiusdemque classis Dominicae, nec non feriae, vigiliae et octavae privilegiatae quae praefata duplicia excludunt. Missas vero lectas impediunt etiam Duplicia secundae classis, et eiusdem classis Dominicae, et feriae, vigiliae atque octavae quae eiusmodi Duplicia primae et secundae classis item excludunt. In his autem casibus impedimenti, Missae dicendae sunt de occurrente Festo vel Dominica, aliisve diebus ut supra privilegiatis, prouti ritus diei postulat, cum commemoratione de Sancto vel Beato et quidem

sub unica conclusione cum Oratione diei in duplicibus primae et secundae classis; aliis autem diebus commemoratio de Sancto vel Beato fiat sub distincta conclusione post orationem diei.

IV. In Ecclesiis ubi adest onus celebrandi Missam conventualem, vel parochialem cum applicatione pro populo, eiusmodi Missa de occurrente Officio numquam omittenda erit.

Quaenam hora canenda sit ante Missam pontificalem.

V. Si Pontificalia Missarum de Festivitate ad thronum fiant, haud Tertia canenda erit, episcopo paramenta sumente, sed Hora Nona: quae tamen Hora de ipso Sancto vel Beato semper erit; substitui nihilominus eidem Horae de die pro satisfactione non poterit.

Quaenam Vesperae permittantur.

VI. Quamvis Missae omnes vel privatae tantum impediri possint, semper nihilominus secundas Vesperas de ipsa Festivitate sollemniores facere licebit absque ulla commemoratione; quae Vesperae tamen de Festivitate pro satisfactione inservire non poterunt.

Quaenam aliae functiones permittantur. Te Deum canendum est.

VII. Aliae functiones ecclesiasticae praeter recensitas, de Ordinarii consensu, semper habere locum poterunt, uti Homilia inter Missarum sollemnia, vel vespere Oratio panegyrica, analogae in honorem Sancti vel Beati fundendae preces, et maxime sollemnis cum Venerabili Benedictio. Postremo vero Tridui vel Octidui die Hymnus *Te Deum* cum versiculis *Benedicamus Patrem, Benedictus es, Domine exaudi, Dominus vobiscum* et oratione *Deus cuius misericordiae* cum sua conclusione numquam omittetur ante *Tantum ergo* et orationem de SS^mo Sacramento.

Indulgentiae.

VIII. Ad venerationem autem et pietatem in novensiles Sanctos vel Beatos impensius fovendam, Sanctitas Sua, thesauros Ecclesiae aperiens, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus qui vere paenitentes, confessi ac Sacra Synaxi refecti, ecclesias vel oratoria publica, in quibus praedicta triduana vel octiduana sollemnia peragentur, visitaverint, ibique iuxta mentem eiusdem Sanctitatis Suae per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces fuderint, indulgentiam plenariam in forma Ecclesiae consueta, semel lucrandam, applicabilem quoque animabus igne piaculari detentis benigne concedit: iis vero qui corde saltem contrito, durante tempore enuntiato, ipsas ecclesias vel oratoria publica inviserint, atque in iis uti supra oraverint, indulgentiam partialem centum dierum semel unoquoque die acquirendam, applicabilem pari modo animabus in purgatorio exsistentibus, indulget.

Dies (22 maii 1912).

Die 22 maii 1912.

Fr. S. Martinelli, *Praefectus.*
† *Petrus La Fontaine, Ep. Charystien, Secret.*

Annotationes

I. Observes nullam praesenti Instructione facultatem generalem concedi, sed mere nobis proponi quid in triduanis vel octiduanis sollemnitatibus pro recenter Beatificatis vel Canonizatis concedi soleat, ita ut obtinendi in singulis casibus privilegii notionem et simul declarationem anticipatam possideamus. Sin aliter, vix caperes quo modo decretum quo indulgentiae conceduntur nullam S. Pontificis approbationem praeferat.

II. Die 16 decembris 1902, iam prodierat decretum S. R. C. super ea re [1], et praesens instructio non est nisi eiusdem repetitio, mutatis tantum quibusdam dispositionibus ad reformatas rubricas et nova decreta accommodatis.

Breviter ea quae in praesenti Instructione innovata sunt indicamus.

1. a) Missae quae in his sollemnitatibus de sancto vel beato permittuntur, explicite annumerabantur missis votivis, ita ut harum regulas sequerentur : de caractere votivo harum missarum iam siletur.

b) Missa sollemnis iisdem quidem diebus permittitur atque antea, sed hucusque in ea, utpote votiva sollemni, nulla umquam facienda erat commemoratio, semperque in fine evangelium S. Ioannis : *In principio*, legendum erat ; nunc vero omnem adhuc commemorationem respuet si una missa saltem lecta de die [2] celebretur, secus in illa fieri debent omnes et solae commemorationes quae in duplicibus 1 classis admittuntur, i. e. de dominica quacumque, de feria maiori, de octava privilegiata et de vigilia Epiphaniae ; et quotiens in ea facta sit commemoratio dominicae, feriae vel vigiliae proprium evangelium habentium, hoc evangelium in fine erit legendum.

c) Missae cantatae iisdem privilegiis fruuntur ac missae sollemnes, quod in decreto 1902 explicite non legebatur.

d) Missae privatae, quae prohibitae iam sunt etiam diebus quae excludunt duplicia 2 classis, h. e. diebus infra octavas Epiphaniae et Commemorationis sollemnis Corporis Domini nostri Iesu Christi, omnes habent commemorationes in officio occurrentes etiam octavae communis et simplicis, sed respuunt non tantum collectas, verum etiam, ut explicite nunc additur, orationes de tempore.

e) Quod ad Praefationem, in missa tam sollemni quam privata, servandae sunt rubricae, et, ut nunc additur, decreta. Praefatio proin dicetur quae dicenda foret in missa de die saltem si de ea facta fuerit commemoratio ; in missa vero sollemni quae sine commemoratione currentis officii celebratur, praefatio certe erit de ss. Trinitate vel de tempore, si haec missa celebratur in aliqua dominica, extra vero dominicam videtur item adhibenda praefatio conveniens occurrenti octavae vel tempori, minus vero patet etiam adhibendam esse praefationem propriam ipsi festo quod hac die celebratur.

2. a) Diebus quibus licita est sola missa sollemnis, sancti

---

[1] PERIOD. t. 1, n. 41.

[2] Haec missa conformis officio de die, extra ecclesias de quibus sub IV, non tamen praescribitur, etiam in dominicis.

vel beati, missae privatae conformes esse debent officio diei, sed in iis additur commemoratio sancti vel beati ; item illa commemoratio additur in missa sollemni et in privatis missis, diebus quibus etiam missa sollemnis prohibetur.

b) Haec commemoratio nunc semper facienda est immediate post orationem diei ; in duplicibus 1 et 2 classis quidem sub prima conclusione, in aliis vero diebus sub altera conclusione. Num in huiusmodi missis addendae sint aliae commemorationes quas missa diei postularet, explicite non dicitur sicut in decr. 1902 dicebatur pro missis privatis. Faciendas tamen esse in missis privatis commemorationes in ipso officio occurrentes, vix in dubium revocare possis, sed aeque certum videtur omittendas esse orationes de tempore et collectas. Quod ad *Gloria*, *Credo*, praefationem etc. ritus ipsius missae servandus est.

3. a) Nova instructione, sicut priore, infine sollemnitatum praescribitur hymnus *Te Deum* sollemniter decantandus coram SS° exposito. Porro ex decreto 1902 hymnus *Te Deum* cum *Tantum ergo* erat coniungendus, dein sub unica conclusione addendae orationes de SS° Sacramento et pro gratiarum actione. Hoc tamen contradicebat variis decretis hac in re latis quae iubebant statim post *Te Deum* subiungere versiculos *Benedicamus Patrem* etc. [1] et prohibebant post *Tantum ergo* alias cantare orationes praeter eam de SS° [2]. Nova instructio igitur, quod ad hoc punctum a decreto 1902 discedens, in his quoque sollemnitatibus regulam generalem servari praecipit.

b) Versus qui ante *Te Deum* recitandi praescribuntur illi sunt qui ex decr. 2956 ad 3 sufficiunt extra casum processionis. Notandum tamen est ibidem sermonem non esse de Versu *Dominus vobiscum*, qui hic etiam praescribitur.

Ios. Pauwels, S. I.

---

580 — S. CONGR. RITUUM

RESPONSA DE NOVIS RUBRICIS (26 MAII 1912)

Societatis Missionariorum Sacratissimi Cordis Iesu

(A. A. S. 15 iun. 1912, 4, 419)

Orator. Hodiernus redactor calendarii Societatis Missionariorum sacratissimi Cordis Iesu, de consensu sui R^mi^ Procuratoris generalis, a sacra Rituum
Dubia. Congregatione humillime petiit solutionem insequentium dubiorum, nimirum :

---

[1] Decr. 1 febr. 1907 ad 10. Period. t. 3, n. **196**, p. 72 vel 256[2].
[2] Decr. 23 nov. 1906 ad 11. Period. t. 3, n. **170**, p. 33 vel 217[2].

I. Lectiones II Nocturni in festo S. Agnetis V. M. suntne historicae, ita ut legi possint et debeant tanquam IX lectio si idem festum ob occurrentiam festi superioris ritus vel dignitatis simplificetur ? *S. Agnetis*

II. In Completorio post II Vesperas Dominicae Palmarum debentne dici preces, quando in Vesperis facta sit commemoratio duplicis die sequenti occurrentis, proindeque simplificati ? *Preces in completorio Dominicae Palmarum.*

III. In locis in quibus festum Beati Gasparis del Bufalo, Confessoris, recolitur sub ritu duplici maiori vel minori, dicendaene sunt lectiones I Nocturni propriae, an potius de Scriptura occurrente ? *Lectiones I Noct. B. Gasparis del Bufalo.*

IV. 1° Antiphonae et psalmi ad Matutinum Commemorationis omnium Ss. Romanorum Pontificum, e communi Apostolorum desumpta, itane censenda sunt propria ut recitari debeant etiam si eiusmodi festum celebretur sub ritu duplici maiori vel minori ; an potius, utpote de communi desumpta, cedere debent antiphonis et psalmis de feria ? *Commemoratio omnium Ss. Romanorum Pontificum.*

2° Idemque estne dicendum de responsoriis I Nocturni, ita ut, omissis lectionibus de Scriptura occurrente, recitandae sint lectiones « Laudemus viros » de communi ?

V. Infra octavam Commemorationis sollemnis sanctissimi Corporis D. N. I. C., si fiat commemoratio duplicis simplificati, debentne adiungi tertia oratio, an potius omitti ? *Tertia oratio in missa.*

VI. 1° In Missis de vigilia vel de feria propriam Praefationem non habente, dicendane est Praefatio propria festi vel octavae cuius factum sit officium ? *Praefatio.*

2° Itemque in iisdem Missis dicendumne est *Credo* ratione festi vel octavae symbolum habentis ? *Credo.*

VII. In Missis pro Sponsis, sicut in aliis Missis votivis ex privilegio celebratis, in duplicibus adiungendane est tertia oratio ? *Tertia oratio in missa.*

Et sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito Commissionis Liturgicae suffragio, re sedulo perpensa, ita rescribendum censuit : **Responsa.**

Ad I. Affirmative. *Ad I.*

Ad II. Negative. *Ad II.*

Ad III. Serventur propriae, si fuerint concessae, iuxta novas Rubricas, tit. I, n. 4. *Ad III.*

Ad IV. Quod ad 1um affirmative ad primam partem, negative ad secundam. — Quod ad 2um affirmative. *Ad IV.*

Ad V. Omittatur tertia Oratio. *Ad V.*

Ad VI. Quod ad 1um affirmative. — Quod ad 2um negative. *Ad VI.*

Ad VII. Negative. *Ad VII.*

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 24 maii 1912. *Dies (24 maii 1912).*

Fr. S. Card. MARTINELLI, *S. R. C. Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Episc. Charystien, Secretarius.*

ANNOTATIONES

1. Ad 2. Quia commemoratio festi simplificati preces in ipsa feria II non impedit, ideo dubitari potuit de eius efficacia in completorio praecedente. Hoc autem cum ad dominicam pertineat, diversam solutionem admittit.

2. Ad 5 et ad 7. Cfr. supra, p. 214. Die 31 martii 1909, quaestionem hic n. 7 positam differre maluit.

581. — S. CONGR. DE SACRAMENTIS

DECRETUM 3 IUN. 1912

Impedimentum criminis ex adulterio

(A. A. S. 15 iun. 1912, 4, 403)

Species facti quae causam decreto dat.

Non raro accidit, ut qui ab Apostolica Sede dispensationem super matrimonio rato et non consummato, vel documentum libertatis ob praesumptam mortem coniugis obtinuerunt, ad consulendum suae animae saluti, novum matrimonium in facie Ecclesiae cum iis celebrare velint cum quibus, priore vinculo constante, conubium mere civile, adulterio commisso, contraxerunt.

Impedimentum dispensatur in casu, ipso alio indulto.

Porro cum ab impedimento proveniente ex adulterio cum attentatione matrimonii, quod obstat in casu, peti ut plurimum haud soleat dispensatio, Ssmus D. N. Pius Papa X, ne matrimonia periculo nullitatis exponantur, de consulto Emorum Patrum sacrae huius Congregationis de disciplina Sacramentorum, statuit ut in posterum dispensatio a dicto impedimento in casu concessa censeatur per datam a S. Sede sive dispensationem super matrimonio rato et non consummato, sive permissionem transitus ad alias nuptias.

Sanatio praeteritorum coniugiorum.

Quod ad praeteritum vero eadem Sanctitas Sua matrimonia quae forte ex hoc capite invalide inita fuerint, revalidare et sanare benigne dignata est.

Mandatum SSi.

Idque per praesens eiusdem sacrae Congregationis decretum promulgari iussit, quibuslibet in contrarium non obstantibus.

Dies (3 iun. 1912).

Datum Romae, ex aedibus eiusdem sacrae Congregationis, die 3 mensis iunii, anno 1912.

D. Card. Ferrata, *Praefectus.*
Ph. Giustini, Secretarius.

Annotationes

1. Observes tacitam istam ab impedimento criminis dispensationem non semper concedi, sed *in casu* tantum, id est iis qui conubium mere civile attentarunt et consummarunt antequam ab Apca Sede dispensationem super matrimonio rato et non consummato vel permissionem transitus ad novas nuptias obtinerent. De iis valet ratio : periculum ne attentionem fugiat necessitas dispensationis quae raro postulatur.

2. *Quaeres* cur *praesumpta* coniugis morte generalis gratia determinetur ?

Quia si mors coniugis certo demonstrata fuerit, nullum libertatis documentum tradendum est, ita ut nullo alio indulto dispensatio tacite contineri possit.

3. Istud libertatis documentum etiam ab Ordinariis interdum concedi potest. Quid itaque si Ordinarius simul delegata potestate ab impedimento criminis dispensare possit ? Nonne tunc in libertatis documento quod ipse tradat similis dispensatio tacite intellegi poterit ? Atque intellegi non posse, arbitramur. Decretum enim de solis apostolicis indultis mentionem habet, nec dispensatio, quae stricte interpretanda est, a casu ad casum transferri potest.

582. — S. PAENITENTIARIAE APOSTOLICAE

RESPONSA 18 MARTII 1912

De absolutione militum et condicione clerici militantis tempore belli [1]

Orator.

Episcopus Virdunensis, sub cuius iurisdictione complurimi continentur milites, ad religiosam illorum tempore belli curam simulque ad praecavendas difficultates, Sanctitatem Vesbam humiliter rogat ut opportunam sequentium dubiorum declarationem mandet petitasque facultates concedat.

Dubia.

I. — Utrum miles quicumque, in statu bellicae convocationis, seu, ut aiunt, mobilisationis constitutus, ipsa facto versetur in periculo mortis, ita ut a quovis obvio sacerdote possit absolvi ? Quatenus *negative*, dignetur Sanctitas Vestra cuivis sacerdoti, qui indicti belli tempore missam celebrare de iure valebat, impertire facultatem a cunctis casibus absolvendi quemcumque militem e propria vel hostili natione, aut etiam ex amica.

A quo momento miles tq. in periculo constitutus absolvi possit.

II. — Utrum irregularitas ab omni clerico incurratur quem gallica lex ad exercendum active bellum aut pugnam coegit ?

Quinam irregulares fiant.

Quatenus *affirmative*, placeat Sanctissimo irregularitatem praedictam ita quidem tollere ut exercentes bellum clerici possint accedere ad Sacramenta, valeantque sacerdotes operi bellico active inservientes Sacramenta et accipere et ministrare.

Petitur relaxatio irregularitatis.

III. — Utrum ab Officii divini lege liber exsistat clericus in sacris constitutus quem bellica convocatio, seu, ut aiunt, mobilisatio ad functionem adiudicavit militis vel activi vel ministrantis commilitionibus vulneratis ?

De obligatione divini Officii.

Quatenus *negative*, dignetur Sanctitas Vestra clericos praedictos a Breviarii lege, durante bello, eximere.

Et Deus.....

Responsa, *annuente Pontifice.*

Sacra Paenitentiaria, mature consideratis expositis, benigne, sic annuente Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X, respondet :

Ad I, reformato dubio.

Ad I^um^ : Reformato dubio : « Utrum miles quicumque, in statu bellicae convocationis, seu, ut aiunt, mobilisationis constitutus, ipso facto aequiparari possit iis qui versantur in periculo mortis, ita ut a quovis obvio sacerdote possit absolvi » : Affirmative, iuxta regulas a probatis auctoribus traditas.

Ad II.

Ad II^um^ dubium : Ad primam partem : Consulat Orator probatos auctores ; — Ad secundam partem : Sacra Paenitentiaria benigne indulget ut sacerdotes militantes, ceteris paribus, inter bellicas operationes, Sacrum facere et Sacramenta ministrare valeant, non obstante irregularitate quam, pugnantes, forte incurrerint ; bello vero composito, recurrant ad compententem auctoritatem. Nihil autem obstat quominus ipsi sacerdotes aliique clerici militantes, licet forte in irregularitatem inciderint, admittantur ad Sacramenta.

Ad III.

Ad III^um^ dubium : Ad primam partem : durante bello eiusque proxima praeparatione, affirmative. — Ad secundam partem : provisum in prima.

Dies (18 martii 1912).

Datum Romae, in Sacrae Paenitentiaria die 18 martii 1912.

CAROLUS PEROSI, *S. P. Regens*
C. Licata, S. P. Substit.

---

[1] Ex QUESTIONS ECCLÉSIASTIQUES, maio 1912, p. 335.

583. — NOTANDUM

De privilegio fori ex Motu Proprio « Quantavis diligentia ». (Cfr. PERIODICA, n. **538** et **563**)

Oratori episcopo Larinen. (in Italia meridionali, provinciae ecclesiasticae Beneventanae), die 11 currentis mensis, 1912 [1], ex audientia SSi a S. Officio responsum est prohibitione et sanctione istius legis attingi personam privatam quae, sine facultate auctoritatis ecclesiasticae, in iam mota actione publica contra clericum, tamquam partem civilem de damnis agat, vel ecclesiasticas personas mere tamquam testes obliget ad comparendum.

ANNOTATIO

Cfr. MONITORE ECCLESIASTICO 31 mart. 1912, p. 4, ubi responsio ista argumentis confirmatur, et certiores fimus e mente Pontificis fuisse ut eos etiam excommunicaret qui personas ecclesiasticas tamquam testes coram saecularibus iudicibus traherent.

Desideratur quidem authentica istius declarationis promulgatio, cum officiale commentarium eandem silentio praetereat. Existimat autem MONITORE ista promulgatione opus non esse cum declarationem pro mere comprehensiva habeat. Verum alii diversimode sentient. Ac praeterea sententia *hodie* communior interpretationes etiam comprehensivas legis *obiective* dubiae aut obscurae, tamquam novas leges promulgandas esse tenet. Cfr. v. gr. MONIN, *De curia romana*, p. 219 (Lovanii 1912).

Audiatur, prae ceteris R. P. WERNZ [2] « Decreta particularia SS. CC. quae interpretationem iuris communis dubii et obscuri, non meram declarationem legis clarae continent.... *supremum* gradum auctoritatis, i. o. *legum universalium* non attingunt, nisi universae Ecclesiae promulgentur, aut iteratis declarationibus transeant in stylum curiae aut in praxim et disciplinam communiter vigentem » ac, reiecta opinione quae distinguit inter *extensivas* et *comprehensivas* declarationes, necessitatem promulgationis in omni vera legum interpretatione cl. Auctor tuetur.

Ceterum cum longe pleraeque regiones vim *Motus Proprii* effugiant diutius in hac re commorari piget.

---

[1] Desideratur dies. Sed cum in litteris S. Officii orator scripsisse dicatur die 11 dec. 1911, et quaestiones die 11 currentis mensis S. Pontifici propositae sint, R. D. BOUDINHON merito infert die 11 ian. vel febr. responsum esse. (CANONISTE CONTEMPORAIN t. 35 (1912) p. 354.)

[2] *Ius decretalium*, t. 1, Introductio, n. 145, p. 173, 174.

DECRETA SUMMATIM RELATA

584. — *SS. D. N. PII PP. X*

A. *Providetur administrationi Diaconiae S. Mariae in Domnicà* (A. A. S. 15 mart. 1912, 4, 169).

Argumentum litterarum.

Apostolicis sub plumbo litteris, 30 nov. 1911, S. Pontifex committit plenarie administrationem spiritualem et temporalem huius ecclesiae Em. Card. Pompili, huius diaconiae titulari, loco Monachorum Melchitarum, qui eam partim obtinebant.

B. *Erigitur in archisodalitatem Confraternitas S. Christophori* (A. A. S. 15 mart. 1912, 4, 172).

Erigitur archisodalitas.

Litteris apostolicis 8 febr. 1912, S. Pontifex sodalitatem S. Christophori in ecclesia S. Christophe le Jajolet, dioecesis Sagiensis, erigit in archiconfraternitatem cum facultate aggregandi ubique terrarum. « Cuius sodalitatis, ait Pontifex, utilitas nostris praecipue conspicitur temporibus, quibus eo hominum pervenit industria, ut non solum terra marique, sed in aëre quoque itinera quam celerrime conficiant, et ita in vitae discrimen saepissime adducantur. »

C. *Erigitur in archisodalitatem Confraternitas « Notre Dame de suprême pardon »* (A. A. S. 15 mart. 1912, 4, 173).

Erigitur archisodalitas.

Litteris apostolicis 28 febr. 1912, S. Pontifex Confraternitatem « Notre Dame de suprême pardon », in ecclesia S. Mauritii vulgo « de Chiddes » dioecesis Nivernensis, erigit in archisodalitatem, cum facultate aggregandi in tota Gallica ditione.

D. *Titulo basilicae minoris decoratur ecclesia S. Amabilis in urbe Ricomagensi* (A. A. S. 30 mart. 1912, 4, 209).

Erectio basilicae.

Litteris apostolicis 7 mart. 1912, S. Pontifex ecclesiam S. Amabilis in urbe Ricomagensi, dioecesis Claromontensis, titulo basilicae minoris insignire dignatus est.

E. *Titulo basilicae minoris decoratur ecclesia SS. Ferreoli et Ferrutii prope Vesuntionem* (A. A. S. 30 mart. 1912, 4, 210).

Erectio basilicae.

Litteris apostolicis 8 mart. 1912, S. Pontifex ecclesiam SS. Ferreoli et Ferrutii martyrum, prope Vesuntionem sitam, ad dignitatem basilicae minoris evexit.

F. *Titulo basilicae minoris insignitur ecclesia Virginis immaculatae oppidi Faverney* (A. A. S. 30 mart. 1912, 4, 211).

Erectio basilicae.

Litteris apostolicis 8 mart. 1912, S. Pontifex templum B. V. Immacu-

latae in oppido Faverney, dioecesis Bisuntinae, decorare dignatus est titulo basilicae minoris.

G. *Titulo basilicae minoris insignitur cathedralis ecclesia Pictaviensis* (A. A. S. 15 apr. 1912, 4, 264).

Erectio basilicae. Litteris apostolicis 1 mart. 1912, S. Pontifex ecclesiam cathedralem Pictaviensem titulo basilicae minoris decoravit.

H. *Erigitur in archisodalitatem societas SS. Cordis Iesu Bruxellis condita* (A. A. S. 15 apr. 1912, 4, 265).

Erectio archisodalitatis. Litteris apostolicis 22 mart. 1912, S. Pontifex societatem SS. Cordis, Bruxellis in templo nationali constitutam, erexit in archisodalitatem eamque primariam declaravit pro universa Belgica dicione, cum facultate aggregandi.

I. *Erigitur in archisodalitatem confraternitas N. D. a SS. Corde Iesu in civitate Quebecensi* (A. A. S. 30 apr. 1912, 4, 293).

Erigitur archisodalitas. Litteris apostolicis 25 mart. 1912, S. Pontifex Confraternitatem Nostrae Dominae a SS. Corde Iesu in templo Missionariorum SS. Cordis in civitate Quebecensi institutam erexit in primariam cum facultate aggregandi in universa dicione Canadensi.

K. *Conceduntur indulgentiae piae unioni pro Communione puerorum Romae erectae* (A. A. S. 31 maii 1912, 4, 361).

Indulgentiae. Litteris apostolicis 26 mart. 1912, S. Pontifex piae unioni pro Communione puerorum in Alma Urbe erectae, concessit indulgentias plenarias et partiales.

L. *Conceduntur indulgentiae Congregationibus mulierum a S. Elisabeth nuncupatis in dioecesi Varmiensi* (A. A. S. 31 maii 1912, 4, 363).

Indulgentiae. Litteris apostolicis 2 apr. 1912, S. Pontifex Congregationibus a S. Elisabeth nuncupatis dioeceseos Varmiensis, earumque benefactoribus, indulgentias plenarias et partiales benigne concessit.

M. *Societates puerorum SS. Sacramenti a clausula distantiae dispensantur* (A. A. S. 15 iun. 1912, 4, 397).

Dispensatio in distantia. Litteris apostolicis 26 apr. 1912, S. Pontifex Societates puerorum SS. Sacramenti quod ad aggregationem primariae de Urbe, in Basilica SS. XII Apostolorum erectae, a clausula distantiae dispensare dignatus est.

N. *Archisodalitati S. Philumenae fit venia aggregandi cognomines societates ubique terrarum* (A. A. S. 15 iun. 1912, 4, 398).

Facultas aggregandi. Litteris apostolicis 21 maii 1912, S. Pontifex archisodalitati ab opere S. Philumenae, Parisiis ad Vallem Girardi (Vaugirard) erectae, facultatem concedit, non in Gallia tantum sed ubique terrarum, aggregandi societates eiusdem nominis, erectas vel erigendas.

O. *Reprobantur consilia schismatica contra Patriarcham Armenorum* (A. A. S. 15 iun. 1912, 4, 400).

Argumentum litterarum.

Litteris 4 iun. 1912, ad Patriarcham Ciliciae Armenorum, S. Pontifex vehementer improbat quae contra illum non nulli moliti sunt, eosque excommunicationem incurrisse declarat.

585. — *S. CONGR. CONCILII*

Variae causae deciduntur.

Emolumenta, sede vacante a quoniam percipiuntur?

A. Die 16 dec. 1911, S. C. Concilii in causa Gerunden. Emolumentorum, proposito dubio : Emolumenta iurisdictionis et sigilli, sede Gerundensi vacante, ad quemnam pertinent ? Ad Episcopum futurum, ad Capitulum Cathedrale, an ad Vicarium Capitularem ? respondit in favorem Vicarii Capitularis. Quae « elegans controversia » orta erat propter ius particulare quo in hoc puncto uti dicebatur Ecclesia Gerundensis, et soluta est secundum consuetudinem nunc in Hispania vigentem (A. A. S. 30 mart. 1912, 4, 215-245).

Concursus paroeciales.

B. Die 27 ian. 1912, S. C. Concilii, in causa Brixien. et aliarum, Concursuum paroecialium, statuit sustineri posse dispositiones pro concursibus paroecialibus ab Episcopis provinciae Mediolanensis anno 1896 approbatas (A. A. S. 15 apr. 1912, 4, 296-321).

Ius suffragii. De suffragio pro se ipso.

C. Die 16 mart. 1912, S. C. Concilii in causa Laquedonien. Iuris Suffragii, post soluta dubia quae magis pertinebant ad ius particulare dioecesis, utrum nempe possint in quibusdam electionibus Canonici suffragium ferre pro consanguineis vel affinibus, respondit Canonicos non posse pro seipsis in electione Vicarii Capitularis ferre suffragium (A. A. S. 15 iun. 1912, 4, 404).

586. — *S. CONGR. CONSISTORIALIS*

A. *Dubia de electione vicarii capitularis* (A. A. S. 15 mart. 1912, 4, 175).

Ius convocandi capitulum.

Die 19 febr. 1912, S. Congr. Consistonalis respondit ad dubia de iure convocandi Capitulum ad eligendum communem Vicarium Capitularem, vacantibus sedibus Interamnensi et Narniensi deinceps aeque principaliter unitis.

B. *Ecclesia fit cathedralis* (A. A. S. 15 mart. 1912, 4, 176).

Erectio cathedralis.

Die 7 iun. 1912, S. Pontifex ecclesiam S. Ioannis-Baptistae in Limerick ad Cathedralis gradum extulit, cum vetus cathedralis ecclesia ab acatholicis occupata sit.

C. *Immutantur fines dioecesium Pisanae et S. Miniatis* (A. A. S. 15 mart. 1912, 4, 176).

Immutatio finium.

Die 10 mart. 1912, tantisper immutati sunt fines dioecesium Pisanae et S. Miniatis, ad concordantiam cum civilibus confinibus obtinendam.

D. *Erectio novae dioecesis in America* (A. A. S. 10 maii, 1912, 4, 337).

Erectio dioecesis.

Die 8 mart 1912, S. Pontifex partem dioecesis Omahensis in America in novam dioecesim, Kearneyensem nuncupandam, erexit.

E. *Erectio dioecesis « Corporis Christi »* (A. A. S. 10 maii, 1912, 4, 338).

Erectio dioecesis. Die 23 mart. 1912, S. Pontifex apostolicum vicariatum Brownvillensem in dioecesim, « Corpus Christi » nuncupandam, erexit.

F. *Fine dioecesis Wayne-Castrensis in America Sept. accuratius definiuntur* (A. A. S. 10 maii, 1912, 4, 338).

Declaratio finium. Die 29 mart. 1912, S. Pontifex declarationem edidit circa fines dioecesis Wayne-Castrensis.

G. *Episcopus Tarbiensis simul Lapurdensis vocabitur* (A. A. S. 10 maii, 1912, 4, 338).

Adiectio tituli. Die 20 apr. 1912, S. Pontifex statuit ut in posterum ecclesia cathedralis Tarbiensis eiusque Episcopus novo Lapurdensi titulo, ab oppido *Lourdes*, honoris causa, sine ulla mutatione residentiae episcopalis, curiae et capituli, honestarentur.

H. *Residentia episcopi Aturensis (Aire) in Gallia, definitur* (A. A. S. 31 maii 1912, 4, 365).

Residentia. Die 22 apr. 1912, S. Pontifex statuit Episcopo Aturensi in ipsa Aturensi civitate residendum esse, data interim copia, dum omnia in Aturensi civitate parantur, commorandi in loco vulgo *Dax* muncupato.

I. *Honorificus collegiatae titulus eccl. SS. Ferreolii et Ferrutii confertur* (A. A. S. 31 maii 1912, 4, 366).

Erectio collegiatae adhonorem. Die 20 maii 1912, S. Pontifex ecclesiam SS. Ferreoli et Ferrutii prope Vesuntionem titulo Collegiatae ad honorem condecorare dignatus est.

587. — *S. CONGR. INDICIS*

Damnata opera (A. A. S. 30 mart. 1912, 4, 368).

Proscripti libri. Die 6 maii 1912 damnata sunt quae sequuntur opera :

Abbé Jules Claraz. *Le mariage des prêtres*. Paris, 1911.

Izsóf Alajos. *A gyakori szent áldozás és az életpszichologia*. Budapest, 1910.

Th. De Cauzons. *Histoire de l'inquisition en France*. Paris, 1909.

588. — *S. CONGR. S. OFFICII*

Abiuratio schismatis (A. A. S. 30 mart. 1912, 4, 214).

Abiuratio. Evulgatur declaratio qua R. P. Cyrillus Macarius, quondam Patriarcha Alexandrinus Coptorum, retractat suam adhaesionem Ecclesiae graecae schismaticae Alexandrinae.

589. — *S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE*

A. *Fines archidioec. Calcutten. et Vicariatus Thibetani* (A. A. S. 15 apr. 1912, 4, 272).

Immutatio finium. Decreto 20 mart. 1912 separatur ab archidioecesi Calcuttensi et adiungitur Vicariatui Thibetano parva quaedam regio inter fines regni Thibetani et *British Boutan*.

B. *Fines Vicariatus Sutchuen. merid. et Kietchang* (A. A. S. 31 maii 1912, 4, 367).

Decreto 30 apr. 1912 subpraefectura civilis Tsinkyhiem separatur a Vicariatu Sutchuensi meridionali et adiungitur Vicariatui de Kientchang. *Immutatio finium.*

590. — *S. CONGREGATIO RITUUM*

Beatorum causae.

A. Die 28 febr. 1912, signata est Commissio Introductionis causae Ven. Angelae Mariae a Conceptione, reformatricis monialium Ordinis SS. Trinitatis (A. A. S. 15 mart. 1912, 4, 179). *Introductio causae.*

B. Die 28 febr. 1912, signata est Commissio Reassumptionis causae Beati Gregorii Card. Barbadici (A. A. S. 15 mart. 1912, 4, 180). *Reassumptio causae.*

C. Die 8 maii 1912, signata est Commissio Introductionis causae Ven. Emanuelis Ribera, sacerdotis professi e Congregatione SS. Redemptoris (A. A. S. 31 maii, 4, 374). *Introductio causae.*

591. — *S. ROMANA ROTA*

A. Die 11 ian. 1912, S. Rom. Rota in causa Osnabrugen. Nullitatis Matrimonii, inter M. Martham Harck et Theodorum Gärtner, statuit constare de nullitate matrimonii propter vim et metum, ab ipso Theodoro Gärtner illata. Tempore matrimonii (1901) ambo erant protestantes ; contraxerunt autem in loco ubi caput *Tametsi* non erat promulgatum (A. A. S. 15 mart. 1912, 4, 182). *Nullitas matrimonii propter vim et metum.*

B. Die 9 ian. 1912, S. Rom. Rota in causa Londonen. Incardinationis, inter R. D. P. Mendosa Roussel et Ill. Episc. M. Fr. Fallon, statuit non constare de legitima incardinatione praefati sacerdotis in dioecesi Londonensi, propter defectum instrumenti scripti (A. A. S. 30 mart. 1912, 4, 249). *Incardinatio sacerdotis in dioecesi.*

C. Die 27 ian. 1912, S. Rom. Rota in causa Parisien. Nullitatis matrimonii, inter Suzannam Mollard et Rogerium Varigault, statuit constare de nullitate matrimonii, propter defectum formae Tridentinae, in matrimonio celebrato sub pristino iure matrimoniali (A. A. S. 15 apr. 1912, 4, 277). *Nullitas matrimonii propter clandestinitatem.*

D. Die 29 dec. 1911, S. Rom. Rota in causa Ravennaten. Nullitatis matrimonii, inter P. Pasolini et Mildred Montague, confirmans priorem suam sententiam, statuit constare de nullitate matrimonii, propter defectum formae in matrimonio celebrato sub pristino iure matrimoniali (A. A. S. 15 apr. 1912, 4, 327). *Nullitas matrimonii propter clandestinitatem.*

E. Die 24 ian. 1912, S. Rom. Rota in causa Taurinen. Nominationis, inter sacerdotem Felicem Borgarello et clericum Iosephum Sona, statuit sustineri nominationem clerici Sona ad patrimonium ecclesiasticum, sacerdotem tamen Borgarello fructus patrimonii fecisse suos usque ad litis contestationem (A. A. S. 10 maii 1912, 4, 341). *Collocatio patrimonii ecclesiastici. Fructus possessione bonae fidei acquisiti.*

Nullitas matrimonii propter defectum intentionis.

F. Die 23 febr. 1912, S. Rom. Rota in causa Argentinen. Nullitatis matrimonii inter Rosaliam Schmitt et Leonardum Schmitt, statuit constare de matrimonii nullitate, propter contractum tantum matrimonium civile sine intentione maritali, non vigente decreto *Tametsi* (A. A. S. 31 maii 1912, 4, 377).

Diffamatio. Ordo pro subdito spondere debet.

G. Die 16 mart. 1912, S. Rom. Rota in causa Lausanen. et Geneven. Diffamationis, inter Sacerd. Clinum Crosta et R. P. Regynaldum Fei O. P. qui in suo opere « Theologia Moralis » duas annotationes adiecerat quas Sacerd. Clinus Crosta sibi valde iniuriosas esse censuit, incidentalem tubit sententiam duplicem : competere actori actionem quoque in R. P. Procuratorem Generalem O. P. pro eventuali refectione damnorum ; itemque admittendam esse actionem reconventionalem R. P. Regynaldi Fei qui contendit se graviter diffamatum fuisse ab actore (A. A. S. 15 iun. 1912, 4, 420).

592. — *SIGNATURA APOSTOLICA*

Regulae iudicorum.

A. Die 6 mart. 1912, S. Pontifex approbavit et promulgare iussit *Regulas servandas* in iudiciis apud Signaturae Apostolicae Tribunal (A. A. S. 15 mart. 1912, 4, 187).

Probatur amica litis compositio.

B. Die 20 febr. 1912, S. Pontifex probavit conventionem inter Capitulum Andrien. et Archipresbyterum, qua amice componebatur controversia diuturna quod ad praebendam archipresbyteralem, simul praecipiens ut ita perempta declaretur quaevis actio Capituli adversus archipresbyterum (A. A. S. 15 apr. 1912, 4, 288).

Restitutio in integrum negatur.

C. Die 15 apr. 1912, Signatura apostolica in causa Montis Regalis, Restitutionis in integrum et lurium, inter Canonicum Aimo et Capitulum cathedralis ecclesiae Montis Regalis in Pedemonte, statuit non esse locum restitutionis in integrum in favorem Can. Aimo (A. A. S. 10 maii 1912, 4, 350).

I. Salsmans, S. I.

BIBLIOGRAPHIA [1]

Apologetica et Ascetica

(Secrétariat général des œuvres apologétiques. Section française. Louvain). *Cercles d'Etudes Apologétiques et sociales. Formation de l'Elite.* 1 vol. in-8, 376 p. Bruxelles. Action catholique. — Prix : 3,50 fr.

Avant-propos. 1e Partie : Instruction et propagande.

Nécessité des Cercles d'Etudes. — Orientation Apologétique des Cercles d'Etudes. — Orientation sociale des Cercles d'Etudes.

2e Partie : L'Œuvre éducatrice.

Aux sources de l'éducation. — L'Influence éducatrice de l'Étude.

---

[1] Tous les ouvrages cités dans la Bibliographie sont en vente chez M. Beyaert, Librairie, Bruges.

3e Partie : La Formation chrétienne.

Nécessité et moyens principaux. — Rapport du R. P. Forget. — L'initiative Liturgique. — L'Influence sacerdotale.

4e Partie : Fonctionnement.

Organisation technique. — Nécessité d'une union entre les Cercles d'Études. — Annexes.

Dr A. Schaepman (R. D.) *De overgave aan God in de heilige Kloostergeloften*, uit het duitsch van Fr. Philibert Secböck O. Fr. M. met een inleidend woord van Fr. Simon Bennenbroek, O. F. M. 1 vol. in-32, 82 p. Utrecht, St Gregoriushuis 1912.

Over de voortreffelijkheid van den H. religieuzen staat. — Streeft naar volmaaktheid. — Over de kloostergeloften in het algemeen. — De Gelofte en de deugd der H. Armoede. — De Gelofte en de deugd der H. Zuiverheid. — De Gelofte en de deugd der H. Gehoorzaamheid. — De verplichting van den H. Regel. — Liefdevolle uitnoodiging van den Bruidegom.... bij de hernieuwing der H. Geloften.

Madame Cecilia (religious of St Andrew's convent). *Looking on Jesus, the Lamb of God*. 1 vol. XIV-425 p. Series of meditations for the holy season of Lent.

Moralia et Canonica

Génicot-Salsmans, S. I. *Institutiones theologiae moralis*, 2 vol. in-8, 616. 716 p. editio 7. Bruxellis, Dewit 1912 pretium, 12 fr.

N. B. Qui *apud editorem* hanc editionem sibi comparaverint, *gratis* supplementum obtinebunt, si futurum erit ut ante divenditam editionem codex iuris canonici promulgetur.

Dr Prosper Van Velsen. Hypnotisme — Suggestion — Psychothérapie. 1 vol. gr. in-8o 347. Bruxelles, Dewit, 1912. Prix 5 fr.

Considérations générales. — Psychologie classique et psychologie expérimentale. — La suggestion et la suggestibilité. — École de Paris et École de Nancy. — Procédés de suggestion. — Réfutation des erreurs. — Réfutation des objections. — Histoire de l'hypnotisme. — Observations cliniques et commentaires. — Conclusion. — Annexe.

Arthur Monin, J. C. L. *De Curia Romana*. Eius historia ac hodierna disciplina iuxta reformationem a Pio X inductam. in-8, XX-394 pp. Lovanii, Van Linthout, 1912.

Pars prima. Historica Curiae Romanae origo ac evolutio : de origine et evolutione Curiae Romanae in genere ; de vicissitudinibus historicis singulorum Curiae dicasteriorum ; de reformatione Piana Romanae Curiae.

Pars secunda. Hodierna Curiae Romanae disciplina post peractam a Pio X reformationem.

Sectio I : De Curia Romana in genere : de constitutione Curiae Romanae ; de competentia officiorum Romanae Curiae ; de ratione adeundi Sanctae Sedis officia cum iisque agendi generatim.

Sectio II : De Dicasteriis Romanae Curiae in specie : de Sacris Congregationibus ; de tribunalibus ; de officiis.

Appendices : I. De quibusdam coetibus independentibus.

II. De Curia Romana « Sede Vacante ».

Socialia

Arthur Oliviers. *Les conflits du travail et les associations ouvrières au point de vue du droit comparé.* 1 vol. gr. in-8, 130 p. Bruxelles, Van Buggenhoudt, 1912. (Revue de l'Institut de droit comparé.)

M. Rigaux. *Quand l'âme est droite...* (roman social) 1 vol. XVI-350 p. Reims, Action Populaire. Prix : éd. ord. 3 fr., éd. de luxe, 5 fr., de grand luxe, 8 fr.

1e PARTIE. *Charybde.* La villa de Tullius Cicero. — L'élan du cœur. — De spire en spire. — Jusqu'au fond.

2e PARTIE. *Le cas de conscience.* En route vers la vérité. — Les deux réponses. — Dans la lumière. — « Et si l'impossible existait ? » — « Cherchez d'abord le royaume de Dieu. »

3e PARTIE. *Le chemin de la Croix.* L'inévitable chose. — La victoire de Polybius. — La bonne souffrance. — Sur les sommets.

APPENDICE : Bibliographie. Notes.

A. Verhaegen. *Vingt-cinq années d'action sociale.* Préface de M. le Comte A. DE MUN. 1 vol. gr. in-8, XVI-370 p.

Avant-propos. — Ch. 1. De l'esprit qui anime, avant 1886, les catholiques belges sur le terrain des œuvres. — Ch. 2. Les préludes de l'orientation nouvelle des catholiques à Gand avant 1886. — Ch. 3. L'évolution des catholiques belges vers les œuvres sociales, après 1886. — Ch. 4. *Het Volk*, journal hebdomadaire. — Ch. 5. Fondation de la Ligue ouvrière anti-socialiste de l'arrondissement de Gand. — Ch. 6. Fondation d'œuvres sociales. Fondation de la Ligue démocratique belge. — Ch. 7. La ligue antisocialiste de Gand, depuis sa fondation. — Ch. 8. L'attitude de la Ligue ouvrière en matière sociale. — Ch. 9. L'action politique dans cette Ligue. — Ch. 10. L'action religieuse, dans cette Ligue. — Ch. 11. Le rôle social de Ligue démocratique belge. — Ch. 12. La ligue démocratique belge sur le terrain politique. — Ch. 14. Conclusions et vœux.

Pierre Verhaegen. *Travail à domicile et Sweating-System,* 1 vol. in-16 de 136 pages. Bruxelles, Dewit 1912.

I. LE MAL. Travail à domicile. — Sweating System. — Les causes du mal. — Entrepreneurs. — Grands magasins. — La clientèle. — La concurrence des ouvriers entre eux. — Le travail des prisons et des couvents. — Salaires de famine. — Surmenage et insalubrité. — Les répercussions.

II. LES REMÈDES. L'action des intéressés. — L'action des consommateurs. — L'intervention légale. — L'interdiction du travail à domicile. — Les lois de réglementation sanitaire. — Le minimum légal de salaire. — Objections de principe. — Difficultés d'application. — L'exemple de l'Australie. — L'exemple de l'Angleterre. — Les projets continentaux.

CONCLUSIONS.

(ACTION POPULAIRE, REIMS). *Année sociale Internationale*, 1912. 3e année. 1 vol. gr. in-8, 980 p. Reims, Action Populaire. Prix : 9 fr.

PRÉFACE. — Renseignements généraux et statistiques.

1e PARTIE : La Famille.

2e PARTIE : Le syndicalisme.

3e PARTIE : L'Etat et la protection légale des travailleurs.

4e PARTIE : Le socialisme Français en 1911.

5e PARTIE : La coopération.

6e PARTIE : L'assurance contre les risques.

MONUMENTA

593. — S. PAENITENTIARIAE

RESCRIPTUM, EX SPECIALI PONTIFICIS MANDATO, 2 DEC. 1911

De dispensanda affinitate in linea recta, ex copula licita

Beatissime Pater,

Oratores Petitio.

Ioannes Tows et Rebecca Stannett, dioecesis Hagulstadensis et Novocastrensis, ad pedes Sanctitatis vestrae provoluti, dispensationem perhumiliter petunt ut matrimonium inter se licite contrahere possint, non obstantibus impedimentis affinitatis in primo gradu et publicae honestatis.

Casus expositio

Res ita stat:

Ioannes Tows matrimonium contraxit cum muliere, nomine Stannett, iam matre filiae, ex copula inhonesta, nomine Rebeccae Stannett.

Ex his nuptiis nati sunt 3 aut 4 pueri et mortua est uxor Ioannis Tows.

Anno vero 1907, Ioannes matrimonium civile contraxit cum Rebecca Stannett, bona in fide quod ad dirimentiam ex affinitate ortam.

Certum est et probari potest Rebeccam non esse filiam Ioannis.

Ex his secundis nuptiis nati sunt duo pueri.

Causae dispensandi.

Causae sunt: 1° Legitimatio prolis.

2° Maius bonum prolis quae, adhuc infantes, patris et matris cura maxime indigent.

3° Ad cohonestandum statum Ioannis et Rebeccae.

4° Ad sedandum scandalum ortum ex cohabitatione partium quae iam propter educationem prolis vix separari possint.

Rescriptum.

Responsum S. Paenitentiariae:

Sacra Paenitentiaria, mature consideratis peculiaribus adiunctis in casu expositis, de speciali et expressa Apostolica Auctoritate, benigne sic annuente Smo Dno Nostro Pio Pp. X, Tibi Dilecto in Christo oratorum Ordinario facultatem concedit, si ita sit, super recensitis in precibus impedimentis cum oratoribus benigne dispensandi, ad hoc ut ipsi, omissis proclamationibus sed remoto scandalo, servatis in reliquis canonicis praescriptionibus, matrimonium contrahere, in eoque remanere, licite ac libere valeant, prolemque sive susceptam sive suscipiendam exinde legitimam declarandi ac respective nuntiandi. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Praesentes autem litterae, cum attestatione impertitae executionis, in cancellaria Episcopali caute custodiantur, ut pro quocumque futuro eventu de matrimonii validitate et prolis legitimitate constare possit. Datum Romae in S. Paenitentiaria die 2 decembris 1911.

Dies (2 dec. 1911).

ANNOTATIONES

1. Indultum istud, quod a professore Angliae benigne nobiscum communicatum est, in NOUVELLE REVUE THÉOLOGIQUE commentati sumus.

Ibi etiam monuimus, ante octo annos similem facultatem Episcopo Americano, vivae vocis oraculo, concessam esse, ita ut rarissima quidem, non tamen sine ullo exemplo, dispensatio ista habenda sit. De casus raritate, cfr. causam Leodiensem, 28 maii 1796, in *Thesauro Resolut. S. C. C.* t. 65, p. 111 sq. vel RIGANTI, ad reg. 4 Cancellariae.

2. Observes, non eo quod de illegitima matris filia agatur, causam affinitatis mutari. Ex prorsus legitima copula affinitas orta est, nec sanguinis coniunctio legitimitate afficitur.

Quocirca causa substantialiter eadem manere videtur sive legitimam sive illegitimam prioris coniugis filiam quispiam uxorem ducere voluerit.

3. Sed diversimode sentiendum fuerit si noverca vidua privigno coniungi voluerit. Tunc enim, sicut in relatione causae Leodiensis 28 maii 1796 observatur, inverso reverentiae ordine, noverca subdita evaserit eius qui filii locum tenebat.

4. Quamquam ne tunc quidem de impedimento iuris naturalis ageretur, nec, si speciales rationes adessent, de obtinenda dispensatione desperandum foret.

---

594. — EX AUDIENTIA SS^mi

DISPENSATIO PRO BELGIO, 7 MART. 1912

De vetita clericis temporali administratione

Très Saint Père,

Petitionis *occasio et argumentum.*

Lors de l'audience qu'Elle a daigné m'accorder dimanche dernier 3 mars, Votre Sainteté a bien voulu me déclarer qu'Elle abandonnait « *iudicio et prudentiae episcoporum* », l'application à la Belgique du Décret « *Docente Apostolo* », de vetita clericis temporali administratione.

Je serais profondément reconnaissant à V. S. de confirmer par sa signature, si Elle le juge opportun, cette bienveillante concession.

Orator.

De Votre Sainteté
Le très humble et très obéissant serviteur,
DÉSIRÉ Ios. Card. MERCIER, *Arch. de Malines.*

Gratia.

Confirmamus iudicio et prudentiae episcoporum in Belgio dedisse facultatem dispensandi super Decreto « *Docente Apostolo* » de vetita clericis temporali administratione,

Die 7 martii 1912.

PIUS PP. X.

ANNOTATIO

Decretum « *Docente Apostolo* », 18 nov. 1910, cum annotationibus reperitur in Periodicis nostris n. **465**, t. 5, p. 261 ss. Em^us^ Archiepiscopus prius obtinuerat ut decreto isti in Belgio supersederi posset donec ipse Urbem peteret. Quid denique ipsi concessum sit, ex relato indulto iam constat.

---

595. — S. CONGR. RELIGIOSORUM

RESCRIPTA 2 IUN. 1909 ET 17 MAII 1912

De tertia Sororum classe in locis missionum [1]

A. *Rescriptum 2 iun. 1909.*

Très Saint Père,

Oratrix Sororum indigenarum quae « aggregatae » vocantur incorporationem **postulat**, *hac ratione :*

La Supérieure Générale de la Congrégation de Jésus-Marie, après avoir pris l'avis de ses Assistantes, supplie V. S. de vouloir bien l'autoriser à faire incorporer à sa Congrégation les Sœurs indigènes, dites « Affiliées », établies dans quelques maisons de la Congrégation aux Indes, depuis environ cinquante ans, et qui ont reçu à diverses époques des autorisations épiscopales, mais dont l'existence n'est pas reconnue par le S. Siège. On désire régulariser leur situation en les faisant incorporer canoniquement à la Congrégation, déjà approuvée ainsi que ses constitutions, par l'insertion dans la règle des articles qui suivent :

Des Sœurs affiliées

Ubi haberi possint.

Article I. — Dans les pays de mission, comme les Indes et le Mexique, où les usages et coutumes des indigènes sont absolument opposés à ceux des Européens, les Religieuses de Jésus-Marie sont autorisées à avoir une troisième classe de Religieuses appelées « Sœurs Affiliées ».

Earum vota,

Article II. — Ces Sœurs font annuellement les vœux de Pauvreté, de Chasteté et d'Obéissance, et observent les règles communes de l'Institut.

Habitatio et Regimen.

Article III. — Les Sœurs Affiliées vivent dans une maison ou dans une partie de maison séparée de la communauté. Elles ont une Directrice particulière, mais cette Directrice et son Assistante sont toujours des Religieuses de chœur.

Noviciatus.

Article IV. — Elles font un noviciat de trois ans, un an avant la vêture et deux ans depuis la vêture jusqu'à la profession. Ce noviciat doit être fait dans la maison ou les maisons indiquées par le Conseil Général et approuvées par le S. Siége.

Admissio ad habitum et vota.

Après qu'une postulante ou une novice a obtenu les votes du Conseil local, l'autorisation d'admettre la postulante à la Vêture ou la novice à la profession, est demandée à la Supérieure Provinciale.

Habitus.

Article V. — Elles portent un habit quelque peu différent de celui des Sœurs Auxiliaires.

---

[1] Ex authenticis diplomatibus exscripta.

Suffragia post mortem.

Article VI. — Elles ont droit, à leur décès, aux mêmes suffrages que les Sœurs Auxiliaires.

Et que Dieu.....

Indultum, *clausulis temperatum.*

Ex audientia SSmi, habita ab infrascripto Cardinali Sacrae Congregationi Negotiis Religiosorum Sodalium praepositae Praefecto, die 4 maii 1909, Sanctitas Sua, attentis expositis, benigne annuit, dummodo agatur de Indis, vota sint ad annum, et Superiorissae non eligantur ab ipsis. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dies (2 iun. 1909).

Romae, 2 iunii 1909.

Card. Vives, *Praef.*
D. Janssens, O. S. B. secr.

B. *Rescriptum 17 maii 1912.*

Beatissime Pater,

Oratrix perpetua vota his Sororibus

Superiorissa Generalis Congregationis Iesu et Mariae petit, ut Sorores « Affiliatae » in Indiis, post duodecim annos votorum simplicium singulis annis emissorum, vota perpetua, iuxta discretionem Consilii Generalis et Ordinarii loci, emittere queant, mutato proinde Decreto, die 2 iunii 1909 dato, circa hunc articulum tantum.

Et Deus, etc.

Impetrat.

Vigore specialium facultatum a SSmo Domino Nostro concessarum, S. Congregatio negotiis Religiosorum Sodalium praeposita, attento voto Revmi Ordinarii Bombayen., benigne annuit pro gratia iuxta preces, de consensu Consilii Generalis, singulis vicibus, et de licentia Ordinarii loci.

Dies (17 maii 1912).

Datum Romae, die 17 maii 1912.

Fr. I. C. Card. Vives, *Praef.*
† *D. Archiep. Ephesinus, Secr.*

C. *Rescriptum 17 maii 1912.*

Beatissime Pater,

Oratrix

Superiorissa Generalis Congregationis Filiarum a Cruce, quarum domus princeps exstat Leodii, humiliter implorat facultatem, qua Sorores

Petitio *explicatur.*

indigenae sub nomine Oblatarum Crucis, in diocesibus Bombayensi et Poonensi degentes, canonice incorporari possint in ipsam Congregationem Filiarum Crucis, additis sequentibus regulis Constitutionibus Instituti.

De Oblatis crucis

Facultas aggregandi.

Art. I. — Congregatio Filiarum Crucis S. Sedis approbationem et auctoritatem habet aggregandi sibi tertiam classem Religiosarum sub nomine « Oblatarum Crucis ».

Quaenam admitti possint.

Art. II. — Solummodo virgines [1] recipiantur, intemeratae et innocentis vitae, neque plus quam viginti quinque annorum. Omnino arcendae et non admittendae sunt inter Oblatas Crucis, quae « paenitentes » vocari possent.

---

[1] Intellege, potius quam virgines stricte dictas, feminas non viduas et integrae famae.

Art. III. — Hae Sorores emittunt, post noviciatum, singulis annis, vota paupertatis, castitatis et oboedientiae, et observant regulas Instituti Filiarum Crucis. Post duodecim annos votorum annuatim emissorum discretioni Superiorum et Ordinarii committitur admittendi dignas ad vota simplicia perpetua. *Earum vota.*

Art. IV. — Oblatae Crucis in maioribus conventibus vivunt in domo, vel in parte domus separatae a Communitate. Habent directricem specialem, verum haec directrix vel eius assistens erunt semper de numero Filiarum Crucis professarum. *Habitatio.*

Art. V. — Habent noviciatum trium annorum, unum ante habitum suscipiendum et duos post habitum susceptum. Domus noviciatus assignatur per Provincialem, approbante Generali. *Noviciatus.*

Quando postulans aut novicia digna inventa est a consilio domus, ut habitum recipiat, aut vota primo emittat, stat apud Provincialem, ut decernat admissionem ad alterutrum. *Admissio ad habitum et vota.*

Art. VI. — Habitum habent paulo solummodo differentem ab illo Filiarum Crucis resp. Sororum laicarum. *Habitus.*

Art. VII. — Post obitum ius habent ad eadem suffragia, ut Sorores Laicae. *Suffragia post obitum.*

Et Deus.

Vigore specialium facultatum a SSmo Domino Nostro concessarum, S. Congregatio negotiis Religiosiorum Sodalium praeposita, Rmo Ordinario Bombayen. benigne commisit, ut enuntiatam incorporationem necnon praefatos articulos in Instituti Constitutiones introducendos approbet. **Indultum.**

Datum Romae, die 17 maii 1912. *Dies (17 maii 1912).*

Fr. I. C. Card. Vives, *Praef.*
† *D. Archiep. Ephesinus Secr.*

Annotationes

1. His exemplis discimus quomodo in missionum regionibus, habita etiam prudenti ratione diversitatum indolis qua europaei ab asiaticis indigenis separantur, beneficium vitae religiosae incolis offerri et operositas Instituti europaei auxiliis indigenarum stipari et ampliari possit.

2. Observes in primo Indulto gratiam minus amplam quam petebatur concessam esse. Indicis enim regionibus circumscripta est et vota annua tantum concessa sunt. Posterior tamen limitatio deinde altero Indulto sublata est.

---

596. — S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE

(*PRO NEGOTIIS RITUS ORIENTALIS*)

Litterae circulares 1 ian. et 15 iun. 1912, de Orientalibus

(A. A. S. 16 aug. 1912, 4, 532)

A. *Litt. 1 ian. 1912, ad locorum Ordinarios latini ritus, de prohibendis orientalibus quominus, absque venia eiusdem s. Congregationis, stipem emendicent.*

Illme ac Rme Domine,

Querelae propositae S. Congregationi

Sacrae huic *Congregationi de Propaganda Fide pro Negotiis Rituum Orientalium* persaepe recursum habent clarissimi Viri in ecclesiastica dignitate et iurisdictione constituti, sive Ordinarii, sive apostolicae Sedis Delegati, sive alii, a suprema Auctoritate remedium flagitantes contra improbandam agendi rationem quorundam ad ritum Orientalem pertinentium, qui hac et illac, per Europae et Americae praesertim regiones, cursitant ad eleemosynas colligendas, quaesito colore vel praetextu propriae missionis necessitates sublevandi.

de Orientalibus eleemosynas colligentibus, quorum agendi ratio et fraudes exponuntur.

Huiusmodi viri pecuniam colligentes, qui fere semper ad clerum orientalem catholicum se pertinere dictitant, et quandoque etiam vestium ornamenta et titulos ecclesiasticarum praeseferunt dignitatum, exhibent documenta linguis et characteribus in Occidente parum cognitis conscripta, et sigillis variis munita, quae ipsi asserunt a Praelatis, vel etiam a Patriarchis orientalibus prodire, et fidem facere de viri ea exhibentis honestate, et de necessitate eleemosynarum ad construendas vel reparandas ecclesias, ad scholas vel nosocomia aedificanda et sustentanda, ad orphanos alendos, aut populos clade vel fame perculsos adiuvandos, vel ad aliud pium opus promovendum.

Persaepe autem accidit documenta allata apocrypha esse, virum ipsum sic emendicantem fraudulenter dignitatem et insignia ecclesiastica iactare et gerere (quae etiamsi constarent vere concessa a suis Patriarchis, tamen gestari non possent nisi intra limites territorialis iurisdictionis concedentis): quandoque etiam nec sacerdotio insignitum nec ad Ordines Sacros promotum esse: quinimmo compertum est aliquando mendicantem non solum schismaticum sed et infidelem esse.

Saepe etiam scopus ad eleemosynas captandas allatus fictus omnino deprehenditur; et generatim pecunia collecta in bonum privatum personale ipsius cedit, absque ullo beneficio vel levamine orientalium fidelium aut praedictorum operum.

Quam perniciosa sit et turpis haec agendi ratio, nemo est qui non videat; nam bona fides et pietas catholicorum decipitur et fraudatur, Orientis gentibus et ecclesiis dedecus affertur, laeditur iustitia, et catholicum nomen non levem iacturam patitur.

Memoratis actis superioribus, et eorum oblivione,

Quapropter sacra haec Congregatio et ipsi summi Romani Pontifices semper conati sunt ut hi graves abusus fraudulentae emendicationis amoverentur, uti constat ex litteris Innocentii XI datis mense ianuario 1677, Clementis XII diei 26 martii 1736, et, ceteris omissis, ex monitione ad apostolicae Sedis Nuntios anni 1875.

Cum autem temporis decursu, dispositiones et monita a suprema Auctoritate lata in oblivionem decidisse videantur, Sedes apostolica etiam nuperrime rogata fuit, ut denuo supra memoratos abusus compesceret.

S. Congr. haec confirmat, et statuit,

Attenta itaque hodierna itinerum facilitate, visum est non solum praeteritas de hac re dispositiones confirmare, sed etiam haec quae sequuntur statuere:

1. Ab Ordinariis exigendum esse recens et authenticum S. C.

I. *Ordinarii in sua dioecesi nullum Orientalem admittant pecuniae collectorem* cuiusvis Ordinis vel dignitatis ecclesiasticae, etiamsi exhibeat authentica documenta quolibet idiomate exarata et sigilis munita, nisi authenticum ac recens praebeat Rescriptum sacrae huius Congregationis,

quo facultas eidem fit, tum a propria dioecesi discedendi, tum eleemosynas colligendi. *documentum ;*

II. Quod si, neglectis hisce apostolicae Sedis mandatis, aliquis Orientalis ecclesiasticus vir, etiamsi commendaticiis Praelati sui litteris munitus, Europam, Americam vel alias peragret regiones ad eleemosynas colligendas ; Ordinarius loci in quo versatur, eundem moneat de vetita emendicatione, eumque non admittat ad Missae celebrationem nec ad aliorum ecclesiasticorum munerum exercitium. *2. Orientales monendos esse et corripiendos ;*

III. Si autem pervicacem se prodat, Ordinarius, etiam per publicas ephemerides, clerum et fideles moneat huiusmodi pecuniae quaestus ut illicitos et reprobatos habendos esse. *3. Fideles certio randos esse de illicito quaestu ;*

IV. Demum, si aliquod dubium oriatur, Ordinarii ad hanc sacram Congregationem referant, quae opportune providebit. *4. Recurrendum ad S. C. pro aliis provisionibus.*

Contrariis quibuscumque minime obstantibus. *Derogatio contrariorum.*

Datum Romae ex aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide pro Negotiis Ritus Orientalis, die 1 ianuarii anni 1912. *Dies (1 ian. 1912).*

Fr. H. M. Card. GOTTI, *Praefectus.*
Hieronymus Rolleri, a Secretis.

ANNOTATIONES

1. Recentiores allatis monumentis sanctiones habemus, sed quae proprie religiosorum sunt. Sic S. C. Episcoporum et Regularium, 27 mart. 1896, decretum condidit *Singulari quidem*, quod, de solis Sororibus quaestuantibus agit, et habetur in nostro *De religiosis Institutis et Personis*, t. 2, p. 561, ss. ed. 41, n. **200**. S. autem C. *Religiosorum* magis amplum de religiosis quaestuantibus decretum fecit *De eleemosynis*, quod, 21 nov. 1908 datum, habetur n. **302**, t. 4, p. 307 ss. PERIODICA.

2. Cum Sacrae Congr[i] de Propaganda Fide Ordinarii nostrarum regionum minime obnoxii sint, praescripta ista potius utiles nobis videntur indicationes quam proprie dicta praecepta istis Ordinariis servanda.

B. *Litt. 15 iun. 1912 ad Superiores generales Institutorum religiosorum latini ritus, de modo tenendo antequam Orientales in eorum sodalitates admittantur.*

Reverendissime Pater,

Per apostolicas Litteras *Orientalium dignitas Ecclesiarum*, datas pridie calendas decembres anni 1894, Leo f. r. PP. XIII quod ad ingressum Orientalium in religiosas latinas Sodalitates praecepit : « Nulli, utriusvis « sexus, Ordini vel Instituto religioso latini ritus, quempiam Orientalem « inter sodales suos fas erit recipere, qui proprii Ordinarii testimoniales « litteras non ante exhibuerit ». *Memorato praecepto Leonis XIII, eoque laudato,*

Sapientissime quidem id cautum est, ut hac in re, et auctoritati Episcoporum, uti par est, deferretur, et una simul praedictorum Ordinum bono prospiceretur, iisdem fide dignum documentum suppeditando de postulantium vita et moribus.

S. C. nihilominus ius suum vigere asserit.

Ast per memoratam praescriptionem derogatum non fuit dispositionibus iampridem statutis, ac praesertim in generali Conventu sacrae huius Congregationis habito die 1ª iunii anni 1885, quibus praecipitur in singulis casibus recursus ad apostolicam Sedem, seu ad S. Congregationem de Propaganda Fide pro Negotiis Ritus Orientalis, ad quam etiam pertinet facultatem tribuere ritum mutandi vel ad tempus, vel in perpetuum.

Quare, antequam Orientalis in Institutum latini ritus cooptetur adiri vult et accuratam casus expositionem obtinere.

Iamvero, cum postremis hisce temporibus compertum sit, non semel Orientales in religiosa Instituta latini ritus receptos fuisse cum testimonialibus quidem litteris Ordinarii orientalis, sed inconsulta prorsus apostolica Sede; sacra haec Congregatio opportunum ducit Superiorum omnium, Institutis religiosis latini ritus, cuiuscumque formae ac utriusvis sexus, praepositorum, in mentem revocare obligationem qua tenentur, consulendi nempe in scriptis sacram hanc Congregationem antequam inter sodales suos aliquis Orientalis cooptetur.

Porro in supplici libello casus perspicue proponendus est cum omnibus suis adiunctis; et exprimi non solum debent nomen, agnomen, aetas, ritus et dioecesis postulantis, sed, si de viro agatur, praecipue explicandum est utrum admitti postulet in Institutum votorum sollemnium vel simplicium, et an pro statu clericali vel laicali; nam pontificium rescriptum, si favorabile sit, diversimode conceditur pro diversitate casuum.

Interim Deum precor ut te diutissime sospitet.

Tuus, Reverendissime Pater.

Dies (15 iun. 1912).

Romae, die 15 iunii 1912.

Addictissimus

Fr. H. M. Card. Gotti, *Praefectus.*

Hieronymus Rolleri, Secretarius.

Annotationes

1. Litterae istae, ex Congressu Emi Praefecti cum Secretario S. C. datae, perspicuas enuntiationes habere videntur. Verum quia in his Periodicis non solum auctoritates fideliter referre sed etiam declarationum rationes, pro modulo nostro, librare, ac iuridicam actorum vim pressius definire solemus, haec praeterea consideranda sunt.

2. Post C. *Sapienti Consilio,* 29 iun. 1908, iura quidem S. Congris de Propaganda Fide pro negotiis Rituum Orientalium ex cap. 1, n. 6,6 istius Constitutionis intacta manent, ita ut haec Congregatio, sicut ante, *Orientalibus* praecepta dare possit; verum omnis iurisdictio in religiosis latinos, qua religiosos, ex eodem n. 6,,, Sacrae Congri de Propaganda Fide erepta et ad S. Congregationem Religiosorum traducta est. Hinc nequit iam Superiores latinos praeceptis ligare nisi ex speciali S. Pontificis mandato. Quod aperte confirmatur normis peculiaribus 29 sept. 1908, in quarum capite 1, littera f, dicitur: « Propagandae Fidei congregatio iurisdictionem locis et rebus circumscriptam habet. » Quamquam quae Orientalibus *directe* praescripta sunt *indirecte* in Instituta latina cadere poterunt. Si v. gr. Orientalis nequeat

valide in latinum Institutum cooptari, cooptatio a latino Superiore facta vi sua carebit.

Praeterea ad S. Congregationem, non autem ad Em^um^ Praefectum cum Secretario, nova statuta pro subditis condere pertinet.

Age porro, cum litterae istae nec a plenaria Congregatione, nec accedente mandato pontificio datae sint, non novum ius condere sed tantum iuris vigentis idque sat manifesti observantiam inculcare potuerunt. Ipsae ceterum litterae testantur se velle Superioribus « in mentem revocare obligationem qua tenentur ».

3. Iam vero, satis facile perspici arbitramur, C^e^ *Orientalium*, 30 nov. 1894, dispositionibus generalis conventus 1 iun. 1885 derogatum non esse. Sed decretum istud recursum ad S. Sedem pro iis solis candidatis qui clerici fieri velint exigit. De candidatis autem orientalibus Sororum latinarum vel de laicis Instituti virorum, idem decretum permisit ut, excepta communione paschali, sine transitu ad ritum latinum, se ritui latino accommodare possent, ita ut si ex Instituti discederent ritu orientali statim iterum tenerentur. Quare ne quidem ad ritualem difficultatem solvendam recursus ad S. Congregationem Propagandae Fidei utilis est.

Legenti dispositiones 1 iunii 1885, quas Em. Cardinalis Praefectus appellat, hactenus dicta manifesta sunt. Sic enim habent sanctiones istae, quae binas partes continent. In priore parte agunt de receptione schismatici in Ecclesiam catholicam romanam ; in altera de argumento nostro. Hae porro traduntur regulae de cooptattone postulantium Orientalium in Instituta latina.

« Quod ad secundam partem: a) Si quae alumnae aut aliae puellae ritus orientalis recipiendae sint in Congregationem religiosam latini ritus, supplicandum Sanctissimo ut ipsae, quin ideo ad ritum latinum transeant, sic receptae in huiusmodi Congregationem, quam diu in eadem perseveraverint, in omnibus, etiam quod ad communionem paschalem, latino ritu sese conformare possint et debeant. Quod si deinceps, quacumque de causa, ad Congregationem pertinere desierint, eo ipso suum ritum orientalem sequi teneantur.

« b) Si alumni vel alii in Ordinem seu Congregationem Religiosam latini ritus ad statum clericalem sint recipiendi, recurrant ad S. Sedem.

« c) Quod ad recipiendos vero in huiusmodi Ordinem aut Congregationem ad statum laicalem, supplicandum Sanctissimo pro indulto se ritui latino accommodandi, quam diu in eodem laicali statu perseveraverint, prout supra de Soro-

ribus religiosis dictum est. Quod attinet ad communionem paschalem, ad Secretarium cum Sanctissimo.

. . . . . .

« Sanctissimus approbavit, sed, quod ad communionem paschalem, decrevit ut, si in locis in quibus ipsos morari contigerit, adsit proprii ritus ecclesia, in ea paschalis communionis praecepto satisfaciant [1] ».

4. Hinc colligemus, praesentes litteras, quamvis generaliores videantur, de solis candidatis *clericis* per se intellegendas esse ; candidatos autem vel Superiores non vi praesentium litterarum sed vi decreti 1 iun. 1885 tunc obligari ad recurrendum ad S. Congregationem. Quod si candidatus laicus ad ritum latinum *formaliter* transire voluerit, tunc quidem casus obtinget, praesentibus litteris praevisus, quo S. Congregatio Propagandae Fidei etiam de laico adeunda erit.

---

597. — S. RITUUM CONGR.

DECRETUM 24 APRIL. 1912

De novo volumine Decretorum S. R. C.

(A. A. S. 1 iul. 1912, 4, 446.)

Praefixum Volumini VI, seu Appendici I (ab anno 1900 num. 4052 ad annum 1911 num. 4284, cum suo indice generali) operis cui titulus : « Decreta authentica Congregationis sacrorum Rituum ex actis eiusdem collecta eiusque auctoritate promulgata. »

URBIS ET ORBIS

Pontifica authentiae declaratio.

Decreta, quae in hoc Volumine sexto (Appendice I) Collectionis Decretorum sacrae Rituum Congregationis continentur, prouti in eodem Volumine apponuntur et in Indice explicantur, sanctissimus Dominus noster Pius Papa X, referente infrascripto Cardinali sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, apostolica Sua auctoritate approbavit, atque authentica declaravit. Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis.

Dies (24 apr. 1912).

Die 24 aprilis anni 1912.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., Secretarius.*

ANNOTATIONES

1. In volumine isto non tantum demptae sunt eae Decretorum partes quae vel inutiles esse vel minus ad posteriora Decreta convenire videbantur, verum etiam non nulla responsa

---

[1] *Collectanea Propagandae Fidei*, n. 1633.

S. Rit. Congr. aliter ibi referuntur ac primum sunt scripta et promulgata.

Quocirca, ad maiorem informationem et utilitatem, in proximo fasciculo, synoptica utriusque, prioris et praesentis, textus propositione, mutationes istas sub oculis lectorum nostrorum ponemus.

2. Observes autem non sola decreta sed etiam eorum per indicem explicationem esse Sanctissimo probata et authenticae declarationis vi donata. Cum tamen iussio ut ab omnibus observentur desideretur, non omnia decreta quae in volumine inserta sunt in legem generalem transierunt, sed de eorum extensione principia generalia adeunda sunt.

3. Ipsa autem variatio, qua S. Rituum Congregatio opiniones suas interdum mutat, nos monet ut de valore responsionum S. Rituum Congregationis non aliter ac de ceteris Congregationibus dicamus. Id est, sedulo distinguere debemus decreta *generalia* quae, quia graviora praesumuntur esse, sunt ex C. *Sapienti* S. Pontifici ante significanda [1], et responsa *particularia*. Haec tutam praebent normam agendi ; et, quia aeque facile plerumque est in ritibus et caerimoniis modum tenere a rescribente Congregatione probatum atque alium non probatum, scriptores de responsis istis controversias movere non consueverunt. Nisi tamen satis aperta ratione probentur, non ex prima sua intimatione sed ex usus seu consuetudinis confirmatione vel ex perseverantia qua a S. Congregatione inculcantur, ita ut stylum Curiae efficiant, vim omnes obligandi hauriunt. Quare, dum in his Periodicis responsa de ritibus typis exscribimus et annotationibus consentaneis explicare conamur, obligationem universalem statim ita agendi minime ideo affirmare intendimus.

---

598. — SS. D. N. PII PP. X

LITTERAE ENCYCLICAE 7 IUN. 1912

Ad archiepiscopos et episcopos Americae latinae de misera Indorum condicione sublevanda

(A. A. S. 16 aug. 1912, 4, p. 521)

PIUS PP. X

VENERABILES FRATRES SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM

Opportunitas memorandi litte-

Lacrimabili statu Indorum ex inferiori America vehementer commotus, decessor Noster illustris, Benedictus XIV gravissime eorum causam

[1] PERIODICA, supra, t. IV, n. 279, p. 230.

ras Ben. XIV, quarum querelae allegantur et verae manere dicuntur.

egit, ut nostis, in Litteris *Immensa Pastorum*, die XXII mensis decembris anno MDCCXLI datis; et quia, quae ille deploravit scribendo, ea fere sunt etiam Nobis multis locis deploranda, idcirco ad earum Litterarum memoriam sollicite Nos animos vestros revocamus. Ibi enim cum alia, tum haec conqueritur Benedictus, etsi diu multumque apostolica Sedes relevandae horum afflictae fortunae studuisset, esse tamen etiamtum « homines orthodoxae Fidei cultores, qui veluti caritatis in cordibus « nostris per Spiritum Sanctum diffusae sensuum penitus obliti, miseros « Indos non solum Fidei luce carentes, verum etiam sacro regenerationis « lavacro ablutos, aut in servitutem redigere, aut veluti mancipia aliis « vendere, aut eos bonis privare, eaque inhumanitate cum iisdem agere « praesumant, ut ab amplectenda Christi fide potissimum avertantur, et « ad odio habendam maximopere obfirmentur ». — Harum quidem indignitatum ea quae est pessima, id est servitus proprii nominis, paullatim postea, Dei miserentis munere, de medio pulsa est: ad eamque in Brasilia aliisque regionibus publice abolendam multum contulit materna Ecclesiae instantia apud egregios viros qui eas Respublicas gubernabant. Ac libenter fatemur, nisi multa et magna rerum et locorum impedimenta obstitissent, eorum consilia longe meliores exitus habitura fuisse. Tametsi igitur pro Indis aliquid est actum, tamen multo plus est quod superest. Equidem cum scelera et maleficia reputamus, quae in eos adhuc admitti solent, sane horremus animo summaque calamitosi generis miseratione afficimur. Nam quid tam crudele tamque barbarum, quam levissimas saepe ob causas nec raro ex mera libidine saeviendi, aut flagris homines laminisque ardentibus caedere; aut repentina oppressos vi, ad centenos, ad millenos, una occidione perimere; aut pagos vicosque vastare ad internecionem indigenarum: quorum quidem nonnullas tribus accepimus his paucis annis prope esse deletas? Ad animos adeo efferandos plurimum sane valet cupiditas lucri; sed non paullum quoque valet caeli natura regionumque situs. Etenim, cum subiecta ea loca sint austro aestuoso qui, languore quodam venis immisso, nervos virtutis tamquam elidit; cumque a consuetudine Religionis, a vigilantia Reipublicae, ab ipsa propemodum civili consortione procul absint, facile fit, ut, si qui non perditis moribus illuc advenerint, brevi tamen depravari incipiant, ac deinceps, effractis officii iurisque repagulis, ad omnes immanitates vitiorum delabantur. Nec vero ab istis sexus aetatisve imbecillitati parcitur: quin immo pudet referre eorum in conquirendis mercandisque feminis et pueris flagitia atque facinora; quibus postrema ethnicae turpitudinis exempla vinci verissime dixeris. — Nos equidem aliquamdiu, cum de his rebus rumores afferrentur, dubitavimus tantae atrocitati factorum adiungere fidem: adeo incredibilia videbantur. Sed postquam a locupletissimis testibus, hoc est, a plerisque vestrum, venerabiles Fratres, a Delegatis Sedis apostolicae, a missionalibus aliisque viris fide prorsus dignis certiores facti sumus, iam non licet Nobis hic de rerum veritate ullum habere dubium. — Iam dudum igitur in ea cogitatione defixi, ut, quantum est in Nobis, nitamur tantis mederi malis, prece humili ac supplici petimus a Deo, velit benignus opportunam aliquam demonstrare Nobis viam medendi. Ipse autem, qui Conditor Redemptorque amantissimus est omnium hominum, cum mentem Nobis iniecerit elaborandi pro salute Indorum, tum certo dabit quae proposito conducant. Interim vero illud Nos valde consolatur, quod qui

Suppressa stricte dicta servitute, quaenam, invitis rerum publicarum rectoribus, supersint inhumanae indignitates.

Hae numerantur.

Adduntur causae.

Inconcussis testimoniis facta certa probantur.

Hinc excitata sollicitudo Pontificis, a Deo lumen petit, confidit studiis Rectorum, quae tamen magnam partem

istas Respublicas gerunt, omni ope student insignem hanc ignominiam et maculam a suis Civitatibus depellere : de quo quidem studio laudare eos et probare haud satis possumus. Quamquam in iis regionibus, ut sunt procul ab imperii sedibus remotae ac plerumque inviae, haec, plena humanitatis conata civilium potestatum, sive ob calliditatem maleficorum qui tempori confinia transeunt, sive ob inertiam atque perfidiam administrorum, saepe parum proficiunt, non raro etiam in irritum cadunt. Quod si ad Reipublicae operam opera Ecclesiae accesserit, tum demum qui optantur fructus, multo exsistent uberiores. — Itaque vos ante alios appellamus, venerabiles Fratres, ut peculiares quasdam curas cogitationesque conferatis in hanc causam, quae vestro dignissima est pastorali officio et munere. Ac cetera permittentes sollicitudini industriaeque vestrae, hoc primum omnium vos impense hortamur, ut quaecumque in vestris dioecesibus instituta sunt Indorum bono, ea perstudiose promoveatis, itemque curetis instituenda quae ad eandem rem utilia fore videantur. Deinde admonebitis populos vestros diligenter de proprio ipsorum sanctissimo officio adiuvandi sacras expeditiones ad indigenas qui Americanum istud solum primi incoluerint. Sciant igitur duplici praesertim ratione se huic rei debere prodesse : collatione stipis et suffragio precum ; idque ut faciant non solum Religionem a se, sed Patriam ipsam postulare. Vos autem, ubicumque datur opera conformandis rite moribus, id est, in Seminariis, in ephebeis, in domibus puellaribus maximeque in sacris aedibus efficite, ne umquam commendatio praedicatioque cesset caritatis christianae, quae omnes homines, sine ullo nationis aut coloris discrimine, germanorum fratrum loco habet ; quaeque non tam verbis, quam rebus factisque probanda est. Pariter nulla praetermitti debet, quae offeratur, occasio demonstrandi quantum nomini christiano dedecus aspergant hae rerum indignitates, quas hic denunciamus. — Ad Nos quod attinet, bonam habentes non sine causa spem de assensu et favore potestatum publicarum, eam praecipue suscepimus curam, ut, in ista tanta latitudine regionum, apostolicae actionis amplificemus campum, aliis disponendis missionalium stationibus, in quibus Indi perfugium et praesidium salutis inveniant. Ecclesia enim catholica numquam sterilis fuit hominum apostolicorum, qui, urgente Iesu Christi caritate, prompti paratique essent vel vitam ipsam pro fratribus ponere. Hodieque, cum tam multi a Fide vel abhorrent, vel deficiunt, ardor tamen disseminandi apud barbaros Evangelii non modo non inter viros utriusque cleri sacrasque virgines remittitur, sed crescit etiam lateque diffunditur, virtute nimirum Spiritus Sancti, qui Ecclesiae, sponsae suae, pro temporibus subvenit. Quare his praesidiis quae, divino beneficio Nobis praesto sunt, oportere putamus eo copiosius uti ad Indos e Satanae hominumque perversorum servitute liberandos, quo maior eos necessitas premit. Ceterum, cum istam terrarum partem praecones Evangelii suo non solum sudore, sed ipso nonnumquam cruore imbuerint, futurum confidimus, ut ex tantis laboribus aliquando christianae humanitatis laeta messis efflorescat in optimos fructus. — Iam, ut ad ea quae vos vel vestra sponte vel hortatu Nostro acturi estis in utilitatem Indorum, quanta maxima potest, efficacitatis accessio ex apostolica Nostra auctoritate fiat, Nos, memorati Decessoris exemplo, immanis criminis damnamus declaramusque reos, quicumque, ut idem ait, « praedictos Indos in servitutem redigere, vendere, emere,

frustranea esse, varias ob causas, dolet.

Ex accentente Ecclesiae opera maiores fructus sperat.

Quare Episcopos hortatur ut instituta foveant Indorum bono creata vel creanda, ut subditos moneant officii iuvandi stipe et oratione sacras ad primos Americae incolas expeditiones, ut ubique caritatem christianam praedicent, et indignitates damnent.

Ipse Pontifex stationes missionalium multiplicare conatus est.

Multi enim praesto sunt homines apostolici et virgines similis zeli. Ex laboribus et sanguine sparso, fructus speratur.

Damnat qui Indos varia ratione opprimunt, et peccatum Ordinariis locorum reservat.

« commutare vel donare, ab uxoribus et filiis separare, rebus et bonis « suis spoliare, ad alia loca deducere et transmittere, aut quoquo modo « libertate privare, in servitute retinere ; nec non praedicta agentibus con- « silium, auxilium, favorem et operam quocumque praetextu et quaesito « colore praestare, aut id licitum praedicare seu docere, atque alias quo- « modolibet praemissis cooperari audeant seu praesumant ». Itaque potestatem absolvendi ab his criminibus paenitentes in foro sacramentali Ordinariis locorum reservatam volumus.

Pontificis vota, spes, benedictio.

Haec Nobis, cum paternae voluntati Nostrae obsequentibus, tum etiam vestigia persequentibus complurium e decessoribus Nostris, in quibus commemorandus quoque est nominatim Leo XIII fel. rec., visum est ad vos, venerabiles Fratres, Indorum causa, scribere. Vestrum autem erit contendere pro viribus, ut votis Nostris cumulate satisfiat. Fauturi certe hac in re vobis sunt qui Respublicas istas administrant ; non deerunt sane, operam studiumque navando, qui de clero sunt, in primisque addicti sacris missionibus ; denique aderunt sine dubio omnes boni, ac sive opibus, qui possunt, sive aliis caritatis officiis causam iuvabunt, in qua rationes simul versantur Religionis et humanae dignitatis. Quod vero caput est, aderit Dei omnipotentis gratia ; cuius Nos auspicem, itemque benevolentiae Nostrae testem, vobis, venerabiles Fratres, gregibusque vestris apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Dies (7 iun. 1912).

Datum Romae apud S. Petrum, die VII mensis iunii MCMXII, Pontificatus Nostri anno nono.

PIUS PP. X.

Annotationes

1. Hoc apostolicae caritatis monumentum, suavitate et fortitudine plenum, quod nostra Periodica documenta, Missionariis et Religiosis maxime destinata, tamquam primarium quidpiam excipere debent, iterata meditatione potius quam multis explicationibus opus habet.

2. Ambo haec tantum observabimus :

a) Gravitatem excessuum qui denuntiantur et veri demonstrantur cum inefficacia conatuum civilis potestatis ad haec immania depellenda. Cuius mali causa in hoc potissimum est quod qui remotas regiones audacter petunt nimis saepe vel vitiis suis notati erant vel vilibus cupiditatibus premebantur ; remedium proinde erit ut omni modo parentur viri selecti qui fide et moribus integri forti animo periculosis expeditionibus nomen dare possint et velint.

b) Reservationem episcopo absolutionis ab Indorum oppressione, et complicitate in huiusmodi scelere.

Nullum alium hactenus novimus casum sic sine censura Episcopis a Pontifice reservatum. Ut tamen reservatio obtineat, oportet ut delictum sit in territorio subiecto reservationi, id est in America latina, commissum et ibi accusatum. Probabilis enim sententia reservatione eos excipit qui extra reservantis territorium peccarint. Quod potiore ratione fir-

matur, ubi reservatio in odium delicti, sicut in praesente causa, sancitur. Iam vero territorium Pontificis universo quidem orbi coextenditur, sed Pontifex non est formaliter reservans nisi in America latina. Consuetudo praeterea habet ut peregrini de casibus in sua ipsorum dioecesi reservatis non interrogentur. Illi soli rei absolvi extra Americam latinam non possint qui in fraudem reservationis se alio contulerint et confessarium adiverint qui potestate careat absolvendi a casibus quos ipsum ius Episcopo reservaverit.

Cum autem reservatio ista in peccatum cadat nulla censura punitum, quaeri potest nonne ab ignorantibus reservationem incurratur. Censemus tamen, excepta ignorantia crassa vel affectata, casum sine reservationis cognitione non committi. Verba enim quibus reservatio promulgatur verbis quibus indignitates contra Indos immanis criminis damnantur ita coniunguntur, ut reservatio *poenalis* esse omnino perspiciatur. Poenalis autem reservatio ab ignorantibus non committitur.

Denique, ex quo Pontifex manus casui apposuit, cessat eiusdem reservatio episcopalis si qua forte lata sit, nec nova efficaciter accedere possit, saltem in his adiunctis quibus S. Pontifex provisit. Quare non repugnat ut Episcopi casum sibi reservent si delinquentes propter ignorationem suam pontificiam severitatem evaserint.

---

599. — S. RITUUM CONGR.

DECRETUM 12 ET 21 IUN. 1912

Declarationes circa novas rubricas

(A. A. S. 1 iul. 1912, 4, 446 ss.)

A. *Decretum 12 iun. 1912, de oratione et missa pro defunctis.*

Declarationum occasio et argumenta.

Ad praecavendas dubitationes quae super recta interpretatione tituli X, n. 2 et 5 novarum rubricarum quae sequuntur constitutionem *Divino afflatu* oriri possunt, S. Rituum Congregatio, audito Commissionis Liturgicae suffragio, sequentes declarationes evulgare censuit, nimirum :

Orationis pro defunctis licentia.

I. Quandocumque in feriis maioribus Missam propriam habentibus ceterisque diebus, de quibus tit. et num. supracitatis, Missa de feria celebretur, dummodo reapse pro defunctis applicetur, addi potest oratio pro defunctis in quorum suffragium celebratur, etiamsi in ea agenda sit commemoratio de occurrente festo duplici minori vel maiori.

Compositio cum aliis orationibus,

II. Huiusmodi oratio pro defunctis non excludit in casu orationes de tempore, nisi occurrat commemoratio duplicis.

III. Quando additur ista oratio pro defunctis, non est attendendus numerus orationum utrum sit dispar an non.

Locus,

IV. Haec eadem oratio pro defunctis, semper recitari debet paenultimo loco inter orationes ea die a rubricis praescriptas vel permissas, non computatis collectis ab Ordinario imperatis.

Distinctio a generali oratione necessitas.

V. Oratio pro defunctis in quorum suffragium Missa de feria applicatur, addi potest, etiamsi eo die a rubricis praecipiatur oratio *Omnipotens sempiterne Deus* pro vivis et defunctis, vel *Fidelium* pro omnibus defunctis.

VI. Ut rite legitimeque applicari possit pro defunctis indulgentia altaris privilegiati, oportet ut, diebus in quibus a novis rubricis permittitur, missa de feria omnino celebretur, addita ut supra oratione pro defunctis pro quibus Missa ipsa celebratur.

Missa pro defunctis in choro.

VII. Licet iuxta novas rubricas tit. VIII, n. 2, cessata sit obligatio recitandi in choro officium defunctorum, nihilominus adhuc servari debet rubrica missalis tit. V, n. 1 et 2, circa Missam pro defunctis celebrandam, sive in cantu cum praesentia choralium, si agatur de Missa conventuali, sive lectam extra chorum iuxta novas rubricas tit. XII.

Dies (12 iun. 1912).

Die 12 iunii 1912.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., Secretarius.*

SEYNEN. ET ALIARUM

Dubia

B. **Seynen. et Aliarum.** *Responsa 21 iun. 1912.*

Dubia.

Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione sequentia dubia proposita fuerunt, nimirum :

De officio dominicae, 30 dec.

I. Quando Dominica occurrit a die 25 ad diem 28 decembris inclusive, Rubrica praescribit Officium huius Dominicae die libera 30 decembris celebrandum. Nunc vero pluribus in dioecesibus dies 30 decembris impedita est aliquo festo novem Lectionum. Quaeritur : Quid agendum in casu ?

De festo SS. Nominis Mariae.

II. Iuxta recentem Constitutionem « *Divino afflatu* », tit. IV, n. 3, festum sanctissimi Nominis Mariae perpetuo assignatur diei duodecimae mensis septembris. Quaeritur ergo : Num ecclesiae quae hoc festum tamquam Titulare usque ad hodiernam diem coluerunt Dominica infra octavam Nativitatis beatae Mariae Virginis sub ritu duplici I classis cum octava, ipsum recolere in posterum debeant die duodecima septembris cum Ecclesia Universali, servatis privilegiis quae Titularibus competunt ?

Eiusque octava concurrente cum octava Nativitatis.

III. Pluribus in locis festum sanctissimi Nominis Mariae ritu duplici I classis cum octava recolitur. Quaeritur : An istis in locis Octava Nativitatis B. Mariae Virginis cesset omnino, adveniente festo sanctissimi Nominis ; an potius suspendatur tantum, ita ut die decimaquinta septembris agendum sit de die Octava ipsius Nativitatis, omissa commemoratione Octavae sanctissimi Nominis ?

De symbolo propter festum simplificatum.

IV. Ex novis dispositionibus saepe accidit ut festa, sive duplicia maiora, sive sanctorum Doctorum simplificanda sint ob occursum alicuius festi translati ritus duplicis II classis. Quaeritur ergo : Num symbolum addendum sit in Missa de isto festo translato quod per se symbolum non admittat, si in ea facta sit commemoratio alicuius festi occurrentis ritus duplicis maioris aut minoris quod ius habeat ad symbolum in Missa ?

V. Collectae ab Ordinario imperatae, ex novis rubricis, tit. XI, omittendae sunt, quandocumque in Missa dicendae sint plusquam tres Orationes a rubrica eo die praescriptae. Quaeritur ergo : An Collectae omittendae sint, quando in Missis privatis, post tres Orationes eo die praescriptas, addita est oratio sanctissimi Sacramenti publice expositi, vel pro Papa aut episcopo in respectivis anniversariis electionis, seu consecrationis aut coronationis ? *De omittenda collecta.*

VI. Cum in tabella Occurrentiae perpetuae nuper ab ista S. Congregatione edita, evidenter mendum irrepserit typographicum in quadrangulo in quo sibi invicem occurrunt Simplex cum Simplici, ubi legendus est numerus 7, et non 8, dubium oritur, an aliud pariter mendum sit in quadrangulis in quibus sibi invicem obveniunt Duplex maius et minus, cum Vigilia Epiphaniae, ubi loco numeri 3 videtur quod legi debeat numerus 6, eo quod Officium ipsius Vigiliae gaudeat privilegiis Dominicae, ac proinde praevalere debeat, ex novis Rubricis, Duplici minori et maiori quod non sit festum Domini. Quaeritur : An revera in praedictis duobus quadrangulis legendus sit numerus 6, ita ut in casu agi debeat de Vigilia Epiphaniae, cum perpetua repositione Duplicis occurrentis ? *De mendis in tabellis occurrentiarum.*

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, audita sententia Commissionis Liturgicae reque accurato examine perpensa, rescribendum censuit : **Responsa**

Ad I. Officium Dominicae infra Octavam Nativitatis transferendae ea die ponatur qua festum minus nobile in occurrentia, a die 29 usque ad 31 decembris, secus peragendum foret, salvis Dominicae iuribus in concurrentia. Quod si omnia festa a die 29 ad 31 decembris occurrentia ritum duplicem I aut II classis obtineant, commemoratio Dominicae fiat in Festo ut supra minus nobili. In paritate nobilitatis Officium aut commemoratio Dominicae fiat in festo prius occurrente. *Ad 1.*

Ad II. Affirmative. *Ad 2.*

Ad III. Negative ad primam partem ; affirmative ad secundam. *Ad 3.*

Ad IV. et V. Affirmative. *Ad 4 et 5.*

Ad VI. In tabella Occurrentiae perpetuae menda corrigantur, ita ut in quadrangulo in quo sibi invicem occurrunt Simplex cum Simplici, ponatur numerus 7, et in quadrangulis in quibus occurrunt Duplex maius et minus cum Vigilia Epiphaniae, ponatur numerus 6 : et Vigilia Epiphaniae, privilegiis Dominicae gaudens, tam in occurrentia quam in concurrentia, Duplici etiam maiori semper praeferatur. *Ad 6.*

Atque ita rescripsit et servari mandavit, die 21 iunii 1912. *Dies (21 iun. 1912).*

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secretarius.*

ANNOTATIONES

A. *In decretum 12 iun. 1912.*

In adiecta nota ad praecedentem fasciculum iam monuimus, hoc decreto varias enodari difficultates quae ortae erant circa orationem pro defunctis in missis ferialibus ex novis rubricis (tit. IX n. 5) permissam.

Ad 1. Uti ex priore nostro commentario patet, ab initio

duplex de hoc puncto sententia fuit: alii enim, ex eo quod haec oratio addi permittitur in compensationem prohibitionis missae de Requiem, putabant illam dici non posse nisi illis diebus quibus antea haec missa de Requiem permittebatur, seu plerumque diebus in quibus non occurrebat duplex ; alii vero, ex eo quod in novis rubricis huic licentiae nulla huiusmodi afferebatur restrictio, putabant hanc orationem addi posse quotiescumque ex novis rubricis licita erat missa de feria ; quorum opinioni adhaesimus in priore nostro commentario (p. 175). Sed post decreta 22 mart. 1912 ad 5 (p. 205), et 19 apr. 1912 ad 8 (p. 207), in quibus admittebatur verus influxus officii commemorati in *numerum* orationum missae ferialis, ex quadam analogia eundem influxum admittendum putabamus in *qualitatem* orationum, ac proinde ad opinionem negantem transivimus.

Analogia tamen ista praesenti decreto admissa non est. Licet igitur orationem pro defunctis addere in quacumque missa feriali de qua in novis rubricis tit. X n. 5, sed ut talis oratio addi possit quando commemoratum est duplex, vel semiduplex, requiritur ut missa re vera offeratur pro defuncto, et illa oratio dicenda est quae primo loco dicenda foret in missa de Requiem pro eodem defuncto celebrata.

Ad 2 et 3. Confirmatur hic quod p. 175 dicebamus de ponenda illa oratione extra numerum, et de non addenda vel omittenda propter eam ulla alia oratione.

Ad 4. Rubrica Missalis tit. 7 n. 6 haec habet : *Si facienda sit commemoratio pro defunctis, semper ponitur paenultimo loco ;* et eodem modo loquuntur novae rubricae de hac oratione pro defunctis addenda in missa feriali. Porro post editum decretum 31 mart. 1909 ad 7 (cfr. t. 5 n. **359**), hoc intellegi debebat *paenultimo loco inter orationes omnes quae eadem die tam ex rubricarum praecepto, quam ex Ordinarii mandato, aut ad Celebrantis placitum adiungerentur*. Sed nuperrime prodiit volumen VI Collectionis authenticae Decretorum S. R. C. in qua praedictum decretum invenitur sub n. 4235 ad 5, *omissis verbis :* « *inter orationes omnes, etc.* » Mutavit ergo Congregatio suam sententiam, uti clarius etiam patet ex praesenti responso, ubi explicite dicitur non esse attendendum ad orationes ab Ordinario imperatas. Difficultatem aliquam facere possunt verba quae in praesenti decreto adduntur : *vel permissas*. Ante enim decretum 1909, auctores generatim contendebant orationem pro defunctis ponendam esse paenultimo loco inter orationes a rubrica *praescriptas*. Videndum igitur quaenam sint illae orationes a rubrica permissae. Certe sunt orationes quae per decreta vel legem generalem sunt impositae, puta orationem pro Papa vel pro Episcopo in anniversario Creationis vel Electionis,

etc. immo orationes ex indulto quibusdam diebus concessae. Num item intellegendae sint orationes quae aliquando in feriis addi permittuntur mere ad libitum celebrantis, non tam clare patet, eo magis quod secundum auctores illae orationes dicendae sunt post orationes ab Ordinario imperatas, ac proin in casu praedictae collectae iam computarentur.

Ad 5. Principium celebre est in re liturgica : *numquam bis fieri de eodem ;* unde deduxerit quis hanc orationem pro defunctis dici non posse quotiescumque ex rubrica praescripta sit oratio pro vivis atque defunctis, ac multo minus si dicenda sit oratio pro omnibus defunctis. Sed reapse principium non est hic applicabile, nam oratio a rubricis praescripta est *pro omnibus fidelibus defunctis,* oratio vero quae ex novis rubricis addi permittitur est pro uno vel quibusdam determinatis defunctis; iam vero, uti constat ex rubricis missae cotidianae pro defunctis, haec se non excludunt.

Sed quonam ordine dicendae erunt orationes si duae occurrunt orationes pro defunctis, et quae proin *ambo* paenultimo loco dici deberent? Putamus in casu unam ex illis orationibus ponendam esse antepaenultimo loco, aliam vero paenultimo, neutram vero ultimo loco.

Ad 6. De usu *altaris privilegiati* post novas rubricas fusius tractatum est superius in *Quaesitis variis* n. XIX. Opinio tamen ibidem p. (39). 2. c) tradita, secundum quam unusquisque in Quadragesima aliisque diebus quibus ex novis rubricis licet missam ferialem legere loco missae officii currentis, ad libitum dicere posset missam sive de festo, sive ferialem absque praeiudicio privilegiati altaris, iam teneri non potest [1]. Nec mirum videri debet Congregationem sic statuisse ; de se enim, quantum ex rubricis licet, missa celebrari debet de Requiem, iamvero in hac missa feriali cum oratione pro defuncto aliquid saltem habetur de missa pro defunctis quod in missa de festo omnino desideratur.

Ad 7. Uti ex hoc responso patet, per novas rubricas nihil mutata est obligatio celebrandi certis diebus in choro missam de Requiem, vel addendi extra chorum orationem pro defunctis. Quod si ex antiquis rubricis, praeter missam de Requiem, alia etiam de die erat celebranda, haec, ex novis rubricis (tit. XII) sola in cantu et cum assistentia choralium erit persolvenda, et missa pro defunctis legenda erit extra chorum.

In memoriam revocari etiam potest hanc orationem pro

---

[1] Sane tutius erit et responsis hactenus de altaris privilegio datis magis consentaneum, ut pro defuncto celebrans missam ferialem cum oratione pro defuncto dicat. Quamquam, post C. *Sapienti,* condiciones indulgentiae altaris explicare ad sectionem de indulgentiis C. S. Officii pertinet.

defunctis addendam esse etiam in missis votivis quae hac die celebrarentur, uti patet ex decreto 4235 ad 5.

B. *In decr. « Seynen et aliarum », 21 iun. 1912.*

Ad 1. Praesens solutio, ut patet, omnino conformis est menti novarum rubricarum qua, quantum potest, officium de dominica faciendum est; attendendum tamen est hanc repositionem officii dominicalis fieri tantum debere si dominica occurrerit a die 25 ad 28 decembris, nullomodo vero si occurrat a die 29 ad 31, quo casu peragetur in ipsa dominica, nisi in ea occurrat festum 1 vel 2 classis, tunc enim fiet de festo cum commemoratione dominicae. Haec enim, etsi singulari quodam translationis privilegio donatur, est tamen dominica communis.

Ad 2. In eundem sensum pluries iam respondit Congregatio relate ad alia festa eodem modo a Summo Pontifice pro universali Ecclesiae ad aliam diem amandata.

Ad 3. Principium solutionis inveniri potest in notandis n. 11 quae ex decr. 23 ian. 1912 inserenda sunt post tabellas occurrentiae et concurrentiae. (Cfr. p. 146.)

Ad 4. Iam antiquitus non raro symbolum erat recitandum, non ratione ipsius officii, sed ratione commemorationis v. g. infra octavas. Est tamen aliqua differentia inter regulam applicandam infra octavam et illam quae hic praescribitur pro festo simplificato ; nam fieri potest ut in missa dici debeat symbolum ratione octavae, etsi illius octavae nulla fiat commemoratio, contra ratione festi symbolum non addetur, nisi reapse festum commemoretur ; ac ratio differentiae patet : octava enim, etsi per accidens commemorationem non obtineat, tamen perdurat, cum, elapso festo, iterum celebretur : festum vero prorsus est suppressum. Animadvertendum insuper est symbolum numquam prorsus addi in missis de feria, uti explicite declaratum est in decr. 24 maii 1912 ad VI 2° (cfr. n. **580**).

Ad 5. Confirmatur interpretatio quam superius dedimus (p. 176), immo magis etiam extenditur exceptio, cum collecta imperata omittenda sit non tantum si in missa cantata coram SS° exposito quarto loco dicta sit oratio SS^{i} ex obligatione addenda, sed etiam si praedicta oratio venerit quarto loco in missa privata coram SS° celebrata, etsi tunc ad libitum celebrantis relinquitur.

Ad 6. Iam monuimus p. 177 in nota, in tabella occurrentiae perpetuae, mendum irrepsisse quod ad occurrentiam simplicis cum simplici ibique legendum 7 pro 8. Ex aliis correctionibus in eadem tabella faciendis patet vigiliam Epiphaniae, in novo iure sicut et in antiquo, in occurrentia aequiperari officio dominicali. In concurrentia item privi-

legia dominicae obtinet in primis suis vesperis, ita ut iam praevaleat duplici minori vel etiam maiori, ac proin etiam diei octavae ss. Innocentium ; idem vero dici non debet de 2 vesperis, quibus simpliciter caret.

Ios. PAUWELS, S. I.

---

600. — S. RITUUM CONGR.

DECLARATIO 11 APRIL. 1911

De editionibus liturgicis cum signis rhytmicis

Dubium *de facultate episcoporum.*

Cum postulatum fuerit, an Episcopi possint propriam approbationem donare libris cantus gregoriani, melodias Vaticanae editionis adamussim reproductas continentibus, sed cum signorum rhytmicorum indicatione, privata auctoritate additorum ?

Sacra Rituum Congregatio, ad maiorem declarationem Decreti n. 4259, 25 ianuarii vertentis anni, respondendum censuit :

Responsio.

Editionibus in subsidium scholarum cantorum, signis rhytmicis, uti vocant, privata auctoritate ornatis, poterunt Ordinarii, in sua quisque Dioecesi, apponere *Imprimatur*, dummodo constet, cetera quae in Decretis Sacrae Rituum Congregationis iniuncta sunt, quod ad cantus gregoriani restaurationem fuisse servata.

Approbatio Pontificis.

Quam resolutionem Sanctissimo Domino nostro Pio Papa X, per Sacrorum Rituum Congregationis Secretarium relatam, Sanctitas Sua ratam habuit et probavit.

Dies (11 apr. 1911).

Die 11 aprilis 1911.

ANNOTATIO

Cum supra, n. **485**, p. 6, huius tomi VI, decretum 25 ian. 1911 exscripserimus quo S. Rituum C. rhytmicis editionibus satis infensa videbatur, ita ut eas « precario a S. Sede toleratas » diceret, subsequentem declarationem, qua severitatem istam temperavit, addere visum est. Declaratio autem ista ACTIS APOSTOLICA SEDIS promulgata non est, sed in authenticorum decretorum volumine VI habetur n. 4263.

---

601. — S. CONGR. S. OFFICII

DECRETA 16 APRIL. 1890 ET 12-13 IUN. 1912, DATA 21 IUN. 1912

De necessitate cautionum in dispensanda cultus disparitate (A. A. S. 1 iul. 1912, 4, 442. 443)

A. *Decretum 16 april. 1890 de cautionibus semper exigendis.*

Dies conventus. **Dubium** *de*

In plenario conventu supremae sacrae Congregationis sancti Officii habito feria IV die 16 aprilis 1890, proposita quaestione : « An in conce-

exigendis cautionibus. « dendis ab habente a Sancta Sede potestatem dispensationibus super « impedimento disparitatis cultus praescriptae cautiones semper sint « exigendae », E^mi ac R^mi DD. Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores generales, re perdiligenti examine discussa, respondendum

Responsum. decreverunt : « Dispensationem super impedimento disparitatis cultus « numquam concedi, nisi expressis omnibus condicionibus seu cautio- « nibus ».

Approbatio SS^i. Eademque die ac feria SS^mus D Leo PP. XIII, in solita audientia R. P. D. Assessori eiusdem supremae sacrae Congregationis impertita, E^morum Patrum resolutionem benigne approbare et confirmare dignatus est.

Clausula. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dies (21 iun. 1912). Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 21 iunii 1912.

Aloisius Castellano, S. R. et U. I. Notarius.

B. *Decretum 12-13 iun. 1912, de nullitate dispensationis factae sine his cautionibus.*

Dies conventus. In plenario conventu supremae sacrae Congregationis sancti Officii, habito feria IV die 12 iunii 1912, propositis dubiis :

Dubia.

De nullitate dispensationis. 1° Utrum dispensatio super impedimento disparitatis cultus, ab habente a Sancta Sede potestatem, non requisitis vel denegatis praescriptis cautionibus impertita, valida habenda sit an non ? Et quatenus negative ;

De nullitate matrimonii declaranda. 2° Utrum hisce in casibus, cum scilicet de dispensatione sic invalide concessa evidenter constat, matrimonii ex hoc capite nullitatem per se ipse Ordinarius declarare valeat, vel opus sit, singulis vicibus, ad Sanctam Sedem pro sententia definitiva recurrere ?

Responsa. E^mi ac R^mi DD. Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores generales, omnibus mature perpensis, respondendum decreverunt :

Ad 1. Ad 1.^m Dispensationem prout exponitur impertitam esse nullam.

Ad 2. Ad 2.^m Affirmative ad primam ; negative ad secundam partem.

Approbatio SS^i. Et sequenti feria V, die 13 eiusdem mensis, SS^mus D. N. D. Pius divina providentia PP. X, in solita audientia R. P. D. Assessori eiusdem supremae Congregationis impertita, E^morum Patrum resolutionem benigne approbare et confirmare dignatus est.

Clausula. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Dies (21 iun. 1912). Datum Romae, aedibus S. Officii, die 21 iunii 1912.

Aloisius Castellano, S. R. et U. I. Notarius.

Annotationes

1. Cautiones quae in dispensatione exigendae sunt, in ipsis Indultis hac ratione praescribuntur : « de amovendo a coniuge catholico perversionis periculo ; de conversione coniugis infidelis pro viribus curanda ; de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate omnino educanda ».

2. Non semel iam antea S. Sedes manifestum fecit quo rigore cautiones istas exigi vellet. Sic, S. Officium, in responso 15 dec. 1769 : « Caveant ut omnino et adamussim

servent condiciones in formula indulti ipsis praescriptas [1] » ; in responso 15 febr. 1780 : « Illud maxime caverint quod pars infidelis, nisi spem suae conversionis praebuerit, saltem sine contumelia Creatoris et christiani nominis iniuria sit cum parte fideli cohabitatura, nec ullatenus impeditura educationem prolis utriusque sexus in sancta religione [2] ». Idem inculcat Instructio Secretarii Status, iussu Pii IX die 15 nov. 1858 ad omnes episcopos misso de mixtis coniugiis : « Salvis firmisque semper, ac perdiligenter servatis cautionibus de perversionis periculo amovendo a coniuge catholico, de conversione acatholici coniugis ab ipso coniuge catholico pro viribus procuranda, deque universa utriusque sexus prole in sanctitate catholicae religionis omnino educanda [3] ». Immo 18 mart. 1891, S. Officium respondit « cautiones etiam in articulo mortis esse exigendas », quamvis facultas dispensandi a cultus disparitate in amplissima facultate dispensandi ab impedimentis cum moribundis contenta sit [4].

Si casus itaque exceptionem postulare videatur, iudicium causae S. Sedi reservatum est.

3. Priore decreto, quod, regnante Leone XIII conditum, nunc tantum publici iuris fit, severitas ista confirmatur. Altero autem, perspicuis verbis, cautiones ita exigendae sunt ut, his omissis, ipsa dispensatio valore suo destituatur, ita ut evidentia omissionis matrimonium manifesto invalidum linquat, nec Benedictinae sollemnitates de causis matrimonialibus observandae sint. Species itaque ista accedit ad species contentas decreto S. Officii 5 iun. 1899.

4. Attamen, cum in Instructione, iubente Clemente XIII missa, S. Officium expressis verbis matrimonia ineunda a matrimoniis iam initis distinguat, et de prioribus tantum decernat condiciones stricte observandas esse, missionarii de matrimoniis iam initis se gerere poterunt sicut eadem instructione dicitur : « 1. Ut eae dispensationes non nisi vere catholicis indulgeantur, et ubi coniux in infidelitate remanens baptizari renuit. 2. Ut tunc solum concedantur, cum ex separatione gravia praevidentur incommoda secutura. 3. Ut eaedem dispensationes gratis omnino et absque ulla prorsus mercede impertiantur. 4. Ut in concessione coniugi catholico commendetur atque iniungatur catholica quoque prolis educatio, et quod curare debeat, modo quo fieri poterit, coniugis infidelis conversionem [5]. 5. Ut con-

---

[1] *Collectanea Pr. Fid.* n. 476.
[2] Ibidem, n. 542.
[3] Ibidem, n. 1069.
[4] *Collectanea Pr. Fid.*, n. 1750.
[5] Ibidem, n. 472.

sensus renovetur. 6. Ut usus fiat facultatis dispensandi intra missionis fines ».

Monet autem C. Gasparri [1], S. C. Prop. Fidei ad hanc instructionem remisisse oratorem qui quaerebat : « An queant dispensari super disparitate cultus mulieres illae christianae ab antiquo gentilibus absque praevia dispensatione traditae, quibus a maritis libertas quidem conceditur sese in sacra religione exercendi, sed non est in tuto posita proles aut nata aut nascitura, ut possit baptizari et in christiano ritu educari ».

5. Scite observat R. D. De Smet [2] decretum valere de dispensatione tum vi indulti generalis tum vi rescripti particularis concedenda, etiamsi mere exsequendum sit rescriptum apostolicum, consuetis clausulis munitum; minus stricte autem ad valorem pertinere ut *constet* de futura positiva cura conversionis alterius partis, quamvis etiam haec clausula et a sola S. Sede relaxari possit.

---

602 — S. CONGR. S. OFFICII

DECRETUM 21-23 MAII DATUM 21 IUN. 1912

De parochi assistentia matrimoniis mixtis in quibus praescriptae cautiones a contrahentibus pervicaciter detrectantur (A. A. S. 1 iul. 1912, 4, 443.)

Occasio difficultatis.

Cum per decretum *Ne temere*, diei 2 augusti 1907, n. IV, expresse ac nulla facta distinctione edicatur parochos et locorum Ordinarios *valide* matrimonio assistere, *dummodo invitati ac rogati... requirant excipiantque contrahentium consensum ;* graves in praxi difficultates ortae sunt relate ad mixtas nuptias in quibus, denegatis pervicaciter a partibus debitis cautionibus, Sancta Sedes, attentis peculiaribus quorundam locorum circumstantiis, *materialem tantum parochi praesentiam*, per modum exceptionis ac veluti ultimum tolerantiae limitem, antea aliquando permiserat.

Vindicata sua competentia,

Re delata ad supremam hanc sacram Congregationem sancti Officii, cui ex praescripto apostolicae Constitutionis « Sapienti consilio » *integra manet... facultas ea cognoscendi quae circa... impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis versantur*, atque in plenario conventu habito feria III, loco IV, die 21 maii 1912, praevio Rmorum DD. Consultorum voto, perdiligenti examine discussa, Emi ac Rmi Dni Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores generales, omnibus mature perpensis, decreverunt :

---

[1] *Tractatus canonicus de matrimonio*, n. 617, nota.
[2] Collationes brugenses, 1912, t. 17, p. 559. 560.

« Praescriptionem Decreti *Ne temere*, n. IV, § 3, de requirendo per « parochum excipiendoque, ad validitatem matrimonii, nupturientium « consensu, in matrimoniis mixtis in quibus debitas cautiones exhibere « pervicaciter partes renuant, locum posthac non habere ; sed standum « *taxative* praecedentibus Sanctae Sedis ac praesertim s. m. Gregorii « PP. XVI (Litt. app. diei 30 aprilis 1841 ad episcopos Hungariae) ad rem « concessionibus et instructionibus : facto verbo cum SS^mo ».

S. Officium decernit prioribus ordinationibus standum esse.

Et sequenti feria V, die 23 eiusdem mensis, SS^mus D. N. D. Pius divina providentia PP. X, in solita audientia R. P. D. Assessori huius supremae sacrae Congregationis sancti Officii impertita, relatam sibi E^morum Patrum resolutionem benigne approbare ac suprema sua auctoritate in omnibus ratam habere dignatus est.

Approbatio SS^i.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali atque individua mentione dignis, non obstantibus.

Derogatio contrariorum.

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 21 iunii 1912.

Dies (21 iun. 1912).

Aloisus Castellano, S. R. et U. I. Notarius.

Annotationes

1. Si in mixtis nuptiis partes debitas cautiones praestare noluerint, parochus suam praesentiam per se negare debet. Quibusdam tamen regionibus, praecipue Hungariae (ex litt. Gregorii XVI, 30 april. 1841), indultum est ut etiam tunc parochus adesse permitteretur.

De ista causa praesens decretum agit.

2. Etenim iisdem litteris Gregorius XVI *materialem tantum parochi praesentiam* permiserat. Sed cum die 27 iul. 1908 ad III, S. Congr. Concilii respondisset etiam in matrimoniis mixtis, vi decreti *Ne temere*, requiri ad valorem ut parochus contrahentium consensum *exquireret* et *exciperet* [1], interpretes modicam interrogationem parocho permiserunt quotiescumque adesse posset.

3. Verum S. C. S. Officii in primis suam vindicat competentiam ad cognoscendum, ex C. *Sapienti consilio*, quidquid ad impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis attineat. Deinde, hac sua competentia nixus, statuit ut in matrimoniis mixtis, in quibus debitas cautiones exhibere partes pervicaciter renuant, praecedentibus S. Sedis instructionibus *taxative* (id est, unice) staretur.

Quia tamen universali Decreti *Ne temere* iussioni sic contraire videbatur, S. Officium firmitati sui decreti consuluit clausula « facto verbo cum Sanctissimo ».

4. Sed cum, in praesenti causa, specialis competentia in impedimenta mixtae religionis et disparitatis cultus ab ipso S. Officio appellata sit, et exceptio formae *Ne temere* stricte interpretanda sit ; ad alios etiam similes casus decretum

---

[1] Cfr. PERIODICA, t. IV, n. 282, p. 269 ss.

istud traduci nequit. Quare tunc tantum passiva praesentia sufficere poterit, cum de mixtis nuptiis agitur et partes debitas cautiones obstinate praestare recusaverint. Alterutra deficiente condicione, positiva interrogatio adhibenda erit qualis in matrimoniis communiter necessaria est.

603. — EX SECRETARIA STATUS

LITTERAE 2 IUL. 1912

De vocatione sacerdotali (A. A. S. 15 iul. 1912, 4, 485.)

Ad R. P. D. Carolum M. de Cormont, episcopum Aturensem (évêque d'Aire et de Dax) de libro qui inscribitur « La vocation sacerdotale » edito a Rev^mo Canonico Iosepho Lahitton, eiusdem dioeceseos.

MONSEIGNEUR,

Institutio coetus specialis Cardinalium. En raison des dissensions qui se sont produites à l'occasion du double ouvrage du Chanoine Joseph LAHITTON sur « *La Vocation Sacerdotale* » et de l'importance de la question doctrinale y soulevée, Notre Très Saint-Père le Pape Pie X a daigné nommer une Commission spéciale d'E^mes Cardinaux.

Sententia. Cette Commission, après avoir mûrement examiné les arguments en faveur de l'une et de l'autre thèse, a prononcé, dans sa réunion plénière du 20 juin dernier, le jugement suivant : « Opus praestantis viri Iosephi, Canonici Lahitton, cui titulus « *La Vocation Sacerdotale* » nullo modo reprobandum esse, immo, qua parte astruit : 1°) Neminem habere umquam ius ullum ad ordinationem antecedenter ad liberam electionem Episcopi. — 2°) Condicionem quae ex parte Ordinandi debet attendi, quaeque Vocatio Sacerdotalis appellatur, nequaquam consistere, saltem necessario et de lege ordinaria, in interna quadam aspiratione subiecti seu invitamentis Spiritus Sancti, ad sacerdotium ineundum. — 3°) Sed e contra, nihil plus in Ordinando, ut rite vocetur ab Episcopo, requiri quam rectam intentionem simul cum idoneitate in iis gratiae et naturae dotibus reposita, et per eam vitae probitatem ac doctrinae sufficientiam comprobata, quae spem fundatam faciant fore ut sacerdotii munera recte obire eiusdemque obligationes sancte servare queat : esse egregie laudandum ».

Approbatio SS^mi. Sa Sainteté Pie X a pleinement approuvé, dans l'audience du 26 juin, la décision des Éminentissimes Pères, et Elle me charge d'en donner avis à Votre Grandeur qui voudra bien la communiquer à son sujet, M. le Chanoine Joseph LAHITTON, et la faire insérer, *ex integro*, dans la « SEMAINE RELIGIEUSE » du Diocèse.

Je prie Votre Grandeur, Monseigneur, d'agréer l'assurance de mes sentiments très dévoués en Notre-Seigneur.

Dies (2 iul. 1912). Rome, 2 juillet 1912.

R. Card. MERRY DEL VAL.

Annotationes

1. Tanta est concordia inter positivas declarationes his litteris contentas seu tria puncta quae specialis Cardinalium coetus maxime commendat et nostram de vocatione religiosa et sacerdotali dissertationem [1], ut omni annotatione addenda abstinere possimus, cum praefata lucubratio praesentem declarationem plane explicet atque interpretetur. Pauca tamen summatim complecti lectorem iuvare potest.

2. Re quidem vera, dum per plurima saecula nullae fuerunt de eligendo vitae statu speciales propositiones quae anxietatum vel controversiarum ansam darent, a pseudo-reformatione coeperunt theologi quidam, etiam catholici, sensim sine sensu, exstruere doctrinam quae mox pro communi in manualibus theologiae moralis operibus recepta est. In qua doctrina proponenda, ignorantes vel inviti, errorum rigorismi et mysticismi vi ac fortuna trahi videbantur. Quin immo nonne simili spiritu aliquantisper moti videri possunt quo reformatores contendebant statum virginitatis impervium esse iis qui speciali castitatis dono carerent? Doctrinae isti vera traditio, sincero oculo lustrata, repugnabat; sed sua aedificatione occaecati iidem theologi sincero traditionis examine prohibebantur, et paucis verbis S. Gregorii Magni et S. Bernardi contenti [2], in his sibi faventem traditionem reperire existimabant, sicut ex falsa interpretatione c. 7, 1 ad Cor. etiam subsidia quaerebant. Ipsa eiusdem doctrinae asserta inter se pugnare videbantur, sed auctoritate capti quorundam theologorum qui, digni existimatione, errore tamen immunes non erant nec scientiae sacrae limites posuerant, in verba magistri iurare pergebant.

3. Doctrina ista hoc primo postulato innitebatur: esse in divinis consiliis unum singulis hominibus praefinitum vitae statum, quem nisi amplectereris extra viam tuam cum maximo salutis periculo ambulabas. Mira sic confusione vocationem ad salutem supernaturalem, quae finis necessarius est, et fidem, quae medii necessitatem habet, non distinguebant a variis mediis honestis quorum summus Dominus liberam optionem nobis permittere solet.

Deinde separantes a statu qui dicebatur communis status sublimiores sacerdotii et vitae religiosae, fautores eiusdem artefactae doctrinae pro his posterioribus statibus postulabant specialem vocationem divinam. Hinc nuperrimi quidam scriptores hanc conclusionem scribere coeperunt: sacerdotes vel religiosi fieri debent quotquot vocantur, fieri non possunt, quotquot non vocantur.

---

[1] Cfr. *De religiosis institutis et personis*, t. 2, supplem. 3 (ed. 4) p. (24) et ss.
[2] Locos istos explicavimus in dicta lucubratione, p. (35). (36).

Nec tamen audebant peccati mortalis damnare qui vocationi non obtemperaret; ita ut terribiles in principiis et comparationibus, quibus v. gr. homines suae vocationis incuriosos similes faciebant angelorum rebellium, timidi omnino in conclusione apparerent. Quamquam alii praeter vocationes necessarias vocationes etiam liberas agnoscebant.

Denique, in *discernenda* vocatione illa sublimiore, plures criterium appellare coeperunt quandam internam locutionem Spiritus sancti, quae in animi inclinatione seu aspiratione audiretur.

4. Sententia contra quae vera traditione, antiquitate et simplicitate aeque commendatur,

Non negat quidem supremum Dei dominium quo quibusdam extraordinario modo voluntatem de tali statu amplectendo vel manifestat vel imponit ;

Sed generalia praecepta divina non admittit nisi quae in revelationis fontibus promulgantur; quae vero tamquam consilia proponuntur consilia esse sinit ;

Electionem cuiuslibet status christianae prudentiae regulis vult obnoxiam. Aptitudinem ut condicionem negativam, voluntatem rectam et satis, pro difficultatibus, firmam, tamquam condicionem positivam postulat.

Haec qui habet ingressum in seminarium vel in religionem postulare potest, immo et eo laudabilius postulabit quo in dicto statu consilia Christi magis presse sequatur.

Postulare, inquam, potest.

Cum Episcopus enim et, in praesenti disciplina, Superior religiosus constituti sint qui candidatos vel ordinent vel admittant, ipsis integrum est ex utilitate dioecesis vel Instituti de ordinatione vel admissione sententiam ferre quae nullum ius violat, et quae vocationem perficit quatenus sola efficit ut quispiam re vera sit clericus, sacerdos vel religiosus. Et fit ut quis sancte moveatur ad statum petendum sacerdotalem vel religiosum, qui tamen iuste repellatur. Deus ipse interdum desideria inspirat quae opere compleri non permittit. Quare theologi voluntatem *signi* a voluntate *beneplaciti* divini distinguunt.

Quod si quis etiam minus recta voluntate sacerdotium appetiverit, postquam factus est sacerdos, Deus ipsum, voluntate, ut aiunt consequenti, sacerdotem vult, paratus oranti et paenitenti gratias sanctae vitae ministrare. Quod est, contra haereticos, manifesta doctrina Concilii Tridentini. Et hac ratione dici potest vocari ad sacerdotium quotquot episcopus elegerit.

In ipsa recta voluntate, in adiunctis quibus praeparata est, cernitur potissimum divinae vocationis gratia, sicut omnis voluntas bona simul ex nobis est et ex gratia divina. Interna

autem experientia pacis, consolationis et afflictionis, subsidia etiam saepe praebet ad discernendas electiones nostras quae Deo peculiariter acceptae sint.

5. His praenotatis vel memoratis, ut ad praesentes litteras redeamus,

1° earum puncto reicitur corollarium satis logicum doctrinae quam impugnavimus. Si enim ipse Deus suos sibi sacerdotes directe eligit, episcopus sola bona fide vel ignorantia ab iniustitia excusatur, si cuipiam vocato sacerdotium negaverit. Ius enim inviolatum est hominis ut divinam voluntatem exsequatur.

2° puncto reicitur, tamquam ordinarium, istud criterium locutionis divinae per aspirationem animi *(l'attrait)* quo eadem doctrina divinam vocationem distinguere putabat. In qua re mire quidam adeo progressi sunt ut omni consilio vel directione abstinendum dicerent, ne vox humana divinam interciperet.

3° denique puncto confirmatur simplex ista ac vera sententia, a qua si recessum non esset, multis erroribus practicis atque etiam multis scriptis inutilibus humanum genus liberum mansisset.

---

604. — S. RITUUM CONGR.

INDULTA 17 IUN. AC 2 AUG. ET INSTRUCTIO 25 IUL. 1912

De reductione festorum et reditu ad Calendarium Universalis Ecclesiae. (A. A. S. 16 aug. 1912, 4, 538 ss.)

A. *Indulta 17 iun. ac 2 aug. 1912.*

Summaria indultorum relatio.

Indultis istis, quae paucis verbis complecti satis erit, S. Rituum Congregatio episcopo Tudertino concessit ut, expunctis e calendario dioecesano multis festis particularibus et multorum aliorum reducto ritu, festa Ecclesiae universalis proprias recuperarent dies quibus propter festa peculiaria exciderant ; — episcopo autem Piscien. permisit ut in posterum calendarium universalis Ecclesiae adhiberet, additis tantum quibusdam festis quae specialem cum memorata dioecesi relationem habebant.

Quo spectet mox citanda Instructio.

Hac sui supplicis libelli forma, episcopus Piscien. ipsis S. Congregationis votis obsecutus est, sicut testatur mox alleganda instructio, quam, ni fallimur, Ordinarii locorum et Superiores religiosi sine mora exsecutione complebunt, ut sic in universa Ecclesia latina perfectior calendarii unitas vigere incipiat. Itaque,

B. *Instructio seu responsum 25 iul. 1912 « R^mis locorum Ordinariis vel Superioribus Ordinum seu Sodalitatum postulantibus calendarii proprii reformationem, vel expunctionem Festorum aut reductionem ritus. »*

Votum S. Congr. Mens sacrae Rituum Congregationis est, ut, rite postulante R^mo Ordinario loci, seu Superiore Ordinis vel Sodalitatis, in posterum, de apostolica venia, relicto proprio calendario, adhiberi valeat calendarium Ecclesiae universalis, additis tantummodo Festis quae stricto sensu propria dici possunt, ad normam Constitutionis apostolicae *Divino afflatu* et recentium rubricarum, *tit. II, num. 2, litt. e.* Quo in casu elenchus Festorum, adductis rationibus de eorum proprietate, ad sacram Rituum Congregationem cum supplici libello transmittatur.

Ratio exsequendi.

Dies (25 iul. 1912). Ex Secretaria S. R. C. die 25 iulii 1912.

† *Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., Secretarius.*

ANNOTATIO

In decr. 25 iul. 1912.

Hoc decretum paululum mitigat prohibitionem factam in dispositionibus temporariis n. IV (p. 135) reformandi calendaria perpetua usque dum nova correctio breviarii et missalis vulgetur. Et certe talis reformatio non modo novis rubricis neutiquam est contraria, sed potius ita iis dicenda est consentanea ut per eam plenius et ampliori modo menti summi Pontificis satisfiat. Forte modus indicatur qui brevi omnibus imponetur.

Quod Ordinarii Superioresque regulares rationes adducere iubentur de proprietate festorum quae servare volunt, intentionem prodere videtur non tam facile iam festa particularia concedendi quae non sint stricto sensu propria.

IOS. PAUWELS, S. I.

---

605. — S. RITUUM CONGR.

DECRETUM 8 IUL. 1912

Circa modulandas monosyllabas vel hebraicas voces in Lectionibus, Versiculis et Psalmis

(A. A. S. 16 aug. 1912, 4, 539.)

Dubium. A quibusdam cantus gregoriani magistris sacrae Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione expositum fuit ; nimirum :

An in cantandis Lectionibus et Versiculis, praesertim vero in Psalmorum mediantibus ad asteriscum, quando vel dictio monosyllaba vel hebraica vox occurrit, immutari possit clausula, vel cantilena proferri sub modulatione consueta ?

Responsum. Et sacra eadem Congregatio, approbante sanctissimo Domino nostro Pio Papa X, rescribere statuit : *Affirmative ad utrumque.*

Dies (8 iul. 1912). Die 8 iulii 1912.

Fr. S. Card. MARTINELLI, *S. R. C. Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Episc. Charystien. Secretarius.*

ANNOTATIO

In psalmodia, in legendis prophetiis vel epistolis, cum sententia desinit in monosyllabam vel in vocem hebraïcam v. gr. Israël, sonum aliquantisper intendere solemus. Periti porro sunt qui contendant aetate gregoriana peculiarem istam psallendi seu canendi monosyllabas in mediis versiculis non exstitisse, ita ut nihil propter monosyllabam vel hebraicam vocem in clausulis mutaretur. Hinc quaeri coeptum est num mutatio ista necessaria, immo num licita esset. Cui quaesito, votum confirmans commissionis pontificiae, S. Rituum Congregatio responsum dedit plenae libertatis.

---

606. — SS. D. N. PII PP. X

EPISTOLA 10 IUL. 1912

De latina pronuntiatione (A. A. S. 16 sept. 1912, 4, 577.)

Ad R. P. D. Ludovicum Ernestum Dubois, Archiepiscopum Bituricensem.

Vénérable frère,

Pontifex laetatur de conatibus factis ad romanam pronuntiationem imitandam in Gallia, de prudenti sollicitudine archiepiscopi.

Votre lettre du 21 juin dernier, comme aussi celles que Nous avons reçues d'un grand nombre de pieux et distingués catholiques français, Nous ont appris, à Notre grande satisfaction, que, depuis la promulgation de Notre *Motu proprio* du 22 novembre 1904 sur la musique sacrée, on s'applique avec un très grand zèle, dans divers diocèses de France, à faire en sorte que la prononciation de la langue latine se rapproche de plus en plus de celle qui est usitée à Rome ; et que l'on cherche en conséquence à rendre plus parfaite, selon les meilleures règles de l'art, l'exécution des mélodies grégoriennes, ramenées par Nous à leur ancienne forme traditionnelle.

Et de profectu iam facto in hac re.

Vous même, quand vous occupiez le siège épiscopal de Verdun, nous étiez entré dans cette voie et vous aviez pris, pour y réussir, des dispositions utiles et importantes. Nous apprenons d'autre part, avec un vif plaisir, que cette réforme s'est déjà répandue en beaucoup d'endroits, et qu'elle a été introduite avec succès dans un grand nombre d'eglises cathédrales, de séminaires, de collèges, et jusque dans de simples églises de campagne.

Pronuntiatio enim cohaeret restaurationi cantus gregoriani,

C'est qu'en effet la question de la prononciation du latin est intimement liée à celle de la restauration du chant grégorien, objet constant de Nos pensées et de Nos recommandations, depuis le commencement de Notre Pontificat.

L'accent et la prononciation du latin eurent une grande influence dans la formation mélodique et rythmique de la phrase grégorienne ; et par suite il est important que ces mélodies soient reproduites, dans l'exécution, de la manière dont elles furent artistiquement conçues à leur

ac reformata pro-

nuntiatio liturgicam unitatem Galliae firmat.

origine. Enfin la diffusion de la prononciation romaine aura encore cet autre avantage, comme vous l'avez fort bien remarqué, de consolider de plus en plus l'œuvre de l'unité liturgique en France, unité accomplie par l'heureux retour à la liturgie romaine et au chant grégorien.

Optat ut in omnibus Galliae dioecesibus reformatio invaleat.

C'est pourquoi Nous souhaitons que le mouvement de retour à la prononciation romaine du latin se continue avec le même zèle et les mêmes succès consolants qui ont marqué jusqu'à présent sa marche progressive ; et, pour les motifs énoncés plus haut, Nous espérons que, sous votre direction et celle des autres membres de l'épiscopat, cette réforme puisse heureusement se propager dans tous les diocèses de France.

Apostolica benedictio.

Comme gage des faveurs célestes, à vous, vénérable frère, à vos diocésains et à tous ceux qui Nous ont adressé des demandes semblables à la vôtre, Nous accordons de tout cœur la bénédiction apostolique.

Dies (10 iul. 1912).

Du Vatican, le 10 juillet 1912.

PIUS PP. X.

---

607. — S. RITUUM CONGR.

RESPONSA 24 IUL. 1912

De conclusione matutini et inchoatione laudum pro recitatione privata in triduo mortis Christi et in officiis defunctorum

Plurium dioecesium

Plurium dioecesium **dubium.**

Novo edito Psalterio cum Ordinario divini Officii per apostolicam Constitutionem *Divino afflatu*, pluribus e dioecesibus sacrae Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione propositum fuit, nimirum :

Cum in Ordinario divini Officii praescribatur modus Matutinum concludendi et Laudes incipiendi quotiens in privata recitatione istae ab illo separantur ; quaeritur : Quid in casu agendum est sive in triduo Mortis Christi, sive in Officiis defunctorum ?

Responsum.

Et sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, re accurato examine perpensa, respondendum censuit :

Ad omnem dubitationem tollendam, in futuris editionibus Breviarii Romani, singulis diebus tridui Mortis Christi, post IX responsorium, sequens rubrica inseratur :

Si Matutinum in privata recitatione a Laudibus separetur, subiungitur oratio Respice quaesumus Domine, *etc. : Laudes vero, dictis secreto* Pater noster *et* Ave Maria, *absolute a prima antiphona incipiuntur.*

Item in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum, post IX responsorium, sequens addatur rubrica :

Si Matutinum in privata recitatione a Laudibus separetur, subiungitur :

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oratio.

Fidelium Deus, *etc.*

℣. Requiem aeternam dona eis, Domine.

℟. Et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

Tandem, in Officio defunctorum, tam in Breviario quam in Rituali Romano, ante Laudes sequens rubrica inseratur :

Si Matutinum, cum unico vel cum tribus Nocturnis, in privata recitatione a Laudibus separetur, post ultimum responsorium subiungitur :

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Deinde dicitur oratio (seu orationes) ut ad Laudes, additis sequentibus :

℣. Requiem aeternam dona eis, Domine.

℟. Et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

Laudes vero, dictis secreto Pater noster *et* Ave Maria, *absolute inchoantur ab antiphona* Exsultabunt Domino.

Atque ita rescripsit et servari mandavit, die 24 iulii 1912. *Dies (24 iul. 1912).*

Fr. S. Card. MARTINELLI, *Praefectus.*

† *Petrus La Fontaine, Ep. Charystien, Secret.*

ANNOTATIO

In decr. 24 iul. 1912.

In « Ordinario » quod psalterio novo praemittitur clare indicatur quomodo terminandum sit matutinum, et quomodo laudes inchoandae quando in privata recitatione ab invicem separantur ; nullum adesse dubium potuit quominus in officiis tridui sacri, necnon in officio defunctorum eodem modo sit agendum ; quoniam tamen, propter indolem horum officiorum, in fine horarum quidam versus sunt omittendi vel mutandi, praesens decretum novas has rubricas istis officiis inseri iubet. Ios. PAUWELS, S. I.

---

608. — S. CONGR. S. OFFICII (sectio de indulgentiis)

DECRETUM EX AUD. SS^i^ 24 IUL. 1912

Variae concessiones de Via Crucis et Coronae Viae Crucis abolentur (A. A. S. 16 aug. 1912, 4, 529.)

Pium « Viae Crucis », ut aiunt, exercitium, ad salutiferam sanctissimi D. N. Iesu Christi Passionem recolendam, a Romanis Pontificibus enixe commendatum ac pluribus indulgentiis ditatum fuisse neminem latet. Et quoniam non semper nec ab omnibus, erectas regulariter Stationes *Cum necessitati fidelium et pietati aliter satis provisum sit,*

obeundo, peragi illud poterat; non defuit apostolica Sedes, pro iis qui aut infirma valetudine aut alia iusta causa impedirentur, brevioribus precibus, ante simulacrum SS^mi Crucifixi per Fratres Minores — queis ex privilegio apostolico pii eiusdem exercitii moderamen spectat — ad hoc benedictum recitandis, easdem indulgentias annectere.

S. Officium, 8 maii 1912, consulendum decrevit SS^mo ut, praeter rite benedicta Crucifixi simulacra, ceterae, praecipue coronarum Viae Crucis, revocarentur concessiones.

Cum igitur per huiusmodi concessionem omnium fidelium utilitati satis consultum fuerit: E^mi ac R^mi DD. Cardinales Inquisitores generales, in plenario conventu habito feria IV die 8 maii currentis anni, omnibus mature perpensis, consulendum SS^mo decreverunt, ut quascumque alias, praeter mox memoratam, hac super re concessiones, nominatim vero quae *Coronas*, quas vocant, *Viae Crucis* respiciunt, revocare, abrogare ac penitus abolere dignaretur: insimul declarando, facultates omnes Coronas supradictas hunc in effectum benedicendi, sacerdotibus quibuslicet, tam saecularibus quam regularibus, in praestantioribus etiam dignitatibus constitutis, hucusque quomodocumque impertitas, statim ab huius Decreti promulgatione, nullius amplius esse roboris.

Approbatio Pontificis, 9 iul.

Et sequenti feria V, die 9 eiusdem mensis et anni, sanctissimus D. N. Pius divina providentia Pp. X, in solita audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, E^morum Patrum votis annuens, propositam ab iis resolutionem, suprema Sua auctoritate, in omnibus et singulis approbare et confirmare dignatus est.

Derogatio contrariorum.

Contrariis quibuscumque, etiam specialissima mentione dignis, non obstantibus.

Dies (24 iul. 1912).

Datum Romae, ex aedibus S. Officii, die 24 iulii 1912.

M. Card. Rampolla,
† *D. Archiep. Seleucien., Ass. S. O.*

Annotationes

1. Ex omni contexta oratione perspicitur hunc finem praesenti decreto intendi, ut recentes modi supplendi pium viae crucis exercitium aboleantur et prior disciplina restituatur qua, ad lucrandas « viae crucis » indulgentias, personae non impeditae exercitium ipsum facere, impeditae vero coram specialiter benedicta SS^i Crucifixi imagine statas preces recitare debebant.

2. Quare, quamvis verba non omnem dubitationem removeant, nullam censemus attingi facultatem legitime factam ad imagines istas in hunc finem benedicendum. Nec obstat Fratres Minores nominatim designari tamquam istius facultatis possesssores. Ceterae enim facultates, dempta ea quae ad Sanctam Sedem plenissime et primario pertinet, sunt quasi participationes concessionis factae Fratribus Minoribus. Quocirca in locis ubi conventus est Fratrum Minorum, usus facultatis ipsis reservatur, ita ut in aliis locis sacerdotes delegati quasi vices Fratrum Minorum absentium agere videantur. Quare Fratres Minores nominantur quia ipsis facultas per se competit, aliis vero per accidentalem delegationem. Nec verisimile est voluisse S. Sedem antiquis istis

concessionibus sine quibus « omnium fidelium utilitati », contra atque in decreto affirmatur, satis consultum non esset, derogare. Quid, quod si hoc facere voluisset, perspicua tantae mutationis enuntiatio exspectanda fuisset. Sed contra, dum diserte explicat quaenam facultates benedicendi tollantur, solas memorat facultates benedicendi coronas dictas a Via Crucis.

Coronae porro istae constant XIV numismatibus quae solitas viae crucis stationes repraesentant, et parvo globulorum numero ad Pater et Ave dicenda separantur.

3. Quaecumque aliae factae concessiones revocantur, et facultates coronas benedicendi supprimuntur. Ne posterior haec sanctio inutilis sit, distinctam a priore significationem ei tribuere debemus. Sic autem huc devenimus, ut *concessionum* nomine veniant ipsae coronae iam benedictae, et aliae res privilegio ornatae communicandi aliis condicionibus, praeter recensitas, viae crucis indulgentias, ita ut ad effectum consequendi istas indulgentias res istae vel modi isti inutiles iam sint.

4. Aliarum concessionum, — praeter coronas « viae crucis », quae supprimuntur, et simulacra SS[i] Crucifixi pro impeditis, quae conservantur, — plura exempla afferre nobis difficile fuerit. Unum tamen dabimus. Card[i] Melchers, s. m. olim a S. Pontifice tamquam fidei confessori concessum est ut Crucifixi imaginibus indulgentias viae crucis etiam *pro non impeditis* personis annectere posset. Hanc et similes concessiones (v. gr. dicendi minores numero preces) iam reductas arbitramur ad terminos concessionis quae a Fratribus Minoribus nomen mutuatur. Quare qui imaginem habeat a Card. Melchers benedictam non poterit iam nisi impeditus ab ordinario viae crucis exercitio peragendo, indulgentias viae crucis consequi.

5. Brevis summa decreti haec itaque est : a) Cessant omnes facultates benedicendi coronas a via crucis nuncupatas ; b) Coronae iam benedictae fiunt tamen ad supplendam viam crucis inutiles ; c) Integrae manent facultates benedicendi imagines Crucifixi, sed consuetis impedimenti et precum condicionibus obnoxiae sunt.

6. Amplissima contrariorum derogatione omnis exceptio contra decretum amputatur.

7. Si praeterea optare quidpiam licet, cum, teste Beringer *Die Ablässe,* p. 315 [1] valde incertum sit quibusnam indulgentiis pium viae crucis exercitium ornetur, utilissimum

---

1 Ed. 13. Ipse, l. c. his concludit : « *Daraus ergibt sich, dass eine Neuregelung der Ablässe für diese so volkstümliche Andacht des Kreuzweges sehr erwünscht wäre.* »

praesenti decreto complementum accesserit, si perspicuo modo indulgentiae istae definiantur.

---

609. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

DECRETUM 29 IUL. 1912

Quaedam opera in seminariis prohibens

(A. A. S. 16 aug. 1912, 4, 530.)

Ratio specialis sollicitudinis in seminariis de libris S. Scripturam interpretantibus.

Cum semper et ubique cavendum sit ne quis Scripturas Sanctas contra eum sensum interpretetur quem tenuit ac tenet sancta Mater Ecclesia (S. Trid. Syn., Sessio IV[a]) ; id maxime necessarium est in Seminariis, inter alumnos qui in spem Ecclesiae adolescunt. Hos enim prae ceteris oportet sanis doctrinis imbui, quae venerandae Patrum traditioni sint conformes et a legitima Ecclesiae auctoritate probatae ; arceri autem a novitatibus, quas in dies audax quisque molitur, quaeque quaestiones praestant magis quam edificationem Dei, quae est in fide (I[a] ad Tim., cap. IV) ; si vero insolitae legitimeque damnatae, in destructionem sunt et non in aedificationem.

Ex mandato SS[i] improbatur Introductio D. Holzhey, eiusque usus in seminariis vetatur.

Iam vero evulgatam nuper est Paderbornae opus quod inscribitur « *Kurzgefasstes Lehrbuch der speziellen Einleitung in das Alte Testament* » auctore *D. Carolo doct. Holzhey*, in quo iuxta neotericas rationalismi et hypercriticae theorias de libris Veteris Testamenti fere omnibus, ac potissimum de Pentateucho, de libris Paralipomenon, Tobiae, Iudith, Esther, Ionae, Isaiae et Danielis, sententiae audacissimae propugnantur, quae antiquissimae traditioni Ecclesiae, venerabili Ss. Patrum doctrinae et recentibus pontificiae Commissionis Biblicae responsis adversantur, et authentiam atque historicum valorem sacrorum Librorum nedum in dubium revocant, sed pene subvertunt.

Hunc itaque librum S. haec C. de mandato SS[mi] D. N. Papae prohibet omnino, quominus in Seminaria introducatur, ne ad consultationem quidem.

Plura alia opera excluduntur, reservato ampliore de his sententia.

Cum vero alia habeantur similis spiritus commentaria in Scripturas Sanctas tum Veteris tum Novi Testamenti, ceu scripta plura *P. Lagrange* et recentissimum opus cui titulus : *Die Heilige Schrift des Neuen Testaments*, editum Berolini an. 1912, auctore *Dr. Fritz Tillmann*, haec quoque expungenda omnino esse ab institutione clericorum SS[mus] D. mandat et praescribit, salvo ampliore de iis iudicio ab illa auctoritate ferendo ad quam de iure pertinet.

Dies (29 iun. 1912).

Datum Romae, ex aedibus sacrae Congregationis Consistorialis, die 29 iunii 1912.

C. Card. De Lai, *Episcopus Sabinen., Secretarius.*

Annotationes

1. Donec nova fortasse sententia intercesserit, cum non omnia opera R. P. Lagrange sed plura improbato spiritu

vitiata dicantur, discernere quaenam sint prudenti Superiorium iudicio relictum est.

2. « Amplius iudicium » cui in fine alluditur, sententia esse videtur S. Officii vel S. Indicis Congregationis, ad quas Congregationes libros proscribere pertinet.

3. Decretum istud est a S. Congregatione Religiosorum generalibus Institutorum clericalium Superioribus communicatum.

---

610. — SS. D. N. PII PP. X

BREVE « QUAMQUAM » 9 AUG. 1912

Protomonasterium Sanctae Clarae Assisiensis et duo templa augentur privilegiis (A. A. S. 31 aug. 1912, 4, 557.)

PIUS PP. X

Ratio scribendi in laudem S. Clarae.

Ad perpetuam rei memoriam. — **Quamquam, septimo** exeunte saeculo a felicibus primordiis franciscalis Ordinis secundi, quem piae record. decessor Noster Urbanus IV sanctae Clarae appellavit [1], monialium Clarissarum coenobiis iam nonnihil gratiae impertivimus, nolumus tamen saecularia sollemnia praeterire, quin erga seraphicam virginem, Francisci sancti primogenitam filiam merito nuncupatam, luculentius pietatis Nostrae edamus testimonium. Peropportunum sane erit, quo tempore a christianae legis professione tam multi desciscunt, catholicos ad memoriam excitare sanctimoniae praeclarissimae virginis, cuius excellentia virtutum ita serioribus eluxit aetatibus ut qui perfectissimam vitae rationem sequi contendunt, iis sit eadem exemplo quam maxime profutura.

S. virginis descriptio et laudes, ex Alexandro IV desumpta.

Imaginem vero huius virginum magistrae, qua franciscalis Ordo iure gloriatur, suavissimis expressit verbis, quae Nostra facimus, fel. rec. decessor Noster Alexander IV. [2] « Clara claris praeclara meritis, magnae « in caelo claritate gloriae ac in terra miraculorum sublimium clare claret. « Clarae huius arcta et alta religio hic coruscat : huius sursum aeterni « praemii radiat magnitudo ; huiusque virtutis magnifica mortalibus illu- « cescunt. Huic Clarae intitubatum hic fuit summae privilegium pauper- « tatis : huic in excelso rependitur inaestimabilis copia thesaurorum ; huic « a catholicis plena devotio et honoris cumulus exhibetur. Hanc Claram « sua fulgida hic insignierunt opera ; hanc Claram in alto divinae lucis « clarificat plenitudo ; hanc christianis populis prodigiorum eius insignia « stupenda declarant. O Clara multimode titulis praedita claritatis ! Ante « conversionem tuam utique clara ; in conversione clarior ; in claustrali « conversatione praeclara, et post decursum vitae praesentis spatium cla- « rissima illuxisti !

« Ab hac Clara clarum exempli speculum huic saeculo prodiit ; ab « hac inter amoenitates caelestes suave lilium virginitatis offertur ; ab hac

[1] Litt. *Beata Clara,* 10 oct. 1263.
[2] Bulla *Clara claris*, 19 oct., al. 26 sept. 1255.

« in terris manifesta subventionum remedia sentiuntur. O admiranda « Clarae beatae claritas, quae quanto studiosius per singula quaeritur, « tanto splendidior in singulis invenitur ! Emicuit haec, inquam, in hoc « saeculo ; in religione praefulsit ; in domo illuxit ut radius, in claustro « coruscavit ut fulgor. Emicuit in vita ; post mortem radiat ; claruit in « terra ; in caelo relucet. O quanta huius vehementia luminis et quam « vehemens istius illuminatio claritatis ! Manebat quidem haec lux secretis « inclusa claustralibus et foris micantes radios emittebat ; colligebatur in « arto coenobio et in amplo saeculo spargebatur, servabatur integra et « extra manabat. Latebat namque Clara, sed eius vita patebat ; silebat « Clara, sed sua fama clamabat ; celabatur in cella, et in urbibus noscebatur. Nec mirum, quia lucerna tam accensa, tam lucens, abscondi non « poterat, quin splenderet, et clarum in domo Domini daret lumen. Nec « recondi poterat vas tot aromatum, quin flagraret et suavi odore domi- « nicam aspergeret mansionem ; immo cum in angusto solitudinis reclusorio « alabastrum sui corporis haec dure contereret, tota omnino Ecclesiae « auia sanctitatis eius odoribus replebatur. »

Subicit haec deinde memoratus Pontifex : « Hanc postmodum reli- « gionem mater eius, Hortulana nomine, piis intenta operibus, ipsius natae « sequendo vestigia devote suscepit ; in qua demum haec optima Hortu- « lana, quae in horto Dominico protulit talem plantam, conclusit feliciter « dies suos... Haec utique fuit arbor procera et eminens, longis distincta « ramis, quae in agro Ecclesiae dulcem fructum religionis attulit ; et ad « cuius delectabilem umbram, sub illius amoenitate fructum huiusmodi « libaturae, cucurrerunt undique multae alumnae fidei et concurrunt. Haec « fuit nova mulier vallis Spoletanae, quae novum aquae vitalis fontem ad « refectionem animarum et commodum propinavit ; qui iam per diversos « rivulos, in territorium Ecclesiae derivatus, plantaria religionis infundit.

« Haec fuit altum sanctitatis candelabrum, vehementer in taberna- « culo Domini rutilans ; ad cuius ingentem splendorem plurimae prope- « rant, suas de illius lumine lampades accendentes. Haec profecto in arvo « fidei plantavit et coluit vineam paupertatis, de qua fructus salutis pin- « gues et divites colliguntur. Haec in praedio Ecclesiae humilitatis hortum « constituit, multiplici rerum consertum inopia, in quo magna virtutum « copia reperitur. Haec in religionis districtu arcem artae abstinentiae « fabricavit, in qua larga spiritualis alimoniae refectio ministratur. Haec « fuit pauperum Primiceria, Ducissa humilium, Magistra continentium et « paenitentium Abbatissa.

« Haec suum Monasterium creditamque in illo sibi familiam sollicite « ac prudenter in timore et servitio Domini et plena Ordinis observantia « gubernavit, vigil in cura, in ministerio studiosa, in exhortatione attenta, « diligens in admonitione, in correctione moderata, temperata in prae- « ceptis, in compassione praestabilis, discreta in silentio, in sermone « matura et consulta in cunctis ad perfectum regimen opportunis, volens « magis famulari quam dominari, et honorare potius quam honore sustolli.

« Huius vita erat aliis eruditio et doctrina ; in hoc libro vitae ceterae « vivendi regulam didicerunt ; in hoc vitae speculo reliquae vitae semitas « inspexere. Corpore namque sistebat in terra, sed animo versabatur in « caelo : humilitatis vasculum, armarium castitatis, caritatis ardor, dulcor

« benignitatis, patientiae robur, nexus pacis et familiaritatis communio : « mitis in verbo, lenis in facto et in omnibus amabilis et accepta. »

Ex quo idem recte colligit ac cogit : « Gaudeat itaque Mater Ecclesia, « quod talem genuit et educavit filiam, quae tamquam virtutum foecunda « parens multas religionis alumnas suis produxit exemplis ; et ad per- « fectum Christi servitium pleno magisterio informavit. Laetetur et devota « turba fidelium, quod Rex caelorum et Dominus sororem ipsorum et « sociam, quam sponsam sibi elegerat, ad suum praecelsum et praeclarum « palatium cum gloria introduxit. Nam et Sanctorum congaudent agmina, « quod in superna eorum patria novellae regalis sponsae nuptiae cele- « brantur [1]. »

Quid S. Clara secundo Ordini Franciscano contulerit, teste Urbano IV.

Quod si Franciscum sanctum moniales quae Ordinis secundi regulam profitentur, quocumque vocentur nomine atque utantur vitae instituto, auctorem suum patremque legiferum habuisse se gestiunt, at Clara vere earum mater est, quippe ea, simul cum Assisiensi Patriarcha, sui Ordinis constituendi fundamenta iecit ; quod idem Urbanus IV verbis quae sequuntur, commemorat : « Beata Clara, virtute clarens et nomine, gratiae « divina inspiratione praeventa et almi Christi Confessoris beati Francisci « exemplis laudabilibus informata ac salutaribus instituta doctrinis, ut se « mundam Domino conservaret, mundi huius contemptis opibus operi- « busque vitatis, religiose vivere sapienter elegit ; et habitu sacrae reli- « gionis assumpto, artam viam mandatorum Domini, quae gradientes « in ipsa ducit ad vitam, dilatato corde cucurrit ; hanc petram Christus « lapidem esse voluit in vestri Ordinis structura primarium. In ipsa evi- « denter ostendit, quod in huius structura sibi complacuit ; eam siquidem « sanctitatis erexit in titulum, ut quae munditia vitae claruit, celebritate « clareret ; ac eundem vestrum Ordinem, qui sanctum et laudabile « sumpsit in eius persona principium, ipsius quasi constituentis sic « sapienter approbatae patronae merita venerabilem venerandamque « probarent [2]. »

Agnito merito filiarum S. Clarae, S. Pontifex eas tamen hortatur ut omnem contentionem de praestantia familiae religiosae vitent,

Compertum profecto habemus, Clarae filias omne genus ea inter se caritate coniungi, ut demisso animo *charismata meliora aemulentur*, nedum maiorem suae quaeque disciplinae austeritatem iactent. Ne Nos quidem latet, tum eas quae episcopis proxime subsunt, tum alias omnes quae alicuius e tribus Minoriticis familiis iurisdictione continentur, in praesidibus suis Vicarium ipsum Iesu Christi et seraphicum Patrem agnoscere ac vereri ; placet tamen, quod sodales franciscalis Ordinis prioris universos hortati aliquando sumus, idem eas peramanter hortari : « Quod si inter fratres Minores ullum legitimae praestantiae discrimen « agnosci debet, illud non in eo ponendum est quod alius de alia familia « sit, qua quidem re omnes eos pares esse diximus ; sed in hoc, quod « alius alio melius et iudiciis et dictis et factis caritatem fraternam erga « sodales, ceterarum praesertim familiarum, custodiat ; atque alius alio « perfectius Regulae seraphicae, pro suae familiae Constitutionibus, « praescripta servet [3]. »

---

[1] Bulla *Clara claris*, 19 oct., al. 26 sept. 1255.
[2] Litt. *Beata Clara*, 18 oct. 1263.
[3] Litt. *Septimo iam pleno*, 4 oct. 1909.

memores verborum S. Bonaventurae.

Omnes igitur Clarae sanctissimae filias hoc unum studere oportet, ut eius vestigia magno opere persequantur ; in primis vero animi demissionem patientiamque praeferant, evangelicam sectentur paupertatem, divinaeque se totas providentiae committant. Id autem facile assequentur, si seraphici Doctoris, Bonaventurae sancti, exhortationem saepius secum ipsae recolant. « Sitis ergo, o famulae Dei, o ancillae Christi, « humiles, ita ut numquam superbiam in cordibus vestris dominari per- « mittatis, quia magistrum habuistis humilem, scilicet Dominum nostrum « Iesum Christum, et quia magistram habuistis humilem, scilicet Vir- « ginem Mariam, reginam omnium. Sitis humiles, quia patrem habuistis « humilem, scilicet beatum Franciscum ; sitis humiles, quia matrem « habuistis humilem, scilicet beatam Claram, humilitatis exemplar. Sic « tamen sitis humiles, ut testis humilitatis vestrae sit patientia. Virtus « enim humilitatis per patientiam perficitur, neque est vera humilitas cui « non est adiuncta patientia.

« Quaerat divitias paganus, qui sine Deo vivit ; quaerat divitias « Iudaeus, qui terrenas promissiones accepit ; sed tu, virgo Christi, tu « ancilla Domini, qua mente quaeris divitias, cum paupertatem voveris, « cum inter pauperes Iesu Christi vivas, cum pauperis patris Francisci « velis esse filia, cum pauperis matris Clarae promiseris esse imitatrix... « Scio quod ita sit, quod quanto ferventiores professae paupertatis fue- « ritis amatrices, quanto perfectiores evangelicae paupertatis fueritis imi- « tatrices, tanto magis bonis omnibus tam temporalibus quam spiritualibus « abundabitis. Si autem ad contrarium vos converteritis, si paupertatem « quam professae estis, contempseritis ; omnium bonorum tam tempora- « lium quam spiritualium egentes eritis... Si igitur inter Iudaeos duros « et incredulos pascebat Dominus discipulos suos sine omni sollicitudine, « quid mirum, si pascat Fratres Minores eiusdem perfectionis professores ; « quid mirum, si pascat pauperes Sorores, paupertatis evangelicae imita- « trices, inter populos christianos et fideles ? Omnem itaque sollicitudinem « vestram proicite in eum, quoniam ipsi cura est de vobis [1]. »

Ex tolerata paupertate, magna ipsas manet merces.

Dolendum sane, tot tantisque affici moniales Clarissas incommodis rerumque tam gravi egestate premi, quam quae maxime, postquam per leges nefarias sunt de fortunis omnibus deturbatae ; at si eiusmodi calamitatem erunt forti animo perpessae et ad Deum, omnis auctorem solacii, cotidianas molestias rettulerint, fieri non poterit quin sanctam hauriant e seraphica paupertate iucunditatem. Quas vero preces memoratus seraphicus Doctor pro iis, earumque nomine, effunderet, easdem ipsae iterare ne neglegant : « O dives in omnes, o bone Domine Iesu, quis potest digne « verbo exprimere, corde percipere, manu scribere illam caelestem glo- « riam, quam tuis pauperibus te daturum promisisti ? Ipsi enim paupertate « voluntaria merentur gloriae Conditoris assistere, ipsi merentur intrare « in potentias Domini, in illa aeterna tabernacula, in illas lucidissimas « mansiones. Ipsi merentur fieri cives illius civitatis cuius artifex et « conditor est Deus. Tu enim ore tuo benedicto promisisti iis, dicens : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum. Non « aliud est, Domine Iesu Christe, regnum caelorum quam tu ipse, qui es

[1] Op. *De perfectione vitae ad Sorores*, c. 2 et 3.

« Rex regum et Dominus dominantium. Te ipsum dabis iis in praemium, « in mercedem et in gaudium. Ipsi te fruentur, de te gaudebunt, de te « satiabuntur. Edent enim pauperes et saturabuntur et laudabunt Dominum « qui requirunt eum, vivent corda eorum in saeculum saeculi. Amen [1]. »

Quam venerabile sit coenobium S. Damiani, ubi vixit S. Clara.

Nemo unus ignorat Claram virginem, tamquam in sancta palaestra, mirum in modum cunctas exercuisse virtutes in Damiani sancti coenobio, prope Assisii urbem, illudque haberi ut Ordinis incunabula, perinde ac sanctae Mariae de Portiuncula venerabile sacellum. Eo enim loco vitam duos et quadraginta annos traduxit ; ad Sponsi caelestis amplexus inde evolavit ; ibidem suavissimus eius odor virtutum afflatur adhuc. Eo sacrum seraphici Patris corpus esse delatum, ut Assisiensi virgini, dilectisque filiabus, eiusdem colendi copia fieret, hisce verbis Bonaventura sanctus enarrat : « Fratres autem et filii, qui vocati fuerunt ad transitum « Patris, cum omni multitudine populorum noctem illam in qua Christi « almus confessor decessit, sic divinis laudibus dedicarunt, ut non defun- « ctorum exsequiae, sed Angelorum excubiae viderentur. Mane vero facto, « turbae quae convenerant, acceptis arborum ramis et cereorum multi- « plicatis luminibus, cum hymnis et canticis sacrum corpus ad civitatem « Assisii detulerunt. Transeuntes quoque per ecclesiam sancti Damiani, « in qua virgo illa nobilis Clara, nunc gloriosa in caelis, tunc inclusa cum « virginibus morabatur, ibique aliquantulum subsistentes, sacrum corpus, « margaritis caelestibus insignitum, videndum et osculandum sacris iliis « virginibus obtulerunt [2]. »

Quamobrem e coenobii appellatione plura Ordo secundus mutuatus est nomina, quae tum veteres franciscalium rerum scriptores, tum nonnulli e Pontificibus maximis haud semel usurparunt ; ac sunt : *Ordo sancti Damiani, Ordo Dominarum de sancto Damiano de Assisio, Pauperes moniales inclusae Ordinis sancti Damiani Assisinatis, Damianitae.*

Nec dignitate cedit templum reliquiis S. Clarae ditatum et ab eius nomine appellatum.

Pari autem dignitate praestabile est, quin etiam eo maiore, quod sacras Assisiensis virginis reliquias habet sibi commendatas, templum a Clara sancta nuncupatum, quo Ordinis secundi Proto-Monasterium translatum est. Disertis id verbis fel. rec. decessor Noster Leo XIII illustrat : « Post- « quam Virgo spectatissima, inclyta virtutibus, Assisiensis Clara corporis « soluta vinculis in caelum avolavit, altero nondum elapso anno fel. rec. « Alexander IV Anagniae in Hernicis sollemni ritu eidem Clarae virgini « caelitum honores decrevit. Idemque Pontifex summus, datis hac de re « Episcopis Perusino, Spoletano et Assisiensi litteris, quinto e praedicta « sollemnitate anno vertente providentissime iussit, huiusce virginis « exuvias ab aede Georgii Martyris in templum, ad honorem eiusdem « Clarae virginis praefati munificentia Pontificis exstructum, transferri. « Quanta pietate et cultu, quanto gaudio et consolatione reliquiae dilec- « tissimae Matris suae a Clarensibus Monialibus exceptae sint, mente « animoque concipi potest, at verbis exprimi nequit ; eaedemque sacro « huic thesauro omni cura, diligentiaque diu advigilarunt [3]. »

Hae sunt

Tam multarum igitur rerum tantarumque memoria a nobis postulare

---

[1] Ibidem, c. 3.
[2] *Legenda S. Franc.*, c. 4.
[3] Litt. Ap. *Postquam Virgo*, 30 iulii 1880.

rationes privilegiorum quae a tribus Ministris generalibus postulata sunt.

videtur, ut ea duo sanctissima templa amplioribus augeamus honoribus ac gratiis, quae simul exstent pietatis in seraphicam Virginem Nostrae perenne monumentum ac paternae signum benevolentiae erga filias eiusdem universas, quocumque eae nomine notentur, quavis rituum coniunctione in divini officii recitatione et in liturgia sacra cum tribus franciscalibus familiis devinciantur. Qua in re libenter etiam studioseque humillimis postulationibus obsecundamus, quas dilecti filii Pacificus a Monza, Victor Maria Sottaz et Pacificus a Seiano, triplicis Minorum familiae ministri generales, ad Nos detulerunt, nomine tum ipsi suo, tum monialium familiis singulis quoquomodo subditarum.

Motu Proprio Pontifex ecclesiam proto-monasterii in basilicam minorem erigit,

Quapropter motu proprio, de apostolicae potestatis plenitudine, haec in perpetuum decernimus, concedimus, mandamus.

I. Ecclesiam Proto-monasterii sanctae Clarae Assisiensis in Basilicam Minorem erigimus ac erectam declaramus, cum omnibus privilegiis eiusmodi Basilicis adnexis.

ad varia altaria utriusque ecclesiae seu monasterii et S. Georgii missas votivas S. Clarae concedit.

II. Concedimus ecclesiae Proto-monasterii sanctae Clarae Assisiensis, et ecclesiae sancti Damiani, prope eandem urbem, privilegium perpetuo valiturum, vi cuius sacerdotes qui Sacrum facturi sint, tum ad sanctae Clarae in hypogaeo seu crypta ubi eiusdem virginis corpus colitur, itemque ad altare maius quod cryptae superstat, et ad altare annexae veteris ecclesiae sancti Georgii, tum ad sancti Damiani ad altare maius seu praecipuum veteris Clarissarum ecclesiae, itemque ad altaria veteris chori sanctae Clarae, eius privati sacelli et cubiculi dormitorii ubi spiritum Deo reddidit, legere possint missam votivam de sancta Clara Assisiensi Virgine et Fundatrice secundi Ordinis franciscalis ad formam concessionis factae sanctae Mariae Angelorum apud Assisium Basilicae per Nostras litteras « Perinsignis », datas in forma Brevis die 9 mensis februarii anni 1911 [1].

Exemptionem proto monasterii confirmat.

Confirmamus privilegium amplissimae exemptionis Proto-monasterio sanctae Clarae a sa. me. Leonis XIII hisce verbis concessum : « Assisiense « monasterium sanctae Clarae a quavis iurisdictione eximimus, ac tenore « praesentium exemptum declaramus, illudque et moniales, aliasque « personas omnes eodem in monasterio conviventes, cum omnibus eidem « inhaerentibus, perpetuum in modum Nostrae ac successorum Nostrorum « immediatae iurisdictioni subicimus et subiectum decernimus atque « edicimus. Huiusmodi autem iurisdictionem venerabili fratri Nostro « Aloisio Cardinali Bilio, episcopo Sabino, uti apud sanctam Sedem « Protectori universae Fratrum Minorum sancti Francisci de Observantia « familiae, eiusque hoc in munere Cardinalibus successoribus, perpetuis « futuris temporibus, delegamus [2]. »

Consulit eius Cardinali Protectori et Gubernationi.

Si quando accidat ut memoratum Clarae sanctae Proto-monasterium Cardinali Protectore careat, ut hodie contingit, eo quod Nobis ipsi, singularis benevolentiae causa, eiusmodi protectionem reservavimus, Cardinalis Legatus non poterit facile ac efficaciter suo munere fungi in iis quae frequenter occurrunt, ad Proto-monasterii gubernationem quod attinet, decernimus ut posthac habeatur tanquam Vicarius natus Cardinalis Protectoris vel Legati, Minister provincialis seraphicae provinciae a sancta

[1] Cfr. PERIODICA, supra, n. 500ʜ, p. 31.
[2] Litt. Ap. *Postquam Virgo*, 30 iulii 1880.

Clara, incolumi Ministri generalis iure. Officium vero Legati pontificii committimus hisce Nostris litteris dilecto filio Nostro Diomedi Cardinali Falconio, titulo sanctae Mariae de Aracaeli.

Sollemnes per triduum supplicationes in omnibus 2i ordinis ecclesiis ad annum a 12 aug. 1912 indulget.

Concedimus tandem ad annum, a proximo festo die sanctae Clarae computandum, ut in omnibus Ordinis secundi ecclesiis haberi possint sollemnes per triduum supplicationes ad persolvendas gratias Deo debitas pro felici Ordinis Clarae sanctae institutione, iis tamen quod ad ritum spectat servatis quae respectu earum supplicationum per triduum habendarum praescripta sunt. Quotiens autem aliquis condicionibus aut supplicationibus iisdem interfuerit, totiens ei liceat de poenalium dierum numero septingentos expungere, semel vero plenariam indulgentiam statutis condicionibus consequi. Contrariis quibuscumque, etiam specialissima mentione dignis, non obstantibus.

Clausula.

Dies (9 aug. 1912).

Datum Romae apud S. Petrum sub anulo Piscatoris, die IX augusti MDCCCCXII, Pontificatus anno decimo.

R. Card. Merry del Val,
a Secretis Status.

---

611. — S. CONGR. CONSISTORIALIS

RESPONSUM 12 AUG. 1912

De Decreto « Maxima Cura [1] » (A. A. S. 16 aug. 1912, 4, 531.)

Dubium.

In generali conventu sacrae Congregationis Consistorialis, habito die 27 iunii 1912, proposito dubio « An vigeat in Australia novissimum de « amotione administrativa ab officio et beneficio curato Decretum « *Maxima Cura* », Emi PP., requisito Consultorum voto aliisque perpensis, respondendum censuerunt : « *Affirmative* ».

Responsum

Approbatio Pontificis.

Facta autem relatione SSmo D. N. Pio PP. X ab infrascripto Cardinali Secretario in audientia diei 28 iunii 1912, SSmus resolutionem ratam habuit et confirmavit.

Dies (12 aug. 1912).

Romae, die 12 augusti 1912.

C. Card. De Lai, *Secretarius*
Scipio Tecchi, Assessor.

---

[1] Cfr. n. **449**, B. t. 5, 234-237.

612. — S. RITUUM CONGR.

DECRETUM 14 AUG. 1912

quo signatur introductio causae beatificationis seu declarationis martyrii XXII venerabilium servorum Dei Caroli Luanga, Mathiae Murumba et sociorum vulgo « de Uganda » in odium fidei, uti fertur, interfectorum. (A. A. S. 31 aug. 1912, 4, 567.)

Vicariatus Nyanzae Septemtrionalis (Africae centralis)

Descripta origine coetus Missionariorum « Pères blancs », memorantur primitiae apostolatus in Vicariatu Nyanzae Septemtrionalis.

Martyrum singula nomina ac supplicia recensentur.

Cum a summo Pontifice Leone XIII f. r. concreditum fuisset archiepiscopo Algeriensi S. R. E. Cardinali Carolo Lavigerie munus moderandi ac provehendi in interiori Africae parte sacras missiones, exinde in ipsa civitate Algeriensi constitutus est coetus missionariorum, vulgo *Pères Blancs*, qui regiones illas apostolicis laboribus sacrorumque mysteriorum dispensatione animose peragrarunt ac peragrant. Huiusce ministerii fructus selectaeque primitiae in Missione seu Vicariatu Nyanzae septemtrionalis, speciatim in regno Ugandae praecipue patuere per viginti duos egregios nigritas, fere omnes adolescentes aulicosque regis Mwanga. Ipsi vix enim de christiana religione a missionariis instructi et baptizati, spretis mundi divitiis ac oblectamentis, summisque cruciatibus et suppliciis superatis, pro Christi fide tuenda eiusque amore servando sese hostiam Deo acceptam ac vitae sacrificium strenue obtulisse feruntur. Praestat autem singula horum nigritarum nomina ordinatim recensere cum aliquo indicio passionis sub Mwanga Ugandae rege ab an. 1885 ad an. 1887. - I. Dionysius Sebuggwao, regis assecla, prior persecutionis victima, dum alios christiana religione erudivisse fatetur, lancea ab ipso rege confoditur. — II. Carolus Luanga, r. a., die 16 nov. 1885 baptizatus, post longum ac crudele supplicium, sanctum Dei nomen invocans igne consumitur. — III. Bruno Séronkuma, regis miles, die 18 nov. 1885 baptizatus, verberibus caesus, in supplicio orans crematur. — IV. Mgagga, r. a., iuvenis catechumenus, ab ipso Luanga, saeviente persecutione baptizatus, forti hilarique animo se carnifici comburendum offert. — V. Gonzague Gonza, r. a., die 17 nov. 1885 baptizatus, ob fidem et constantiam ipsi tortori admirabilis, lancea traicitur. — VI. Mathias Murumba, vir gravis et iudicis officio fungens, musulmanam antea sectam, et protestantium dein institutionem amplexus, demum die 28 maii 1881, baptismate suscepto, catholicae religioni ascribitur; quam constanter colere ac propagare satagens, immani supplicio interficitur super colle de Kampala in Sabarija. — VII. Andreas Kaiwa, r. a., adhuc neophitus ob merita primus a rege dux renuntiatur, et religionis studio praestans plures Christo gignit. Die 3 aprilis 1881 baptizatus, regis administro, seu Katikiro, accusatore et iudice, a carnifice amputatum habet caput et brachium. — VIII. Noe Maaggali, mitis et pius, die 1 nov. 1885 baptizatus, ab ipso suo domino Mkovenda, ob timorem regis, christianos perquirentibus traditus, ab ipsis lancea percussus obit. — IX. Iosephus Mkasa, die 3 aprilis 1831 baptizatus, asseclis regiae domus praefectus, omnibus ac ipsi regi acceptus et consiliarius, artificio administratorum accusatorio,

die 16 nov. 1885 capite plectitur flammisque consumitur. — X. Pontianus Mgodwé, r. a., die 18 nov. 1885 baptizatus, in carcere detentus et carnifici interroganti num orare sciat, affirmative respondens, ideo lancea vulneratus obit die 26 maii 1886 in loco Mugnunu. — XI. Athanasius Badzekuketta, r. a., die 17 nov. 1885 baptizatus, martyrii desiderio flagrans, sub ingeminatis ictibus decumbit die 27 maii 1886. — XII. Iacobus Buzabaliao, r. m., die 18 nov. 1885 baptizatus, pro prosequentibus rogans, apud Namungongo die 3 iunii 1886 igni traditur. — XIII. Kizito, r. a., e sociis iunior, nobilissimi optimatis filius, eodem die baptizatus et comprehensus, fidem super rogum asserens mortem subit die 3 iunii 1886. — XIV. Ambrosius Kibuka, r. a., die 17 nov. 1885 baptizatus, in carcerem coniectus, fidem coram rege profitens, die 3 iunii 1886 vivus uritur. — XV. Kayavira, r. a., catechumenus, eadem die qua a Luanga baptizatur, comprehensus et in carcerem detrusus, subsequenti septima die 3 iunii 1886, in christiana confessione constans aduritur apud Namuyongo. — XVI. Achilles Kiwanuka, r. a., die 17 novembris 1885 baptizatus, tum in carcere tum supra rogum fortis in fide, Namuyongo mortem obit die 2 iunii 1886. — XVII. Adulphus Rudigo Mkasa, r. a., die 17 nov. 1885 baptizatus in vinculis et in igne, coram rege fidem profitens, consumitur Namuyongo die 3 iunii 1886. — XVIII. Mkasa Kilwanvu, r. a., catechumenus, christianum se esse professus, comprehenditur et comburitur Namuyongo die 3 iunii 1886. — XIX. Anatolius Kiligawajjo, r. a., die 17 nov. 1885 baptizatus, honorificum a rege oblatum respuens officium et christianae professioni adhaerens, Namuyongo die 3 iunii 1887 igni consumendus traditur. — XX. Mbaga Tuzindé, r. a., eodem die a Luanga baptizatus et cum ipso comprehensus, fidem confitens ictibus percutitur et in ignem immissus, in clivo Namuyongo spiritum Deo reddit die 3 iulii 1886. — XXI. Lucas Banabakintu, die 28 maii 1881 baptizatus, in christiano nomine tuendo comprehensus ignique damnatus, Namuyongo vitam amittit die 3 iunii 1886. — XXII. Ioannes Maria Mzée, die 1 nov. 1885 baptizatus, vitae integer, natu maior, sodalium consiliarius, lue grassante admirabilis in aegrotos, quos recreat, instruit et morientes baptizat. Parco victu aliaque industria, soluto pretio, infantes et iuvenes redimere atque erudire studet. Inquisitus ad necem et captus, religionis servandae causa, supplicium prompto libentique animo perfert circa mensem ianuarium 1887. — Hisce praemissis satis ostenditur causae gravitas atque utilitas ad maiorem Dei gloriam fidemque catholicam confirmandam et propagandam in Africa centrali; inde ratio inquisitionis Ordinariae quod ad praedictos Dei Servos in Vicariatu Nyanzae septemtrionalis super fama martyrii eiusque causae. Quibus actis processualibus ad sacram Rituum Congregationem transmissis una cum documentis historicis seu litteris Cardinalis C. Lavigerie, archiepiscopi Carthaginen. et Algerien., episcopi Leonis Livinhac, Vicarii apostolici Nyanzen., et P. Simeonis Lourdel, missionarii Algerien., cum omnia in promptu essent ad quaestionem agendam, instante R^mo P. Aloisio Burtin, Societatis Missionariorum Algerien. Procuratore generali et Causae postulatore, attentisque litteris postulatoriis plurium archiepiscoporum, episcoporum, aliorumque Sacrorum Antistitum ex Vicariatibus seu Praefecturis apostolicis, necnon Praepositorum generalium Ordinum seu Congregationum, E^mus ac R^mus D^nus Cardinalis Dominicus Ferrata, eiusdem Causae Ponens

Hinc causae gravitas et utilitas.

Confecto processu et receptis instantiis, ab E^mo Ponente **dubium** *de signanda commissione introductionis causae proponitur.*

seu Relator, in Ordinariis sacrorum Rituum Congregationis comitiis subsignata die ad Vaticanum coadunatis, sequens dubium discutiendum proposuit : « An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et « ad effectum de quo agitur ? ». Et Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus Praepositi, post relationem ipsius Emi Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde, sanctae Fidei Promotore, omnibus sedulo perpensis rescribendum censuerunt : *Affirmative, seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.* Die 13 augusti 1912.

Responsum *affirmativum.*

Facta postmodum de his sanctissimo Domino nostro Pio Papae X per subscriptum sacrae Rituum Congregationis Secretarium relatione, Sanctitas Sua rescriptum eiusdem sacri Consilii ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae beatificationis seu declarationis martyrii vigintiduorum Venerabilium Servorum Dei Caroli Luanga, Mathiae Murumba et sociorum, in regno Ugandae Africae centralis, in odium fidei, uti fertur, interfectorum.

Approbatio Pontificis signantis.

Die 14, iisdem mense et anno.

Dies (14 aug. 1912).

Fr. Sebastianus Card. Martinelli, *S. R. C. Praefectus.*
† *Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., Secretarius.*

Annotatio

Decretum istud totum exscribere visum est, quia missionariis nihil magis acceptum esse potest quam ut in miseris nigritis splendidum heroicarum virtutum exemplum et sui laboris fructum admirentur. Atque Ecclesiae etiam honoratissimum est illustre istud hodiernum fidei testimonium, quod varii catholici scriptores tamquam primis Ecclesiae fastis dignum laudibus extulerunt.

---

613. — SS. D. N. Pii PP. X

MOTU PROPRIO 15 AUG. 1912

Curandis emigrantibus specialis sectio constituitur

(A. A. S. 16 aug. 1912, 4, 526.)

Memoratis documentis sollicitudinis Ecclesiae de emigrantibus, auctaenecessitati providere cupit S. Pontifex.

Cum omnes catholicos Ecclesia materno studio complectatur, tum peculiari quadam sollicitudine caritatis eos prosequitur qui, ut victum labore quaerant, aut meliorem sibi fortunam comparent, relicto natali solo in longinqua migrant, ubi saepius iis timendum est ne, dum mortalis vitae rationibus prospiciunt, lamentabilem sempiternae iacturam faciant. Plura enim et illustris Nostri Decessoris et Nostra testantur acta, quanto opere Apostolica Sedes bonorum societates foveat in salutem emigrantium institutas, quantamque praesertim adhibeat curam ne Antistites sacrorum patiantur in re tam gravi pastoralem industriam suam desiderari. Iam vero, cum ob aucta populorum commercia et expeditiores commeatus aliasque causas plurimas, cotidie in immensum crescat emigrantium

numerus, intellegimus Nostri muneris esse idoneum aliquod reperire providentiae genus, quo quidem horum omnium filiorum temporibus succurramus. Equidem valde commovemur maximis periculis in quibus religio moresque versantur tot hominum qui, ut plurimum, ignari regionis et linguae, atque ope sacerdotum suorum destituti, spiritualis vitae adiumenta nec ipsi sibi parare possunt, nec, quantum satis est, exspectare ab Ordinariis locorum aut a consociationibus iis quae in id sunt institutae. Quae vero ad medendum his tantis incommodis excogitata sunt, optatum non solent habere exitum, propterea quod eorum qui in hac gravissima causa elaborant, laudabiles conatus aut operis magnitudine superantur aut consensum et unitatem saepe non assequuntur. — Nos igitur, tempus esse iudicantes necessitatibus tam magnae multitudinis stabili quadam ratione in perpetuum subveniendi, cum S. R. E. Cardinales e Sacra Congregatione Consistoriali in consilium adhibuerimus, Motu Proprio ac de Apostolicae potestatis plenitudine, apud eam ipsam Congregationem novum Officium, seu *Sectionem* ut aiunt, *de spirituali emigrantium cura* constituimus. Huius Officii partes erunt, quaerere et parare omnia, quaecumque opus sint, ut in iis quae ad salutem animarum pertinent, emigrantium latini ritus melior condicio fiat, salvo tamen iure Sacrae Congregationis Fidei Propagandae in emigrantes ritus orientalis, quibus eadem Congregatio pro suo instituto opportune consulat. Ac de sacerdotibus ipsis emigrantibus hoc idem unice cavebit Officium; ad quod propterea praescriptiones ea de re, decretis Sacrae Congregationis Concilii datas, avocamus. — Itaque Sacra Congregatio Consistorialis, accedente Ordinariorum studio, quorum quidem ipsa confirmabit fovebitque in advenas auctoritatem, suffragante etiam opera consociationum emigrantibus adiuvandis, quarum beneficam actionem, quocumque res postulaverit, diriget, divino munere poterit et quae sint, pro varietate regionum, necessitates emigrantium cognoscere, et quae peropportuna visa fuerint malorum remedia decernere. Confidimus autem fore ut quicumque catholicam rite colunt fidem, opus tam sanctum in salutem fratrum institutum precibus atque etiam opibus, pro sua quisque facultate, promovere velint, praesertim cum pro certo habere debeant summum Pastorem et Episcopum animarum nostrarum sua ipsorum caritatis officia amplissimo in caelis praemio remuneraturum.

Multa enim pericula sunt, nec sufficiunt praesentia media.

Quare apud C. Consistorialem specialem de spirituali emigrantium cura sectionem constituit. Huius provincia describitur.

Ius providendi emigrantibus orientalibus manet penes S. C. Prop. Fid.

De sacerdotibus emigrantibus nova sectio sola cavet avocatis decretis et C. Conc.

Adiumenta C. Consist.

Fiducia Pontificis.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XV mensis augusti MCMXII, Pontificatus Nostri anno decimo.

Dies (15 aug. 1912).

PIUS PP. X.

Annotatio

Iuridica istius decreti pontificii vis huc spectat :

a) Ut decreta S. Congr. Concilii hactenus de sacerdotibus emigrantibus data supprimat, illud praecipue quod de italicis sacerdotibus in Americam tendentibus latum est die 27 iul. 1890. Decreto isto, *Non sine magno,* episcopi Italiae prohibebantur sacerdotibus suis dimissoriales litteras dare ad emigrandum in Americam [1].

[1] Cfr. v. gr. CANONISTE CONTEMPORAIN, 1894, t. 17, p.

b) Ut eidem Congregationi consistoriali subordinentur consociationes emigrantibus adiuvandis institutae, quatenus catholicae appellari vel spiritualem emigrantium utilitatem fovere velint. Duplici enim hac ratione ecclesiasticae potestati oboedire debent.

Porro in variis gentibus est sua cuique emigrantium iuvandorum consociatio. Inter quas laudem maximam sane meretur belgica dicta a S. Raphaële quae etiam ab inconsulta emigratione non paucos avertere solet.

Pluries autem ipsa S. Sedes sollicitudinem suam de emigrantium condicione demonstravit litteris Secretariae Status ad Ordinarios Italiae. Sic scripsit ad ipsos C. RAMPOLLA [1] 19 iun. 1900, et, 8 sept. 1911, Card. MERRY DEL VAL [2].

614. — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

DECRETUM 15 AUG. 1912

De postulatu in monasteriis votorum sollemnium

(A. A. S. 31 aug. 1912, 4, 565)

Plenaria comitia 2 aug. 1912 statuunt ut,

Quo propositum vitae religiosae perpetuo profitendae melius exploretur, et dignitati status religiosi uberius consulatur, imminutis, in quantum fieri possit, defectionibus, Emi ac Rmi Patres Cardinales sacrae Congregationis de Religiosis, in plenariis comitiis ad Vaticanum habitis die 2 augusti 1902, sequentia statuerunt nempe :

silentibus Constitutionibus, omnis postulans ingressum apud moniales stricte tales saltem per 6 menses ante indutum habitum probetur.

1. Quaelibet Postulans in Monasteriis votorum sollemnium et clausurae papalis poterit admitti, sine praevia S. Sedis venia, servatis tamen aliis de iure servandis.

2. Quaelibet Postulans, antequam Noviciatum ingrediatur, probanda erit per tempus, et iuxta modum, in propriis cuiusvis Monasterii Constitutionibus praescriptum.

3. Si nihil in istis quod ad haec statuatur, tunc probatio facienda est saltem per sex menses, ita tamen, ut Postulantes, intra septa Monasterii, probationis causa, admissae, utantur veste modesti coloris, diversa ab habitu Ordinis, quem non induant, nisi quando Noviciatum proprie dictum inchoaturae sint.

Approbatio SSmi 5 aug. 1912.

Facta autem de his omnibus fideli relatione sanctissimo Domino nostro Pio Papae X per infrascriptum sacrae Congregationis Secretarium die 5 augusti 1912, Sanctitas Sua eadem approbare et confirmare dignata est. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Dies (15 aug. 1912).

Datum Romae, ex Secretaria sacrae Congregationis de Religiosis, die 15 augusti 1912.

Fr. I. C. Card. VIVES, *Praefectus*
† *Donatus, Archiep. Ephesinus, Secretarius.*

[1] CANONISTE CONTEMPORAIN, 1900, t. 23, p. 688.
[2] Ibidem, 1911, t. 34, p. 678.

615. — SS. D. N. PII PP. X

EPISTOLA 8 SEPT. 1912

De tertii Ordinis disciplina tutanda

(A. A. S. 16 sept. 1912, 4, 582)

Ad RR. PP. Pacificum Monza, Victorem Mariam Sottaz, Pacificum a Seiano, trium familiarum primi ordinis Minorum ministros generales

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. — **Tertium Franciscalium Ordinem**, quem saecularem vocant, toto terrarum orbe diffusum, sodalium non solum numero sed etiam industria florere, certissimo argumento sunt et multiplices de rebus Ordinis commentarii, et crebrae ad loca sacerrima peregrinationes, et frequens celebratio conventuum, e quibus eum commemorare libet, qui in hac alma Urbe Nostra nuper est habitus. Haec sane laetabilia sunt, Nobisque dant causam gratulandi vobis, dilecti filii, quibus sodales Tertiarii magistris et ducibus utuntur. Sed tamen non vos celabimus de timore quodam in quo Nos iam dudum ob nonnulla indicia sumus, ne, per speciem melius merendi de humana societate, studium parum sapiens rerum novarum sese in Tertiariorum Ordinem alicubi insinuet, eumque sensim ab instituto suo, quale Franciscus sanctissimus voluit esse, detorqueat. Itaque, ut de re tam gravi Nostra vobiscum consilia communicemus, vos, dilecti filii, paulo fusius affari hodie constituimus.

Dum de florenti Tertio Ordine gaudet Pontifex, simul timor quidam adulterinae novitatis ipsum ad scribendum movet.

Primum omnium, opus esse ducimus, dilecti filii, magis ac magis declarare vulgo, quid ex voluntate Patris legiferi sit Ordo Tertius, quid tamquam finem ille spectet; atque ostendere non hunc ab aliis duobus natura differre, sed eo tantum quod propria quadam ratione ad idem propositum contendit. Etenim, ut ait decessor Noster fel. rec. Leo XIII, « in curandis Iesu Christi praeceptis Instituta Franciscalia tota sunt « posita; neque enim quicquam spectavit aliud Auctor sanctissimus, « quam ut in iis, velut in quadam palaestra, diligentius vita christiana « exerceretur. Profecto Ordines Franciscales duo priores, magnarum virtutum informati disciplinis, perfectius quiddam diviniusque persequuntur; sed paucorum sunt, nempe eorum quibus Dei munere concessum « est ad evangelicorum consiliorum sanctitatem singulari quadam alacritate contendere. Verum Tertius Ordo natus aptus est multitudini; « et quantum possit ad mores iustos, integros, religiosos, superiorum tem« porum monumenta et res ipsa declarant » (Const. *Misericors Dei Filius*). Ceterum ipse Assisiensis Patriarcha, cum Tertium Ordinem appellatione *Fratrum de Paenitentia* distinxit, satis aperte docuit illa duo esse Tertiariorum propria: fraternam inter se concordiam et studium paenitentiae.

Tertii Ordinis vera ratio. Prosecutio iustitiae christianae per fraternam concordiam et paenitentiam.

Quod autem ad primum attinet, nullo quidem tempore Romanorum Pontificum decessorum Nostrorum curae cogitationesque desideratae sunt in eo ut Tertiarii Franciscales, animorum coniunctione seraphici Patris caritatem referentes, unum veluti corpus omnes efficerent. Nos item apostolicis Litteris *Septimo iam pleno saeculo*, religiosos Ordinis prioris cohortati sumus, meminissent fraterna se caritate inflammatos

Caritatis praeterita et praesens commendatio.

esse oportere, quam quidem decet esse tantam ut in Tertium quoque Ordinem redundet. Eam ceterum caritatem non modo inter Tertiarios unius eiusdemque sodalitatis vigere opus est, sed etiam inter sodalitates Tertiariorum ; quemadmodum vero varia cuiuslibet religiosorum Ordinis coenobia, sic Ordinis Tertii sodalicia amico foedere colligantur natura sua. Iuvat hoc loco ea commemorare quae Nos, die XVII decembris anno MCMIX, ad Tertiarios Urbanos scripsimus : « Cum sit exploratum « vires coniunctas efficaciores esse quam singulas, cernere licet quam « studiose catholici nominis hostes in unum conglobentur, ut nefaria « certius proposita contingant. Ergo ad repugnandum istis congruenter, « oportet omnes boni coëant, iique in primis qui ex instituto Patriarchae « Assisiensis et ipsi christiane sapere ac vivere in exemplum, et chri- « stianam fidem moresque in populo fovere ac tueri debent ». Ergo hanc virium coniunctionem ratam iterum habemus, ea tamen condicione, ut nova ne inducatur disciplina, sed rationes mutuas quae inter sodalitates intercedunt, ipsi dumtaxat sodalitatum rectores moderentur.

Paenitentiae commendatio.

Quod ad alterum pertinet, ut eiusdem decessoris Nostri verbis utamur ; « caput est commendationis Nostrae, ut qui insignia *paenitentiae* « induerint, imaginem spectent sanctissimi Auctoris sui, ad eamque « contendant, sine qua, quod inde expectaretur boni, nihil esset » (l. c.). Etenim hoc maxime mandatum Francisco Deus, teste Bonaventura, dedit, ut paenitentiam praedicaret, atque homines ab amore huius saeculi ad Crucifixi amorem traduceret. Ille igitur, mortificationem Iesu semper in suo corpore circumferens, cum admirabile ubique et *mundi* taedium et studium Crucis excitasset, divinitus rationem iniit quemadmodum multitudini instituti sui percupidae satisfaceret simulque eam intra communis vitae fines contineret Ita Tertius hic Ordo conditus est ; qui quidem mirifice salutaris tum Ecclesiae tum Civitati tam diu fuit, quam diu nativam illam paenitentiae formam religiose retinuit. Quare non est dubium, quin similes semper fructus sit laturus, si eam ipsam formam simili modo in posterum retineat.

Quaenam exinde sint a sodalibus procuranda.

Iam vero, ad utramque assequendam rem quam diximus, egregie comparatae sunt leges huius Ordinis ; quibus propterea sancta esse Tertiariorum obtemperatio debet. — Ante omnia, de sodalibus cooptandis cavetur ut sincerae sint fidei spectatique erga Ecclesiam Romanam Sedemque apostolicam obsequii, ad exemplum Francisci Patris, cuius fidem Nicolaus IV, decessor Noster, in Constitutione *Supra montem*, amplissimis laudibus honestavit. Et ne ea in periculo sit virtus, praecipitur, a legendis libris diariisque perniciosis se abstineant ; quae vero scripta religionem tuentur, ea non modo lectitent, sed spargenda in vulgus disseminandaque curent ; ad haec, quantum fieri poterit, Sacris in parochiali suo quisque templo adsint et curionibus operam navent in adulescentulis rudioribusque hominibus ad christianam doctrinam instituendis. Mores deinde suos ita componere debent, ut absolutissimam christianae vitae rationem sequi videantur. Ergo studeant, delicato cultu, comissationibus, scenicis ludis procacioribus abdicatis, tum frequenter se paenitentia expiari et ad divinum Epulum accedere, tum familiae ac civibus exemplo esse, tum etiam a vitiis ad frugem bonam errantes revocare. Sed illud in primis Tertiarios meminisse oportet, hoc se nomine minus fore dignos, nisi caritate in Deum proximosque inflammentur, et,

qua seraphicus Patriarcha mirum in modum virtute praestitit, eandem, velut Ordinis sui insigne, prae se ferant. Quoniam vero *probatio dilectionis exhibitio est operis*, hac astringuntur lege ut benevolentiam omnem sodalibus alienisque praestent, componendasque discordias sedulo curent ; aegrotos invisant ; tenuiores, collata stipe, sublevent ; omnia denique opera quae *misericordiae* vocantur, peragere studeant.

Bene eligendi praesides,

Cum autem penes religiosos Primi Ordinis sit Ordinis Tertii gubernatio, ii sodalitatum praesides seu Visitatores eligantur qui sint in coenobii solitudine sancte versati, et Auctorem suum ita imitentur, ut virtutibus, quibus ipse praeluxit, possint Tertiarios sodales imbuere. Verum in hac tanta acerbitate temporum, cum perpetuo metuendum est ne quid Ordini priori calamitatis impendeat, si Ordinem Tertium volumus consistere incolumen, nihil videtur opportunius quam ut sodalitates eiusmodi non modo apud Primi Ordinis coenobia, sed apud alia etiam templa, parochialia praesertim, constituantur, earum moderatione, de episcoporum consilio, curionibus ipsis commissa, nisi aliud locorum ratio suadeat, salvo semper iure et officio praelatorum Ordinis Primi ; quod profecto Tertii Ordinis naturae non adversatur, quin immo eidem aptum omnino est et consentaneum. Eo ipso enim validiori auxilio curionibus in procuranda hominum salute sodales fore, nemo non videt.

quos oportet etiam ssse saeculares parochos.

Civilibus et mere oeconomicis rationibus qua tales Tertiarii abstineant nec Tertius Ordo ipse socialem actionem habere debet.

Itaque ex his quae dicta sunt, perspicuum arbitramur, Tertii Ordinis institutum in hoc consistere ut sodales evangelicae perfectionis praecepta in cotidianum usum ipsi deducant, et christianae vitae exemplar ceteris ad imitandum proponant. Consequens est, ut Tertiariorum sodalicia, qua talia, se civilibus aut mere oeconomicis rationibus immiscere omnino non debeant ; si faciant, rem ab instituto suo quam maxime alienam et voluntati Nostrae contrariam se facere sciant. Verumtamen Tertiarii de re christiana merebuntur optime, si singuli, dato catholicis societatibus nomine, persequi id quod quaeque sibi habet peculiare propositum, contendant ; nec vero prohibentur quin in actione etiam sociali, qualis huic apostolicae Sedi probatur, elaborent : at cavendum, ne Ordo ipse Tertius in earum societatum regiones invadat, neve finem earundem proprium, faciat suum. Si quis autem e Tertiariis, cum pietatis tum beneficentiae causa, aliam quamlibet condat novam societatem, hanc volumus episcopo plene subesse, et ab eo gubernari quem episcopus probaverit, etiamsi Ordinis Tertii praesides aliquo pacto condendae societatis auctores fuerint.

Quae a Tertiariis condantur societates episcopo non Praesidibus S. Ordinis subsunt.

Conventus sodaliciorum.

Ad sodaliciorum conventus quod spectat, certos iis constituere fines oportet quos, dilecti filii, praeterire quemquem ne patiamini. Itaque haec capita sancte custodiantur :

Quinam cogant et regant ;

I. Religiosi dumtaxat ex Ordine Primo coetus seu conventus sodalium Ordinis Tertii cogant iisdemque praesideant ; si sodales a *districtu* coëant, coenobii custos seu *Guardianus ;* si e provincia, provincialis Minister ; si e pluribus provinciis, Ordinis Minister generalis. Qui iure praesint, eorum est de rebus in disputationem deducendis libellos conficere, diribere ; nemini autem de aliqua re dicendi ius esto, nisi rogationem praesidi ante subiecerit, ab eoque copiam fandi impetraverit.

Quaenam quaestiones tractandae

II. Disceptare cuivis ne liceat, nisi de iis quae Ordinis Tertii naturae, proposito legibusque ac datis per Romanos Pontifices de hac eadem re

praescriptionibus congruant ; quaestiones vero de re mere oeconomica et sociali in posterum submoveantur.

Significanda observantia ad S. Pontificem,

III. Cum Franciscalis Ordo id habeat veluti proprium ac singulare ut Iesu Christi Vicario artissime adhaereat, Tertiarii suae in Romanum Pontificem ac secundo in Ordinis generales Ministros studiosae observantiae significationem, coetum ineuntes, sollemniter edere ne omittant.

Quo pacto actu vulgari possint. Quid si tres adsint Ministri generales?

IV. Coetuum seu conventuum acta, nisi de Ministri generalis Ordinis consensu, ne vulgentur. Sicubi vero tres Franciscalis Ordinis Ministri generales conventui intersint, huic simul praesideant, quippe sunt dignitate et potestate pares ; actaque ne edantur, ante quam communis eorumdem approbatio accesserit.

Pontificis votum.

Haec, pro benevolentia qua Ordinem Tertium complectimur, ediximus ; futurum vero confidimus, ut Tertiarii omnes, quotquot curae vestrae sunt per orbem catholicum commissi, seraphici Patris vestigia persequi summopere nitantur. Quod ut secundum vota succedat, vobis, dilecti filii, et Franciscalium Ordini universo apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Dies (8 sept. 1912).

Datum Romae apud sanctum Petrum, die VIII mensis septembris, in festo Mariae sanctissimae nascentis, anno MDMXII, Pontificatus Nostri decimo.

PIUS PP. X.

Annotatio

His litteris S. Pontifex diuturnae iam controversiae finem imponit, dum definit Tertium Ordinem non esse ad opera socialia promovenda constitutum. Unde consequitur in accidentalem Tertiariorum participationem non posse a Patribus Franciscanis porrigi privilegiatam suam iurisdictionem, sed opera socialia Tertiariorum communi catholicorum laïcorum operum ratione Ordinariis locorum subesse. Observes praeterea velle S. Pontificem ut sodaliciis Tertiariorum etiam saeculares sacerdotes praeficiantur ne, pulsis persecutione religiosis, ipsum Tertiariorum Institutum corrueret. Cautiones denique in coetibus habendis variae statuuntur.

---

616 — S. CONGR. DE RELIGIOSIS

DECRETUM 10 SEPT. 1912

De professione religiosa in mortis periculo permittenda

(A. A. S. 16 sept. 1912, 4, 589)

Memorata origine professionis in mortis articulo,

Spirituali consolationi Noviciarum sancti Dominici volens consulere, et ne caelesti religiosae professionis merito ipsae careant quo professae moniales ex benignitate sanctae Sedis gaudent, S. Pius V, Constitutione *Summi Sacerdotii* data die 23 augusti 1570, concessit et indulsit ut quotiens aliqua ex iisdem Noviciis nondum professa, de alicuius

medici iudicio, ab hoc saeculo transitura conspiceretur, ipsa, dummodo in aetate legitima esset constituta, valeret in mortis articulo regularem professionem ante finem noviciatus emittere ; atque adeo Noviciae sic decedentes consequi possent indulgentias et alias gratias quas moniales vere professae consequebantur. Nec non iisdem monialibus noviciis tunc ita professis decedentibus plenariam peccatorum suorum indulgentiam et remissionem in forma Iubilaei largiri dignatus est.

atque usus diffusione,

Huiusmodi favor, vi communicationis privilegiorum, fuit extensus ad omnes moniales et religiosos viros qui cum Dominicana familia in privilegiis communicant. Simile deinde privilegium alia religiosa Instituta a Romano Pontifice peculiariter obtinuerunt, vel in eorum Constitutionibus a S. Sede approbatis dispositio inducta est qua liceret ante expletum noviciatum professionem recipere Noviciorum qui in mortis periculo versarentur. Quin immo, nec desunt Superiores religiosi qui, putantes se quoslibet bonorum spiritualium sui Instituti participes efficere posse Novicios periculose decumbentes, hos ad professionem etiam perpetuam admittunt.

sed non sine errore :

Hinc opportuna statuta, ex aud. 3 sept. 1912.

Quapropter sanctissimus Dominus noster Pius PP. X, in audientia concessa infrascripto Cardinali Praefecto die 3 septembris 1912, ut in re tam gravi omnes dubitationes submoveantur, ac cupiens pro animarum bono hoc privilegium extendere, haec statuere dignatus est :

Quaenam Instituta in quonam morbo possint probandos ad professionem admittere.

In quocumque Ordine, vel quavis Congregatione aut Societate religiosa, vel monasterio sive virorum sive mulierum, vel etiam in Institutis in quibus, quamvis vota non emittantur, in communi tamen vita agitur, more Religiosorum, liceat exinde Novicios, seu Probandos, qui medici iudicio graviter aegrotent, adeo ut in mortis articulo constituti existimentur, ad professionem vel consecrationem aut promissionem iuxta proprias Regulas seu Constitutiones admittere, quamvis tempus noviciatus vel probationis nondum expleverint.

Attamen, ut novicii seu probandi ad supradictam professionem aut consecrationem aut promissionem admitti queant, oportet :

Requisita in promittente

1. Ut noviciatum seu probationem canonice inceperint.

in admittente

2. Superior, qui Novicium seu Probandum ad professionem vel consecrationem aut promissionem admittit, sit ille qui monasterium vel noviciatus aut probandatus domum actu regat.

in formula.

3. Formula professionis vel consecrationis aut promissionis sit eadem quae in Instituto extra casum aegritudinis in usu est ; et vota, si nuncupentur, sine temporis determinatione aut perpetuitate pronuntientur.

Effectus

4. Qui huiusmodi professionem, consecrationem vel promissionem emiserit, particeps erit omnium omnino indulgentiarum, suffragiorum et gratiarum, quae Religiosi vere professi in eodem Instituto decedentes consequuntur ; eidem autem plenaria peccatorum suorum indulgentia et remissio in forma Iubilaei misericorditer in Domino conceditur.

unicus.

5. Haec professio vel consecratio aut promissio, praeter gratias in praecedenti articulo enuntiatas, nullum omnino alium producit effectum. Proinde :

Hinc corollaria.

A) si Novicius seu Probandus post huiusmodi professionem vel consecrationem aut promissionem intestatus decedat, Institutum nulla bona vel iura ad ipsum pertinentia sibi vindicare poterit ;

B) si convalescat antequam tempus noviciatus seu probandatus exspiret, in eadem omnino condicione versetur ac si nullam professionem emisisset ; ideoque : *a)* libere, si velit, ad saeculum redire poterit ; et *b)* Superiores illum dimittere valent ; *c)* totum noviciatus seu probandatus tempus in singulis Institutis definitum, licet si ultra annum, explere debet ; *d)* hoc tempore expleto, si perseveret, nova professio seu consecratio vel promissio erit emittenda.

Clausulae. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Dies (10 sept. 1912). Datum Romae, ex Secretaria S. Congregationis de Religiosis, die 10 septembris 1912.

I. C. Card. Vives, *Praefectus*
† *Donatus, Archiep. Ephesinus, Secretarius.*

Annotationes

1. Praesenti decreto vis inest cuiuspiam *ampliationis* ac *declarationis :* ampliationis, cum pristinum privilegium omnibus Institutis commune fiat et omnibus accedat indulgentia in forma iubilaei ; declarationis, cum iam magis constet quaenam in Ordine religioso professio ab aegroto facienda sit. Privilegium enim Dominicanae familiae *sollemnem* professionem, quae sola tunc usurpabatur, respiciebat. Inducta autem simplicis professionis ante sollemnem faciendae lege, dubitari poterat quaenam professio ageretur. Et cum nº 3 temporis determinatio et perpetuitas excludantur, colligimus inde de sola simplici professione agi, cum sollemnis perpetuitatem involvat.

2. Huius pag. 290 linea 5, pro *licet si* legendum putamus *licet sit ;* atque alio etiam mendo typographico fortasse purganda est ultima sententia qua, p. 289, § « Huiusmodi favor, etc. » concluditur.

DECRETA SUMMATIM RELATA

617. — *S. CONGR. CONSISTORIALIS*

Litterae circulares 24 iul. de Seminariis Italiae, ad Reverendissimos Ordinarios (A. A. S. 31 iul. 1912, 4, 491 ss.).

Italice exaratae sunt istae litterae. In primis redarguunt opinionem quae novis studiorum exigentiis et institutione seminariorum centralium explicaret ingentem alumnorum diminutionem in nonnullis seminariis deploratam, cum variae aliae causae indicari possint, et raritas etiam alibi observetur, dum quaedam dioeceses ubi novae regulae vigent seminaristis abundant. Principalem mali causam indicant pericula seductionis et minus debilem post studia humaniora multorum voluntatem.

Excitato dein per Ordinarios zelo parochorum et sacerdotum, quaedam de ipsa cleri institutione maxime commendantur. Haec autem ferme sunt:

1 Ut maiores natu inter alumnos a minoribus separentur et, si fieri possit in distinctis domibus instituantur.

2. Ut ne quidem in minoribus seminariis admittantur qui omni etiam initiali quadam propensione ad statum ecclesiasticum careant.

3. Ut tam a minore quam a maiore Seminario possideatur domus apta ad rusticandum, ita ut longe maior vacationum pars in domo clericali transigatur et per solos decem aut quindecim dies domus paterna repetatur.

4. Disciplinae alumnorum in separato seminario minore utilissime praefici possunt iuniores sacerdotes, qui sic melius probabuntur et studiis magis specialibus, pro varia aptitudine, addici simul poterunt.

5. Scholae ipsae potius propriae sint clericorum vel eorum qui ad statum clericalem aspirant, quamvis Ordinarii seminarii alumnos ad suum laïcorum collegium prudenti ratione mittere possunt.

6. Quia dies dominicae et festivae sanctis operibus ex magna saltem parte devovendae sunt, oportet ut altera dies saltem a gravioribus studiis vacet.

7. Quattuor, summum quattuor cum dimidia horae, opportunis intervallis separatae, scholis deputanda sunt.

8. In curriculo gymnasiali (seu humaniorum litterarum per quinque annos [1]) satis observabitur ordo lege civili inductus, sed maxime linguae latinae attendetur, ac singulis hebdomadis una hora catechismo, altera historiae Veteris et Novi Testamenti tribuetur.

9. In tribus annis curriculi lycealis philosophia scholastica cotidie per horam tradetur, praeter hebdomadariam repetitionem ac bimestrem disputationem. Reliquae horae inter scientias, litteras et profanam historiam dividentur. Nec litterae patristicae neglegentur.

Qua nova inita ratione, supprimi poterit annus propaedeuticus.

---

1 Cfr. brevem nostram expositionem consuetudinis italicae, t. 5, p. 47, n. 4.

10. Per se omnes alumni civilem gymnasialis licentiae gradum consequi debebunt antequam curriculum lyceale aggredi possint, dum civilis licentia lycealis non est per se necessaria. Omnes vero antequam ad theologica studia admittantur, examen proprium seminarii post tertium lycei annum feliciter subire debebunt.

11. In curriculo theologico argumenta principalia erunt dogmatica theologia, moralis, S. Scriptura, historia ecclesiastica.

Per quattuor annos cotidie una hora theologiae dogmaticae tribuetur, praeter disputationem et repetitionem hebdomadariam.

In morali theologia tradentur etiam notiones scientiae socialis et institutiones iuris canonici.

Sacra Scriptura obtinebit quattuor horas singulis hebdomadis, ita ut duo anni introductioni, duo vero exegesi tribuantur.

In tradenda historia ecclesiastica, pars supernaturalis omitti non potest.

12. Argumentis secundariis : linguae graecae biblicae, hebraïcae, eloquentiae sacrae, patristicae, liturgiae, archeologiae, arti sacrae et cantui gregoriano congruum sed non nimium tempus addicatur.

13. Theologia dogmatica et moralis latine tradantur, atque etiam generaliter philosophia, quantum fieri possit.

Curabunt Ordinarii ut magistri tractatus tradendos absolvant.

14. Libri manuales accurate et prudenter seligantur.

ANNOTATIO

Nova ista studiorum et disciplinae ratio conferenda est cum superiore quam per S. Congr. Episcoporum et Regularium S. Pontifex dedit 10 maii 1907 de studiis et 18 ianuarii 1908 de institutione et disciplina. (Cfr. v. gr. ACTA S. SEDIS, t. 40, p. 338 ss. ; et 41 p. 212 ss.)

In nova hac ratione minus iam, in curriculo lycaeali, ad civilem studiorum ordinationem attenditur ; atque exigitur in alumnis inchoata quaedam propensio ad vitam sacerdotalem, dum prius condicio huiusmodi omittebatur, ita ut etiam in lycaeali curriculo rector servare potuisset iuvenem qui mere ad lycaealem licentiam aspiraret. Cfr. litteras 10 maii 1907 C. Praefecti FERRATA, et art. 83-87 ordinationis 1908.

618 — *S. CONGR. S. OFFICII*

Reprobatur liber et inscriptio quaedam (A. A. S. 16 sept. 1912, 4, 586).

Reprobatur liber et inscriptio.

Decreto 7 sept. 1912, S. Officium librum proscripsit cui titulus : *Cenni biografici della Serva di Dio Poalo Mandatori-Sacchetti, per Valeriano Abb. Ferracci, parroco in Vallecorsa, Roma, Tipografia Sociale Polizzi e Valentini, 1905.* — Insuper proscripsit inscriptionem *Un portrait merveilleux* appositam imagini S. Cordis Iesu editae a Petro Brion (26, Rue Auguste Mérillon, Bordeaux) ; ita ut imago ista, — quam dicebant, invitante Domino, a persona omnino picturae ignara, delineatam esse, — a nemine iam imprimi aut edi possit nisi suppressa omni assertae portentosae originis mentione.

SUMMA SUPPLEMENTORUM ET QUAESITORUM VARIORUM

I. Supplementa

Pagina

SUPPLEMENTUM XVII. De temporalium bonorum possessione et administratione in missionibus exteris
I. De monumentis ecclesiasticis
I. Monumenta quaenam sint . . . . . (1)
II. De Constitutiones *Romanos Pontifices* . . . . . (2)
III. De responsis S. Congr. Propagandae Fidei . . . . (4)
II. De possessione et administratione secundum iuris naturalis principia . . . . . (17)
III. Utriusque puncti enodatio . . . . . (41)
A. De temporalium bonorum possessione
Observationes praeviae . . . . . (42)
Particularia S. Congr. Propag. Fidei responsa . . . (44)
Quae bona in manu Ordinarii plene constituta sint. . (46)
Quae bona ab Instituto possideantur . . . . . (48)
B. De temporalium bonorum administratione. . . . . (52)
C. Quaestiones speciales . . . . . (55)
SUPPLEMENTUM XVIII. De vini quod consecrari possit natura et confectione
I. De vini natura . . . . . (57)
II. De vini confectione . . . . . (59)
III. Brevis summa principiorum et conclusiones. . . . (70)

II. Quaesita varia

I. De numismate quod pro scapularibus gestari permittitur . (5)
II. De decreto *Sacrosancta*, 1 ian. 1911, de laicis Ordinum. . . (5)
III. De facultatibus a S. Congr. Propag. Fidei ante C. *Sapienti* tributis Ordinariis vel religiosis regionis quae nunc eius iurisdictioni est erepta . . . . . (6)
IV. De modo quo Consiliarii generales suffragium suum dare possint . . . . . (6)
V. De personali et territoriali Superioris religiosi potestate. . (7)
VI. De communione infirmi non ieiuni, ex privilegio decreti *Post editum*, 7 dec. 1906 . . . . . (8)
VII. De licentia episcopi, quae domibus religiosis condendis est necessaria. . . . . (8)
VIII. Casus matrimoniales, mixti aliis sacramentis in colonia Congolensi
Primus casus . . . . . (9)
Alter casus . . . . . (10)
Tertius casus . . . . . (12)
IX. De missis et ritibus in ecclesiis et oratoriis
De missis defunctorum in oratoriis . . . . . (14)
De calendario ecclesiae et regularium privilegiis . . . . (15)

X. De dispensatione a ieiunio et abstinentia, ex facultate episcopali . . . . . (21)
XI. Delegatio ad assistendum matrimoniis, ex decreto « Ne Temere » . . . . . (22)
XII. De confessario religiosorum vel regularium . . . . . (23)
XIII. De religiosis dispersis . . . . . (24)
XIV. De matrimonio et cooperatione, in missionibus . . . . . (25)
XV. De baptismo in missionibus . . . . . (25)
XVI. De iuridica condicione Instituti votorum simplicium quod a S. Sede decretum laudis impetravit . . . . . (28)
XVII. De cooptatione in Institutum dioecesanum. . . . . (29)
XVIII. De novis reformati breviarii ac missalis rubricis. . . . . (29)
XIX. De usu privilegii altaris post reformatas rubricas . . . . (36)
XX. De titulari ecclesiae regularium . . . . . (40)
XXI. De approbandis statutis confraternitatis . . . . . (72)

INDEX ANALYTICUS MONUMENTORUM

Pagina

SS. D. N. Pii PP. X

526. A. Motu Proprio **Supremi Disciplinae,** 2 iul. 1911, De diebus festis 80
Annotationes 84
Notandum de isto Motu Proprio. 92
538. Motu Proprio **Quantavis diligentia,** 3 oct. 1911, De trahentibus clericos ad tribunalia iudicum laicorum 105
Annotationes (Cfr. infra, n. 563, Notandum) 106
539. Motu Proprio **Quo magis,** 23 oct. 1911, De reformationibus quibusdam Ordinis Fr. Minorum 110
551. Const. Apost. **Divino afflatu,** 1 nov. 1911, De nova psalterii in Breviario romano dispositione 125
552. Rubricae in recitatione divini officii et in missarum celebratione servandae ad normam Const. *Divino Afflatu* 128
Annotatio 136
559. Litterae in forma brevis **Sublimem,** 4 ian. 1912, quibus pia unio pro prima puerorum communione in primariam erigitur 186
563. Notandum de Motu Proprio 9 oct. 1911 190
598. Litterae encyclicae **Lacrimabili statu,** 7 iun. 1912, de misera Indorum condicione sublevanda. 247
Annotationes 250
606. Epistola 10 iul. 1912, De latina pronuntiatione 267
610. Litterae in forma brevis **Quamquam septimo,** 9 aug. 1912, De laudibus et monasteriis S. Clarae. 273
613. Motu Proprio **Cum omnes,** 15 aug. 1912, curandis emigrantibus specialem sectionem constituens 282
Annotatio 283
615. Epistola **Tertium Franciscalium,** 8 sept. 1912, De tertii Ordinis disciplina tutanda. 285
Annotatio 288

Ex audientia Sanctissimi

524. Rescriptum 11 iul. 1921, Privilegia eucharistici pauperum senum foederis Lovaniensis 78
Annotatio 79
594. Dispensatio pro Belgio, 7 martii 1912, De vetita clericis temporali administratione 238
Annotatio 239

Litterae apostolicae summatim relatae

500. A. Archisodalicium Labacense universale fit (11 mart. 1910). 30
B. Ecclesia parochialis loci « Neuvy-Saint-Sépulchre », basilica minor renuntiatur (20 dec. 1910) 30
C. Reprobatur scriptum principis sacerdotis Max a Saxonia de revocandis ecclesiis separatis ad catholicam unitatem (Litteris « Ex quo » 26 dec. 1910). 3

D. Concessio indulgentiae facta ecclesiis et sacellis Fratrum Minorum in Saxonia (11 ian. 1911) 30
E. Relaxatio legis abstinentiae pro Scotiae fidelibus (27 ian. 1911) 30
F. Sulpicianae sodalitatis propositus precum finis extenditur (2 feb. 1911) 31
G. Erectio Vicariatus Apostolici Erythraei (7 feb. 1911). . . 31
H. Nova missarum votivarum concessio facta Basilicae S. Mariae Angelorum, in Portiuncula (9 feb. 1911) 31
I. Tres sacerdotes Angliae nominatim excommunicantur (11 feb. 1911) 31
Annotatio 31
K. Basilicae minoris titulus confertur templo « del Pilastrello » Adriensis dioecesis (11 febr. 1911). 32
L. Mexipolitana confraternitas in archiconfraternitatem erigitur (20 feb. 1911) 32
M. Partialis indulgentia perpetua pro sociis archisodalicii ab infante Iesu, ubique terrarum (25 feb. 1911) 32
N. Erectio novorum Vicariatuum Apostolicorum Carolinensis et Marianensis, atque insulae Guani (1 martii 1911) . . 32
O. Indulgentiae pro sodalicio iuventutis Antonianae, ubique terrarum (10 mart. 1911) 32
P. Paredensis Archisodalitas ab « Hora Sancta » fit universalis (27 mart. 1911) 32
Q. Erectio ecclesiae Argentinae S. Dominici, in basilicam minorem (3 april. 1911) 32
R. Ecclesia abbatiae de Pontida in basilicam minorem erigitur (5 april. 1911). 33
S. Sodalitas S. Barbarae loci Plaimpied in Graffia, in archiconfraternitatem erigitur (11 april. 1911). 33
T. Extensio C. « Romanos Pontifices » ad Canadenses regiones (14 martii 1911). 33
527. A. Basilica S. Mariae in Monte Sancto committitur operi piaculari N. D. de Montligeon (23 oct. 1910) 93
B. Festum S. Othmari abbatis, in paroecia S. Galli in choro tantum celebrari permitttitur (24 feb. 1911). 93
C. Instituti Biblici alumnis annua pericula imponuntur (22 mart. 1911) 93
D. Constituitur novus Vicariatus apostolicus in regione Coreana de « Tai-Kou » nuncupatus (8 april. 1911). 93
E. Erigitur novus Vicariatus apostolicus Sien-si Septemtrionalis (12 april. 1911) 93
F. Erigitur in Vicariatum apostolicum praefectura de « Ho Nan » occidentali (2 maii 1911). 94
G. Eligitur in perpetuum moderator supremus societatis a Corde Matris admirabilis, Superior Generalis pro tempore Congregationis Iesu et Mariae (2 maii 1911). 94
H. S. Pontifex episcopos Galliae valde hortatur ut opus dioecesanarum missionum omni conatu promovere studeant (15 maii 1911) 94
I. Invocationibus « Gesu mio misericordia » et « O Iesu in SSmo Sacramento miserere nobis » amplior indulgentia annectitur (20 maii 1911) 94
K. Neapolitanum B. Iacobi templum in basilicam minorem erigitur (20 maii 1911) 94

L. Reprobatur violatio iurium Ecclesiae catholicae in Lusitania (24 maii et 15 mart. 1911). 94
M. Societas puerorum a comitatu SS. Sacramenti in primariam erigitur (1 iun. 1911). 95
N. Consilia quaedam diriguntur ad episcopos Brasiliae (18 dec. 1910 et 6 iun. 1911) 95
O. Mitigatur in Dalmatia lex ieiunii et abstinentiae (10 iun. 1911) 95
P. Associationi catholicae internationali a patrociniis puellarum indulgentia plenaria conceditur (19 iun. 1911) . . . 95
Q. Erigitur novum sanctuarium in territorio Neptunensi (28 iun. 1911) 95
R. Ecclesia Deiparae oppidi Gandino in dioecesi Bergomensi fit basilica minor (28 iun. 1911) 96
S. Circumscriptio archisodalicii Pragensis a S. Maria Reparatrice et nova archisodalicii erectio in Austria (30 iun. 1911) 96
543. A. Laudatur coetus ad « pacem tuendam » (11 iun. 1911). . . 118
B. Confraternitas S. Missae reparatricis erigitur in archiconfraternitatem (30 iun. 1911) 118
C. Ecclesia B. Virginis Christianorum adiutricis Augustae Taurinorum in basilicam minorem erigitur (13 iul. 1911). . 118
D. Commendantur opera ad tuendos operarios ex Italia in exteras nationes migrantes (8 sept. 1911). 118
E. De G. von Ketteler Moguntinorum Episcopo (12 iul. 1911). 118
F. Concilium nationale Armenorum convocari praecipitur (30 iul. 1911) 118
G. Ecclesiastica Hierarchia in Anglia denuo ordinatur (Constitutione « *Si qua est* » 28 oct. 1911) 119
H. Allocutio habita in Consistorio (27 nov. 1911) 119
564. A. Societas N. D. a S. Corde Iesu, Bogotaensis erigitur in primariam (8 nov. 1911). 191
B. Dividitur apost. praefectura Littoris Eburnei, et erigitur novus Vicariatus (17 nov. 1911) 191
C. Allocutio ad novos cardinales (29 nov. 1911) 191
D. Reformatur Curia dioecesana Romana (1 ian. 1912) . . . 191
E. Urgetur cleri disciplina in Republica Venezuelana (8 dec. 1911) 192
F. Templum S. Ioseph Bonaërense basilica minor renuntiatiatur (15 ian. 1912). 193
G. Sodalitas SS. Rosarii Moianensis erigitur in archiconfraternitatem (29 ian. 1912) 193
H. Erigitur in archiconfraternitatem consociatio Horae sanctae perpetuae, instituta in archidioecesi Tolosana . . 193
584. A. De administratione Diaconiae S. Mariae in Dominica (30 nov. 1911) 229
B. Erigitur in archisodalicium confraternitas S. Christophori (8 febr. 1912). 229
C. Erigitur in Archisodalitatem Confraternitas « Notre-Dame de suprême pardon » (28 febr. 1912) 229
D. Erectio ecclesiae Ricomagensis S. Amabilis in basilicam minorem (7 mart. 1912). 229
E. Erectio ecclesiae S. Ferreoli et Ferruti prope Vesuntionem in basilicam minorem (8 mart. 1912). 229
F. Erectio ecclesiae B. M. V. Immaculatae oppidi Faverney in Basilicam minorem (8 mart. 1912) 229

G. Erectio cathedralis Pictaviensis in basilicam minorem (1 mart. 1912) 230
H. Erectio Soc. SS. Cordis Iesu Bruxellensis in archisodalicium (22 mart. 1912) 230
I. Erectio Confraternitatis Quebecensis N. D. a SS. Corde Iesu in archifraternitatem (25 mart. 1912). 230
K. Indulgentiae piae unionis pro communione puerorum (26 mart. 1912) 230
L. Indulgentiae Congregationum mulierum a S. Elisabeth in dioecesi Varmiensi (2 apr. 1912) 230
M. Dispensatio societatum SS. Sacramenti a lege distantiae (26 apr. 1912) 230
N. Aggregandi facultas concessa archisodalicio S. Philomenae (21 maii 1912) 230
O. Reprobatio consiliorum schismaticorum contra patriarcham Armenorum (4 iun. 1912) 231

S. Congregationis Concilii

501. A. De Bulla Cruciatae quod ad pauperes, 4 iul. 1910 (summatim). 33
B. Dispensatio a lege promiscuos cibos vetante pro Chilena re publica, 2 dec. 1910 (summatim) 33
Annotatio. 34
C. Sententia in causa Regien. Iurium, 17 dec. 1910 (summatim) 34
509. Responsa 29 april. 1911, De facultate episcopi imperandi eleemosynarum collectiones. 41
Annotatio 42
518. Rescriptum 10 nov. 1910, De confraternitatibus 70
Annotatio 70
526. E. Responsa 8 aug. 1911, De diebus festis (Romana et aliarum) 84
Annotationes 84
528. A. Sententia 29 apr. 1911 in causa Lausanen. interpretationis voluntatis (summatim) 96
B. Solvuntur 29 apr. 1911 dubia circa abstinentiae et ieiunii legem (summatim). 96
C. Solvitur 29 apr. 1911 controversia de cura animarum et sacramentorum administratione, in causa Nullius sive Montis Cassini (summatim) 96
535. Litterae ad episcopos Amer. Septemtr., aug. 1911, De temporalibus Ecclesiae rebus gerendis 101
Annotationes 102
537. Responsum ex aud. SS^mi, 18 sept. 1911, De vigiliis festorum suppressorum Motu Proprio 2 iul. 1911 104
Annotatio 105
557. Responsum De ieiunio et abstinentia in pervigilio Nativitatis Domini (15 dec. 1912) 184
Annotatio 185
577. Responsum circa dies festos (3 maii 1912) 218
Annotationes 219
585. A quonam emolumenta, sede vacante, percipiuntur, 16 dec. 1911 (summatim) 231
B. De concursibus paroecialibus, 27 ian. 1912 (summatim). . 231
C. De suffragio pro se ipse non ferendo, 16 mart. 1912 (summatim) 231

S. Congregationis Consistorialis

490. Decretum 11 febr. 1911, De authentica Concilii Tridentini et legum ecclesiasticarum interpretatione 11
Annotationes 12
491. Responsa 28 febr. et 13 martii 1911. De decreto « Maxima cura ». 12
A. Responsum 28 febr. 12
B. » 13 mart. 13
Annotatio 13
492. Responsum 1 mart. 1911, De motu proprio « Sacrorum antistum ». 13
Annotatio 14
497. Responsio 24 mart. 1911, de studiis ante ordinationem peragendis, de abiuratione modernismi 25
Annotatio 25
502. A. Fines dioecesium mutantur, 12 dec. 1910 (summatim). . . 34
B. Generalis extensio decreti de secreto servando in designandis episcopis, 28 april. 1911 (summatim) 34
536. Litterae ad Ordinarios Italiae (1 sept. 1911), De opere Ill. D. Duchesne. 103
545. A. Erigitur Praelatura Nullius SS. Conceptionis de Araguya, 8 iun. 1911 (summatim). 119
B. Erigitur dioecesis Desmoiniensis, 12 aug. 1911 (summatim) 120
C. Immutantur fines dioecesium Ratisbonensis et Bambergensis, 30 aug. 1911 (summatim). 120
558. De imperata Ordinariis relatione de Modernismo (15 ian. 1912) 185
Annotatio 185
570. De irregularitate et sacerdote apostata.
A. Declaratio de Congregatione cui competat ab irregularitate dispensare (28 nov. 1911) 197
B. Monitum de sacerdote apostata 197
573. Praecepta iansenismi abiuratio Belgio et Hollandiae aufertur (23 febr. 1912) 201
Annotatio 202
586. A. Responsum de iure convocandi capitulum, 9 febr. 1912 (summatim) 231
B. Ecclesia S. Ioannis Baptistae, in oppido Limerick, in cathedralem erigitur, 7 iun. 1912 (summatim) 251
C. Immutantur fines dioecesium Pisanae et S. Miniati, 10 mart. 1912 (summatim) 231
D. Erectio novae dioecesis in America, 8 mart. 1912 (summatim) 231
E. Erigitur nova dioecesis « Corporis Christi » in America, 23 mart. 1912 (summatim) 232
F. Fines dioecesis Wayne-Cuskensis accuratius definiuntur, 10 maii 1912 (summatim). 232
G. Addicitur titulus Lapurdensis episcopo Tarbiensi, 10 maii 1912 (summatim). 232
H. Residentia episcopi Aturensis in Gallia definitur, 31 maii 1912, 31 maii 1912 (summatim). 232
I. Erectio collegialis ad honorem, 31 maii 1912 (summatim) . 232
609. Decretum **Cum semper** 19 iun. 1912, de quibusdam rei biblicae commentariis in sacra seminaria non admittendis. 272
Annotationes 272

611. Responsum 12 aug. 1912, de vi decreti *Maxima Cura* in Australia 279
617. Litterae circulares 24 iul. 1912, de studiis et disciplina in Italiae seminariis (summatim) 291
Annotatio 292

S. Congregationis Episc. et Regul.

513. Decretum 10 dec. 1858. De iurisdictione Ordinariorum stispaniae in Regulares 56

S. Congregationis Indicis

508. Proscripta opera decreto 8-9 maii 1911 et laudabilis oboedientia de decreto 3 ian. 1911 (summatim) 35
529. Proscripta opera decretis 6 iun. 1911 (summatim) 97
561. Proscripta opera decreto 31 ian. et 15 febr. 1912 et laudabilis oboedientia decreto 8 maii, 5 iun. 1911 et 22 ian. 1912 (summatim) 193
578. Responsum de praevia librorum censura et approbatione (9 maii 1912). 220
587. Proscripta opera decreto 6 maii 1912 (summatim) 232

S. Congregationis S. Officii

498. Decretum 31 mart. 1911, De matrimonio eorum qui in ecclesia cath. baptizati extra eam adoleverunt. 27
Annotatio. 27
583. Resp. 11 ian. aut. febr. 1912, De privilegio fori ex Motu Proprio *Quantavis diligentia* 228
588. Evulgatur abiuratio schismatici cuiusdam, 30 mart. 1912 (summatim). 232
601. Decreta 16 april. 1890 et 12-13 iun. 1912, data 21 iun. 1912, De necessitate cautionum in dispensanda cultus disparitate.
A. Decretum 16 april. 1890, de cautionibus semper exigendis. 257
B. Decretum 12-13 iun. 1912, de nullitate dispensationis factae sine his cautionibus. 258
Annotationes 258
602. Decretum 21-23 maii, datum 21 iun. 1912, De passiva parochi assistentia in quibusdam matrimoniis mixtis 260
Annotationes 261
618. Decretum 7 septemb. 1912, quo liber prohibetur et proscribitur inscriptio *un portrait merveilleux* 292
Annotatio 292

(Sectio de indulgentiis)

486. Indultum **Sanctissimus** in aud. SS[1], 26 ian. 1911, quo utili tempore templum ad lucrandas indulgentias visitari possit. 8
Annotationes 8
514. Decretum 26 maii 1911, De indulgentia Portiunculae 57
Annotationes 58
544. A. Concessio Indulgentiarum pro Missa reparatrice, 7 sept. 1911 (summatim) 119
B. Sanatio receptionum in confraternitatem Septem Dolorum B. M. V., 12 sept. 1911 (summatim) 119
608. Decretum **Pium Viae Crucis** 24 iul. 1912, De coronis « viae crucis » et modo indulgentias lucrandi 269
Annotationes 270

S. Paenitentiariae Romanae

481. Formula indulti 23 iun. 1908 et rescriptum 8 febr. 1911. De bonis ecclesiasticis usurpatis in Gallia.
A. Indultum 23 iun. 1908 1
B. Rescriptum 8 febr. 1911 1
Annotatio. 2
582. Responsa de absolutione militum et condicione clerici militantis tempore belli (18 mart. 1912) 227
593. Rescriptum, ex speciali Pontificis mandato, 2 dec. 1911, de dispensanda affinitate in linea recta ex copula licita . . . 237
Annotationes 238

S. Congregationis Propagandae Fidei

487. Litterae 26 ian. 1911, De crematione necessaria et sepultura . 9
Annotatio 9
504. A. Erectio novae praefecturae apostolicae Transvallensis septemtrionalis, 22 dec. 1910 (summatim). 35
B. Translatio missionis de Linzolo ad Vicariatum de Ubanghi in Africa, 14 febr. 1911 (summatim). 35
C. Proferuntur limites praefecturae apostolicae Ubanghi-Chari, 14 feb. 1911 (summatim) 35
D. Praefectura Apostolica de Ubanghi belgico erigitur, 7 april. 1911 (summatim). 35
E. Innovatur limes Vicariatus Apostolici Congi superioris, 4 aprilis 1911 (summatim) 36
530. A. Praefectura apostolica de Sumatra erigitur, decreto 30 iun. 1911 (summatim) 97
B. Nova praefectura apostolica de Katanga Septemtrionali in Congo belgico erigitur decreto 30 iun. 1911 (summatim) . 97
C. Nova praefectura apostolica de Matadi in Congo belgico erigitur decreto 1 iul. 1911 (summatim) 97
546. Erigitur Praefectura apostolica de Nigeria orientali, 24 aug. 1911 (summatim). 120
563. Dividitur praefectura apostolica Uellensis, 31 ian. 1912 (summatim) 194
589. A. Immutantur fines archid. Calcutten. et Vicariatus Thibetani, 15 apr. 1912 (summatim) 232
B. Immutantur fines vicariatus Sutchuen. merid. et Kientchang, 31 maii 1912 (summatim) 233
(Pro negotiis ritus Orientalis)
596. Litterae circulares 1 ian. et 15 iun. 1912, de Orientalibus.
A. Litterae 1 ian. 1912, ad locorum Ordinarios ritus latini, de prohibendis Orientalibus quominus eleemosynas emendicent sine venia S. Congregationis 241
Annotationes 243
B. Litterae 15 iun. 1912 ad Superiores generales institutorum religiosorum latini ritus, de Orientalium cooptationibus. . 243
Annotationes 244

S. Congregationis de Religiosis

482. Indultum 1 sept. 1910: Aggregatio Instituti Fratrum ad Tertium Ordinem S. Francisci. 3
Annotatio 3

483. Normae, ab Em° Praefecto traditae 5 sept. 1910, De fovenda concordia inter Familias Franciscanas 4
484. Indultum ex aud. SS^mi 17 ian. 1911, Cooptatio aegroti in Congregationem religiosam 6
Annotatio 6
488. Responsum communicatum 1 feb. 1911, De sollemni laicorum professione. 10
Annotationes 10
506. Definitiva Instituti approbatio, temporanea constitutionum 27 nov. 1910 (summatim) 36
511. Decretum 16 maii 1911, De legitima religiosorum expulsione seu dimissione 44
Annotationes 47
513. Decretum 24 maii 1911, De iurisdictione Ordinariorum Hispaniae in religiosos e claustris eiectos in exempta monialium monasteria. (In nota exscribitur epistola Pii IX, 10 dec. 1858, quae decreto isto confirmatur). 55
516. Responsa 15 iun. 1911, De libris religiosorum. 66
Annotationes 67
521. Rescriptum ex audientia Sanctissimi, 20 dec. 1910, Quintus socius Magistri Generalis Ordinis Praedicatorum privilegiis priorum quattuor donatur 74
522. Decretum ex aud. SS^i 28 apr. 1911, Varias Fratrum Minorum provincias in Galicia et Italia dividens, institutis etiam Superioribus 74
Annotatio 76
523. Decretum 30 iun. 1911, Privilegia Ordinis Franciscani communicantur cum Ursulinis. 77
Annotatio 77
540. Decretum et epistola 23 oct. 1911, De quibusdam reformationibus Ordinis Fratrum Minorum
A. Decretum quo moderatores generales ordinis Fratrum Minorum constituuntur Motu Proprio « Quo Magis ». . . . 113
B. Epistola ad R. P. D. Bernardum Iosephum Doebbing O. M. episcopum Sutrinum et Nepesinum, de Motu Proprio « Quo magis », de decreto adiuncto, deque electione R. P. Ludovici Schuler in archiepiscopum familiae minoriticae communicandis 114
547. A. Sanantur cooptationes Tertii Ordinis saecularis S. Francisci, 2 aug. 1911 (summatim) 120
B. Approbatio Instituti Sororum Tertiariorum a Iesu infante, 2 iun. 1911, et novarum constitutionum Filiarum a Cruce, 30 oct. 1911 (summatim) 120
571. Responsa de laurea et privilegiis doctoralibus apud clericos regulares a Matre Dei (19 ian. 1912) 198
Annotationes 198
572. Responsa continentia declarationes decreti « inter reliquas » circa servitium quod ad religiosos sodales (1 feb. 1912). . . 199
Annotationes. 200
595. Rescripta 2 iun. 1909 et 17 maii 1912, de tertia Sororum classe in locis missionum.
A. Rescriptum 2 iun. 1909. 239
B. et C. Rescriptam 17 maii 1912 240
Annotationes 241

614. Decretum **Quo propositum**, 15 aug. 1912, de postulatu in monasteriis votorum sollemnium. 284
616. Decretum **Spirituali consolationi,** 10 sept. 1912, de professione religiosa in mortis periculo 288
Annotationes 290

S. Rituum Congregationis

485. Decretum 25 ian. 1911, de editionibus liturgicis cum signis rhythmicis. 6
493. Rescriptum 24 febr. 1911, de editione officiorum propriorum cum cantu liturgico 14
494. Responsa 24 febr. 1911, de quibusdam concurrentiis et occurrentiis. (Ordinis Fratrum Minorum provinciae terrae laboris) 15
Annotationes 16
495. Responsa 23 mart. 1911, de variis dubiis officii divini. . . . 18
Annotationes 20
499. Decretum 3 maii 1911, de repositione et translatione festorum in ecclesiis particularibus 28
Annotationes 28
505. Beatificationes et canonizationes Causae Catharinae Volpicelli decreto 11 ian. 1911 ; et J. M. de la Mennais, decreto 22 mart. 1911 (summatim) 36
510. Responsa 11 maii 1911, De sonitu organi et apostolica benedictione. 42
Annotationes 42
512. Decretum 17 maii 1911, Super editionibus librorum sacram liturgiam spectantium 54
Annotatio 55
519. Decretum 24 maii 1911, De ascriptione canonicorum inter praelatos domesticos (interpretatio decreti Motu Proprio « Inter multiplices ») 70
515. Responsa 27 et 31 maii 1911, De expositione et benedictione Sanctissimi, de variis dubiis, de dominicali absolutione pro defunctis.
A. Responsa 27 maii 1911, De expositione et benedictione Sanctissimi (Westmonasterien) 60
B. Responsa 27 maii 1911, De variis dubiis (Baionen.). . . . 61
C. Responsa 31 maii 1911, De absolutione defunctorum post missam, die festivo. 63
Annotationes 63
520. Responsa 8 iun. 1911, De variis dubiis (Baionen.) 71
Annotationes 72
525. Responsum 18 iul. 1911, De S. Pyxidis illuminatione 79
526. Decreta 24-28 iul. et 7 aug. de diebus festis.
B. Decretum 23 iul. 1911 (Urbis et Orbis), De diebus festis . 81
C. Decretum 28 iul. 1911, De diebus festis. 82
D. Responsum 7 aug. 1911, De diebus festis 84
Annotationes 84
Notandum 92
531. A. Beatificationes et canonizationes. Causae B. Ioannis Eudes, V. S. D. Iacobo Capoccio a Viterbio, V. S. D. Dominici a Matre Dei, decretis 14 iun. 1911 ; — Causae V. S. D. Mariae ab Incarnatione et V. S. D. Ludovicae de Marillac viduae Le Gras, decretis 19 iul. 1911. (summatim) 98

B. Variae gratiae. Ordini Praedicatorum rescriptis 16 dec. 1910 et 11 ian. 1911 festa celebranda conceduntur ; — Fratribus Minoribus Capuccinis, rescripto 16 dec. 1910 conceditur festum celebrandum, rescripto 11 ian. 1911, conceditur usus paramentorum caeruleorum. — Fratribus Minoribus, rescripto 9 april. 1911 conceditur Missa votiva S. Iacobi de Marchia in eccl. Neapolitana (summatim) 98

542. Responsa 17 nov. 1911, De sollemnitatis SS. Corporis D. N. I. C. festo vel octava, quod ad occurrentias 116
Annotationes 116

545. Beatificationes et canonizationes.
A. Signatur commissio introductionis causa Iacobi Sales S. I. et Guilelmi Saltamouche S. I., 12 iul. 1911, (summatim) . . 120
B. Causae inchoatae, 11 aug. 1911, (summatim) 120

553. Decreta 30 dec. 1911 ; 15 et 23 ian. 1912, De novis Breviarii et missalis legibus.
A. **Romana et aliorum**. Responsa circa doxologiam, V. Primae et praefationem propriam in occurrentia festorum B. M. V. ad instar simplicis reductorum (30 dec. 1911). . . 137
B. Decretum de festis ritus duplicis maioris octava condecoratis (30 dec. 1911) 137
C. Decretum de novi psalterii edendi facultate ab episcopis non concedenda (15 ian. 1912) 137
D. **Urbis et Orbis**. Decretum, de mutationibus faciendis in Breviario et Missali (23 ian. 1912) 138
Annotationes remissive 161

554. Acta 26 ian. 9 et 24 febr. 1912, De novi Breviarii et missalis legibus.
A. Decretum, de simplicibus antiphonas proprias habentibus (26 ian. 1912) 161
B. Decretum de quibusdam festis, diebus dominicis hucusque affixis (9 febr. 1912) 161
C. **Plurium dioecesium**. Responsa de variis dubiis (9 feb. 1912). 162
D. Decretum interpretationis rubricarum ad normam bullae « Divino afflatu » (24 febr. 1912) 163
Annotationes 164
A. De iis quae reformata sunt in divino officio. 164
B. De iis quae reformata sunt in missa. 173
C. De iis quae reformata sunt in dispositione breviarii. . . 176
D. De dispositionibus temporalibus. 178
E. Practica informatio de nova breviarii recitatione, summatim proposita 180

555. Monitum de actis suis quae authentica sint et ephemeridum auctoritate (28 ian. 1912) 183
Annotatio 183

556. Litterae circulares de funeribus occisorum in belle Tripolitano (3 feb. 1912). 184

567. A. Introductio causae ven. Servi Dei Berwenuti Bambozzi, 6 sept. 1911 (summatim) 194
B. Introductio causae ven. Servae Dei M. Teresiae Haze, 15 feb. 1912, (summatim). 194

574. Indultum de transferendo Ord^is. Praedic. privilegio processionis SS^mi (28 febr. 1912). 202
Annotatio 203

575. Responsa de novis rubricis (2, 9 et 22 mart. et 19 apr. 1912). . 203
Annotationes 209
576. Responsa de missa pro populo et usu organi (22 mart. 1912) . 217
579. Instructio de privilegiis in triduo vel octiduo Beatificatorum vel Canonizatorum, 22 maii 1912 (summatim) 221
Annotationes 222
580. Responsa de novis rubricis (26 maii 1912) 224
Annotationes 225
590. Introductio vel reassumptio causarum beatificationis ven. Angelae Mariae a Conceptione, B. Gregorii Card. Barbadici et ven. Emanuelis Ribera, 28 febr. et 8 maii 1912 (summatim) 233
597. Decretum 24 april. 1912, de novo volumine decretorum S. R. C. 246
Annotationes 246
599. Decretum 12 et responsa 21 iun. 1912 de novis rubricis . . .
A. Decretum **Ad praecavendas,** 12 iun. 1912, de oratione et missa pro defunctis. 251
B. **Seynen.** et **Aliarum**. Responsa 21 iun. 1912 252
Annotationes in decretum et responsa 253
600. Declaratio 11 april. 1911, De editionibus liturgicis cum signis rythmicis 257
Annotatio 257
604. Responsa 17 iun. ac 2 aug. 1912 et instructio 25 iul. 1912 de reductione festorum particularium.
A. Responsa 17 iun. et 2 aug. 1912. 265
B. Instructio 25 iul. 1912 265
Annotatio 266
605. Decretum 8 iul. 1912, de modulandis monosyllabis vel hebraïcis vocibus 266
Annotatio 267
607. Responsa 24 iul. 1912, De concusione Matutini et inchoatione laudum pro recitatione privata in triduo mortis Christi et in officiis defunctorum 268
Annotatio 269
612. Decretum 14 aug. 1912, De introductione causae beatificationis seu declarationis martyrii XXVI V. D. S. de Uganda. . . 280
Annotatio 282

S. Congregationis de disciplina Sacramentorum

496 Instructio et responsum 6 martii 1911, de statu libero
A. Instructio 22
B. Venetiarum. Responsum. 23
Annotationes 23
581. Decretum de impedimento criminis ex adulterio (3 iun. 1912). 226
Annotationes 226

Ex Secretaria Status

489. Litterae 10 feb. 1911, ad Em. Kopp, de abiuratione Modernismi 10
568. Declaratur indultum de abstinentia et ieiunio pro America latura, 1 ian. 1910, 20 dec. 1911 (summatim). 194
603. Litterae 2 iul. 1912, De vocatione sacerdotali. 262
Annotationes 263

Commissionis de re biblica

517. Responsa 19 iun. 1911, De evangelio S. Matthaei 68
532. Ratio periclitandae doctrinae (summatim). 99

Sacra Rota Romana

507. 1. Nullitas matrimonii ob honest. publ. 23 dec. 1910, (summatim) 36
2. Depositi iudiciarii 20-25 ian. 1911 (summatim). 37
3. Iurium parochialium inter capitulum et Praepositum, 16 feb. 1911 (summatim) 37
4. Iurium parochialium, 24 feb. 1911 (summatim) 37
5. Dismembrationis paroeciae, 4 martii 1911 (summatim) . . 37
6. Nullitas matrimonii ob vim et metum, 13 mart. 1911 (summatim) 37
7. Citatio edictalis ad comparendum 1ª iulii 1911 (summatim). 37

533. 1. Nullitas matrim. ob vim et metum, 20 ian. 1911 (summatim) 99
2. De competente parocho pro matrimonio, 20 mart. 1911 (summatim). 99
3. Nullitas matrimonii ob incompetentiam parochi, 24 mart. 1911 (summatim). 99
4. De impedimento disparitatis cultus, 13 iun. 1911 (summatim) 99
5. Citatio edictalis (summatim) 99

549. A. Iurium sodalicii, 23 mart. 1911, (summatim). 121
B. Nullitas matrimonii ex capite clandestinitatis, 15 maii 1911 (summatim) 121
C. Sententia nulla ob violatam exemptionem. Praescriptio debiti, 1 iun. 1911, (summatim) 121
D. Nullitas adoptionis, 10 iun. 1911, (summatim) 121
E. Iuris processionem instituendi, 14 iun. 1911, (summatim) . 121
F. Nullitas matrimonii ex defectu consensus, 23 iun. 1911, (summatim). 121
G. Nullitatis matrimonii propier consensum simulatum viri, 1 iul. 1911, (summatim) 121
H. Quonam aditu parochia definiatur, 21 iul. 1911, (summatim) 121
I. Pensionis ex-professorum, 25 iul. 1911, (summatim) . . . 121
K. Ius funerum Vicarii Curati, 28 iul. 1911, (summatim). . . 122
L. Salarii solvendi cooperatoribus parochi, 23 aug. 1911, (summatim). 122
M. Citatio edictalis (summatim). 122

569. A. Nullitas matrimonii ob vim et metum, 7 iul. 1911, (summatim) 194
B. Sententiae de rebus sub secreto actis, 10 ian. 1912, (summatim) 195
C. De cura animarum quod ad parochum et capitula, 2 sept. 1911, (summatim). 195
D. Optio data pro praebenda, 12 aug. 1911, (summatim). . . 195
E. Nullitas matrimonii ob vim et metum, 2 iun. 1911, (summatim) 195
F. Pensio praestanda, 25 nov. 1911, (summatim) 195
G. Nullitas matrimonii ob condicionem substantiae contrariam, 9 dec. 1911, (summatim). 195
H. Reicitur petita nova causae instructio, (summatim) . . . 195

591. A. Nullitas matrimonii propter vim et metum, 11 ian. 1912, (summatim). 233
B. Incardinatio sacerdotis in dioecesi, 9 ian. 1912, (summatim) 233
C. Nullitas matrimonii propter clandestinitatem, 27 ian. 1912, (summatim) 233

D. Nullitas matrimonii propter clandestinitatem, 29 dec. 1911, (summatim) 233
E. Collocatio patrimonii ecclesiastici. Fructus possessionis bonae fidei acquisiti, 24 ian. 1912, (summatim) 233
F. Nullitas matrimonii propter defectum intentionis, 23 feb. 1912, (summatim) 234
G. In casu diffamationis, Ordo pro subdito spondere debet, 16 mart. 1912, (summatim) 234

Signatura apostolica

508. 1. Causae matrimoniales 18 ian. 1911 (summatim) 37
2. Restitutionis in integrum et iurium 23 dec. 1910 (summatim) 38
3. Recursus non admissus 27 ian. 1911 (summatim). 38
534. 1. De iuribus parochi ex usu, 27 iun. 1911 (summatim) . . . 100
2. De appellatione a sententia interlocutoria, 27 iun. 1911 (summatim). 100
550. Admisso recursu, minuitur pensionis onus, 16 iul. 1911, (summatim) 122
592. A. De promulgandis regulis iudiciorum, 6 mart. 1912, (summatim) 234
B. Probatur amica litis compositio, 20 feb. 1912, (summatim). 234
C. Restitutio in integrum negatur, 15 apr. 1912, (summatim) . 234

Notanda

1. S. Pontifex Priorem Generalem et Consiliarios generales designat Ordinis hospitalarii S. Ioannis de Deo 38
2. Verba quae in A. A. S. omissa sunt 38

Bibliographia

Bibliographia 38, 100, 123, 196, 234

MONUMENTORUM

INDEX CHRONOLOGICUS

I. Monumenta plene exscripta

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numen
1858	10 dec.	Litterae	S. C. Episc. et Regul.	56	513
1885	1 iun.	Responsa	S. C. de Prop. Fide	245	596
1886	23 ian.	Declaratio	S. C. S. Officii	106	538
1890	16 april.	Decretum	" "	257	601A
1908	23 iun.	Indultum	S. Paenitentiaria	1	481A
1909	2 iun.	Rescriptum	S. C. de Religiosis	239	595
1910	1 sept.	Indultum	" "	3	482
»	5 »	Decretum	" "	4	483
»	10 nov.	Rescriptum	S. C. Concilii	70	518
»	20 dec.	Rescriptum	S. C. de Religiosis	74	521
1911	17 ian.	Indultum	" "	6	484
»	25 »	Decretum	S. C. Rituum	6	485
»	26 »	Indultum	S. C. S. Officii (Sect. de Indulg.)	8	486
»	26 »	Litterae	S. C. de Prop. Fide	9	487
»	1 feb.	Responsum	S. C. de Religiosis	10	488
»	8 »	Rescriptum	S. Paenitentiaria	1	481B
»	10 »	Litterae	Secretaria Status	10	489
»	11 »	Decretum	S. C. Consistorialis	11	490
»	24 »	Responsa	S. C. Rituum	14	493
»	24 »	Rescriptum	" "	15	494
»	28 »	Responsum	S. C. Consistorialis	12	491A
»	1 mart.	Responsum	" "	13	492
»	6 »	Responsum	S. C de Sacramentis	22	496A
»	6 »	Decretum	" "	23	496B
»	13 »	Responsum	S. C. Consistorialis	13	491B
»	23 »	Responsa	S. C. Rituum	18	495
»	24 »	Responsum	S. C. Consistorialis	25	497
»	31 »	Decretum	S. C. S. Officii	27	498
»	11 April	Declaratio	S. C. Rituum	257	600
»	28 »	Decretum	S. C. de Religiosis	74	522
»	29 »	Responsa	S. C. Concilii	41	509
»	3 maii	Decretum	S. C. Rituum	28	499
»	11 »	Responsa	" "	42	510
»	16 »	Decretum	S. C. de Religiosis	44	511
»	17 »	Decretum	S. C. Rituum	54	512
»	24 »	Decretum	S. C. de Religiosis	55	513
»	24 »	Decretum	S. C. Rituum	70	519
»	26 »	Decretum	S. C S. Officii (Sect. de Indulg.)	57	514
»	27 »	Responsa	S. C. Rituum	60	515A
»	27 »	Responsa	" "	61	515B
»	31 »	Responsa	" "	63	515C

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1911	8 iun.	Responsa	S. C. Rituum	71	**520**
»	15 »	Responsa	S. C. de Religiosis	66	**516**
»	19 »	Responsa	Comm. Biblica	68	**517**
»	30 »	Decretum	S. C. de Religiosis	77	**523**
»	2 iul.	Motu Proprio	SS. D. N. Pius Pp. X	80	**526**
»	11 »	Rescriptum	» »	78	**524**
»	18 »	Responsa	S. C. Rituum	79	**525**
»	23 »	Decretum	» »	81	**526B**
»	28 »	Decretum	» »	82	**526C**
»	7 aug.	Responsum	» »	84	**526D**
»	8 »	Responsum	S. C. Concilii	84	**526E**
»	»	Litterae	» »	101	**535**
»	1 sept.	Litterae	S. C. Consistorialis	103	**536**
»	18 »	Litterae	S. C. Concilii	104	**537**
»	9 oct.	Motu Proprio	SS. D. N. Pius Pp. X	105	**538**
»	23 »	Motu Proprio	» »	110	**539**
»	23 »	Decretum	S. C. de Religiosis	113	**540A**
»	23 »	Epistola	» »	114	**540B**
»	1 nov.	Constitutio	SS. D. N. Pius Pp. X	125	**551**
»	17 »	Responsa	S. C. Rituum	116	**542**
»	28 »	Declaratio	S. C. Consistorialis	197	**570A**
»	2 dec.	Rescriptum	S. Paenitentiaria	237	**593**
»	15 »	Responsum	S. C. Concilii	184	**557**
»	30 »	Decretum	S. C. Rituum	137	**553A**
»	30 »	Decretum	» »	137	**553B**
»		Monitum	S. C. Consistorialis	197	**570B**
1912	1 ian.	Litterae	S. C. de Prop. Fide	241	**596A**
»	4 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	186	**559**
»	11 »	Responsum	S. C. S. Officii	228	**583**
»	15 »	Decretum	S. C. Rituum	137	**553C**
»	19 »	Responsa	S. C. de Religiosis	198	**571**
»	23 »	Decretum	S. C. Rituum	138	**553D**
»	25 »	Decretum	S. C. Consistorialis	185	**558**
»	26 »	Decretum	S. C. Rituum	161	**554A**
»	28 »	Monitum	» »	183	**555**
»	1 feb.	Responsa	S. C. de Religiosis	199	**572**
»	3 »	Litterae	S. C. Rituum	184	**556**
»	9 »	Decretum	» »	161	**554B**
»	9 »	Responsa	» »	162	**554C**
»	11 »	Responsum	S. C. S. Officii	228	**583**
»	23 »	Decretum	S. C. Consistorialis	201	**573**
»	24 »	Decretum	S. C. Rituum	163	**554D**
»	28 »	Decretum	» »	202	**574**
»	2 mart.	Responsum	» »	203	**575**
»	7 »	Dispensatio	SS. D. N. Pius Pp. X	238	**594**
»	9 »	Responsum	S. C. Rituum	203	**575**
»	18 »	Responsa	S. Paenitentiaria	227	**582**
»	22 »	Responsum	S. C. Rituum	203	**575**
»	22 »	Responsum	» »	217	**576**
»	19 apr.	Responsum	» »	203	**575**
»	24 »	Decretum	» »	246	**597**
»	3 maii	Responsum	S. C. Concilii	218	**577**
»	9 »	Responsum	S. C. Indicis	220	**578**

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1912	17 maii	Rescriptum	S. C. de Religiosis	240	595B
»	17 »	Rescriptum	" "	240	595C
»	21-23 »	Decretum	S. C. S. Officii	260	602
»	22 »	Instructio	S. C. Rituum	221	579
»	26 »	Responsa	" "	224	580
»	3 iun.	Decretum	S. C. de Sacramentis	226	581
»	7 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	246	598
»	12 »	Decretum	S. C. Rituum	251	599A
»	12-13 »	Decretum	S. C. S. Officii	258	601B
»	15 »	Litterae	S. C. de Prop. Fide	243	596B
»	17 »	Responsa	S. C. Rituum	265	604A
»	21 »	Responsa	" "	252	599B
»	2 iul.	Litterae	Secretaria Status	262	603
»	8 »	Decretum	S. C. Rituum	266	605
»	10 »	Epistola	SS. D. N. Pius Pp. X	267	606
»	24 »	Responsa	S. C. Rituum	268	607
»	24 »	Decretum	S. Officii (Sect. de Indulg.)	269	608
»	25 »	Instructio	S. C. Rituum	265	604B
»	29 »	Decretum	S. C. Consistorialis	272	609
»	9 aug.	Breve	SS. D. N. Pius Pp. X	273	610
»	12 »	Responsum	S. C. Consistorialis	279	611
»	14 »	Decretum	S. C. Rituum	280	612
»	15 »	Motu Proprio	SS. D. N. Pius Pp. X	282	613
»	15 »	Decretum	S. C. de Religiosis	284	614
»	8 sept.	Epistola	SS. D. N. Pius Pp. X	285	615
»	10 »	Decretum	S. C. de Religiosis	288	616

II. Monumenta summatim relata

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1910	1 ian.	Responsa	Secretaria Status	174	568
»	11 mart.	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	30	500A
»	4 iul.	Decretum	S. C. Concilii	33	501A
»	23 oct.	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	93	527A
»	27 nov.	Decretum	S. C. de Religiosis	36	506
»	2 dec.	Responsum	S. C. Concilii	33	501B
»	16 »	Indultum	S. C. Rituum	98	531B
»	17 »	Sententia	S. C. Concilii	34	501C
»	18 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	95	527N
»	20 »	Litterae	" "	30	500B
»	22 »	Decretum	S. C. Consistorialis	34	502A
»	22 »	Decretum	S. C. de Prop. Fide	35	504A
»	23 »	Decisio	Tr. Rotae	36	507[1]
»	23 »	Sententia	Signatura Apostolica	38	508[2]
»	26 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	30	500C
1911	3 ian.	Decretum	S. C. Indicis	35	508
»	11 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	30	500D
»	11 »	Decretum	S. C. Rituum	36	505
»	11 »	Indultum	" "	98	531B
»	18 »	Sententia	Signatura Apostolica	37	508[1]
»	20 »	Decisio	Tr. Rotae	99	533[1]
»	20-25 »	Decisio	" "	37	507[2]
»	27 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	30	500E

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1911	27 ian.	Sententia	Signatura Apostolica	38	508[3]
»	2 feb.	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	31	500F
»	7 »	Litterae	» »	31	500G
»	9 »	Litterae	» »	31	500H
»	11 »	Litterae	» »	31	500I
»	11 »	Litterae	» »	32	500K
»	14 »	Decretum	S. C. de Prop. Fide	35	504B
»	14 »	Decretum	» »	35	504C
»	16 »	Decisio	Tr. Rotae	37	507[3]
»	20 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	32	500L
»	24 »	Litterae	» »	93	527B
»	24 »	Decisio	Tr. Rotae	37	507[4]
»	25 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	32	500M
»	1 mart.	Litterae	» »	32	500N
»	4 »	Decisio	Tr. Rotae	37	507[5]
»	10 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	32	500O
»	13 »	Decisio	Tr. Rotae	37	507[6]
»	14 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	33	500T
»	15 »	Litterae	» »	24	527L
»	20 »	Decisio	Tr. Rotae	99	533[2]
»	22 »	Decretum	S. C. Rituum	36	505
»	22 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	93	527C
»	23 »	Decisio	Tr. Rotae	121	549A
»	24 »	Decisio	» »	99	533[3]
»	27 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	32	500P
»	3 apr.	Litterae	» »	32	500Q
»	4 »	Decretum	S. C. de Prop. Fide	36	504E
»	5 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	33	500R
»	7 »	Decretum	S. C. de Prop. Fide	35	504D
»	8 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	93	527D
»	9 »	Indultum	S. C. Rituum	98	531B
»	11 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	33	500S
»	12 »	Litterae	» »	93	527E
»	28 »	Decretum	S. C. Consistorialis	34	502B
»	29 »	Sententia	S. C. Concilii	96	528A
»	29 »	Responsum	» »	96	528B
»	29 »	Sententia	» »	96	528C
»	2 maii	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	94	527F
»	2 »	Litterae	» »	94	527G
»	8 »	Decretum	S. C. Indicis	193	561
»	8-9 »	Decretum	» »	35	508
»	15 »	Decisio	Tr. Rotae	121	549B
»	15 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	94	527H
»	20 »	Litterae	» »	94	527I
»	20 »	Litterae	» »	94	527K
»	24 »	Litterae	» »	94	527L
»	1 iun.	Decisio	Tr. Rotae	121	549C
»	1 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	95	527M
»	2 »	Decisio	Tr. Rotae	195	569E
»	2 »	Decretum	S. C. de Religiosis	120	547B
»	5 »	Decretum	S. C. Indicis	193	561
»	6 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	95	527N
»	6 »	Decretum	S. C. Indicis	97	529

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1911	8 iun.	Decretum	S. C. Consistorialis	119	545A
»	10 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	95	527O
»	10 »	Decisio	Tr. Rotae	121	549D
»	11 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	118	543A
»	13 »	Decisio	Tr. Rotae	99	5334
»	14 »	Decisio	" "	121	549E
»	14 »	Decretum	S. C. Rituum	98	531A
»	19 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	95	527Q
»	23 »	Decisio	Tr. Rotae	121	549F
»	26 »	Decretum	Comm. Biblica	99	532
»	27 »	Sententia	Signatura Apostolica	100	5341
»	27 »	Sententia	" "	100	5342
»	28 »	Motu Proprio	SS. D. N. Pius Pp. X	95	527Q
»	28 »	Litterae	" "	96	527R
»	30 »	Litterae	" "	96	527S
»	30 »	Litterae	" "	118	543B
»	30 »	Decretum	S. C. de Prop. Fide	97	530A
»	30 »	Decretum	" "	97	530B
»	1 iul.	Decretum	" "	97	530C
»	1 »	Decisio	Tr. Rotae	37	5077
»	1 »	Decisio	" "	121	549G
»	7 »	Decisio	" "	194	569A
»	12 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	118	543E
»	12 »	Decretum	S. C. Rituum	120	545A
»	13 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	118	543C
»	16 »	Sententia	Signatura Apostolica	122	550
»	19 »	Decretum	S. C. Rituum	98	531A
»	21 »	Decisio	Tr. Rotae	121	549H
»	25 »	Decisio	" "	122	549I
»	28 »	Decisio	" "	122	549K
»	30 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	118	543F
»	31 »	Litterae	" "	95	527P
»	2 aug.	Indultum	S. C. de Religiosis	120	547A
»	11 »	Decreta	S. C. Rituum	120	545B
»	12 »	Decisio	Tr. Rotae	195	569D
»	12 »	Decretum	S. C. Consistorialis	120	545B
»	23 »	Declaratio	Tr. Rotae	122	549L
»	24 »	Decretum	S. C. de Prop. Fide	120	546
»	30 »	Decretum	S. C. Consistorialis	120	545C
»	2 sept.	Decisio	Tr. Rotae	195	569C
»	6 »	Decretum	S. C. Rituum	194	567A
»	7 »	Indultum	S. C. S. Officii	119	544A
»	8 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	118	543D
»	12 »	Indultum	S. C. S. Officii	119	544B
»	28 oct.	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	119	543G
»	30 »	Indultum	S. C. de Religiosis	120	547B
»	8 nov.	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	191	564A
»	17 »	Litterae	" "	191	564B
»	17 »	Responsa	S. C. Rituum	116	542
»	25 »	Decisio	Tr. Rotae	195	569F
»	27 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	119	543H
»	29 »	Litterae	" "	191	564C
»	29 »	Decisio	Tr. Rotae	195	569H

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1911	30 nov.	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	229	584A
»	8 dec.	Litterae	" "	192	564E
»	9 »	Decisio	Tr. Rotae	195	569G
»	16 »	Responsum	S. C. Concilii	231	585A
»	20 »	Responsa	Secretaria Status	194	568
»	29 »	Decisio	Tr. Rotae	233	591D
»	30 »	Responsa	S. C. Rituum	137	553A
»	30 »	Decretum	" "	137	553B
»		Citatio	Tr. Rotae	99	5335
»		Citatio	" "	122	549M
»		Decisio	" "	195	569H
1912	1 ian.	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	119	564D
»	9 »	Decisio	Tr. Rotae	233	591B
»	10 »	Decisio	" "	195	569B
»	11 »	Decisio	" "	233	591A
»	15 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	193	564F
»	15 »	Decretum	S. C. Rituum	137	533C
»	22 »	Decretum	S. C. Indicis	193	561
»	23 »	Decretum	S. C. Rituum	138	533D
»	24 »	Decisio	Tr. Rotae	233	591E
»	26 »	Decretum	S. C. Rituum	161	554A
»	27 »	Decisio	Tr. Rotae	233	591C
»	27 »	Responsum	S. C. Concilii	231	585B
»	28 »	Monitum	S. C. Rituum	183	555
»	29 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	193	564G
»	31 »	Decretum	S. C. de Prop. Fide	194	563
»	31 »	Decretum	S. C. Indicis	193	561
»	3 feb.	Litterae	S. C. Rituum	184	556
»	8 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	229	584B
»	9 »	Decretum	S. C. Rituum	161	554B
»	9 »	Responsum	" "	162	554C
»	9 »	Responsum	S. C. Consistorialis	231	586A
»	15 »	Decretum	S. C. Rituum	194	567B
»	15 »	Decretum	S. C. Indicis	193	561
»	17 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	293	564H
»	20 »	Sententia	Signatura Apostolica	234	592B
»	23 »	Decisio	Tr. Rotae	234	591F
»	24 »	Decretum	S. C. Rituum	164	554D
»	28 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	229	584C
»	28 »	Decretum	S. C. Rituum	233	590
»	1 mart.	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	230	584G
»	6 »	Sententia	Signatura Apostolica	234	592A
»	7 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	222	584D
»	8 »	Litterae	" "	229	584E
»	8 »	Litterae	" "	229	584F
»	8 »	Decretum	S. C. Consistorialis	231	586D
»	10 »	Decretum	" "	231	586C
»	16 »	Responsum	S. C. Concilii	231	585C
»	16 »	Decisio	Tr. Rotae	234	591G
»	22 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	230	584H
»	23 »	Decretum	S. C. Consistorialis	232	586E
»	25 »	Decretum	" "	230	584I
»	26 »	Decretum	" "	230	584K

Annus	Dies	Diploma	Auctor	Pagina	Numerus
1912	30 mart.	Decretum	S. C. S. Officii	232	588
»	2 apr.	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	230	584L
»	15 »	Sententia	Signatura Apostolica	234	592C
»	15 »	Decretum	S. C. de Prop. Fide	232	589A
»	26 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	230	584M
»	6 maii	Decretum	S. C. Indicis	232	587
»	8 »	Decretum	S. C. Rituum	233	590
»	10 »	Decretum	S. C. Consistorialis	232	586F
»	10 »	Decretum	" "	232	586G
»	21 »	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	230	584N
»	22	Instructio	S. C. Rituum	221	579
»	31 »	Decretum	S. C. de Prop. Fide	233	589B
»	31 »	Decretum	S. C. Consistorialis	232	586H
»	31 »	Decretum	" "	232	586I
»	»	Responsum	S. C. S. Officii	228	583
»	4 iun.	Litterae	SS. D. N. Pius Pp. X	231	584O
»	7 »	Decretum	S. C. Consistorialis	231	586B
»	17 »	Indultum	S. C. Rituum	265	604A
»	24 iul.	Litterae	S. C. Consistorialis	291	617
»	2 aug.	Indultum	" "	265	604A
»	7 sept.	Decretum	S. C. S. Officii	292	618

INDEX ONOMASTICUS

Numeri indicant seriem paginarum

Acta ordinis Fratrum Minorum, de divisione provinciarum Ordinis in Austria et Italia, 75*. 76.

Action populaire, liber, 123.

Aichner, (Ill. D.), de trahentibus clericos ad tribunalia iudicum laicorum, 109.

Alexander IV, S. Claram laudans, 273. 274. 275.

Alexander VII, de abiuratione iansenismi Galliae, Belgio et Hollandiae imposita, 202.

André de Sainte Marie (O. Carm.). Opus, 40.

Annibale d' (Card.), de trahentibus clericos ad tribunalia iudicum laicorum, 107*.

Appeltern V. **ab** (F. M. C.) de precibus post missam dicendis, 73.

Archivio Hospitalario (El), de sollemni laicorum professione, 10.

Avanzini (R. D.), de bonis quae in manu Ordinarii plene constituta sint, (46).

Batiffol (R. D.). Eius submissio nuntiatur, 35.

Beale Ign. (R. D.). Nominatim excommunicatur, 31.

Benedictus XIII, de altari privilegiato, (36). (37).

Benedictus XIV, de benedictione apostolica in fine missionum, 43; de diebus festis, 85. De misera Indorum condicione, 248.

Beringer (S. I.), de approbatione statutorum Confraternitatis, (72), de indulgentiis viae crucis, 271*.

Bernard. Opus, 196.

Bernardus, S., de vocatione religiosa, 263.

Besson (S. I.), de communione infirmi non ieiuni (8); de statu libero, 23*.

Biblische Studien, 67*.

Bizzari (Ill. D.), de condicione Instituti votorum simplicium, (28).

Bonaventura S. Opus, 276*.

Boudinhon (R. D.), de diebus festis, 85; de privilegio fori, 228*.

Bouvier (S. I.). Opus, 39.

Breme Teresia. Opus, 67*.

Buguet (R. D.), eiusque sacerdotes basilicam S. Mariae in Monte Sancto obtinent, 93a.

Bulletin de la Ligue des catholiques belges pour la paix, 124.

Callewaert (R. D.), de diebus festis, 85. 88; de nova breviarii et missalis lege, 174. 177*. 179. Opus, 196.

Canoniste Contemporain, de diebus festis, 85. 88; de privilegio fori, 228.

Caprara (Card.), de titulis ecclesiasarum, (40). De festis in Gallia, 62-63.

Chaptal (Dr), de methodis asservandi vinum, (62).

Choupin (S. I.). Opus, 39.

Chouilly. Opus damnatur, 193.

S. Clara laudatur, 273-279.

Claraz (R. D.). Opus damnatur, 232.

Clemens IX, de abiuratione iansenismi, 202.

Clemens XI, de catalogo festorum, 85.

Clemens XII, de Orientalium quaestuatione, 242.

Clemens XIII, de altari privilegiato (36); de cultus disparitate, 259.

Collationes Brugenses, de communione infirmi non ieiuni, (8); de oratoriis semipublicis, 66; de diebus festis, 85. 88; de officiis votivis, 179; de cultus disparitate, 260.

Collationes Gandavenses, de abiuratione iansenismi Belgio et Hollandiae praecepta, 201.
Collectanea Propagandae Fidei, de necessitate cautionum in dispensanda cultus disparitate, 259.
Coppin-Stimart (RR. DD.), de concurrentia festorum, 17.
Cyrilli Macarii (R. D.), abiuratio schismatis nuntiatur, 232.
De Becker (R. D.), de decreto *Maxima Cura*, 13.
De Cauzons (R. D.), opus damnatur, 232.
Degrelle (S. I.), de missis festi in dominica, 212. 213; de lectionibus I nocturni, 213.
de la Barre (S. I.). Opus, 39.
Denzinger-Bannwart (R. D.), de abiuratione iansenismi Galliae imposita, 202*.
De Smet (R. D.), de communione infirmi non ieiuni, (8); opus, 123; de cultus disparitate, 260.
Doebbing (Ill. D.), decreta Pontificis de Fratribus Minoribus promulgare iubetur, 114.
Dolonne (R. D.). Opus damnatur, 193.
Duchesne L. Opus damnatur, 103. 193; eius submissio nuntiatur, 194.
Dunne (R. D.). Opus, 39.
Ecclesiastical Review, de temporalibus Ecclesiae rebus gerendis, 101*.
Ephemerides Liturgicae, de precibus post missam dicendis, 73.
Ferracci Valeriano opus proscribitur, 294.
Ferraris (R. D.), de privilegio processionis SS^mi, 203.
Ferreres (S. I.), de ieiunio et abstinentia in pervigilio Nativitatis D^ni, 185; opera, 100. 124.
Fogazzaro, opus damnatur, 35.
Fournier (R. D.). Opus, 40.
Gabriele d'Annunzio. Opus damnatur, 35.
Gallarati Scotti. Opus damnatur, 193.
Gasparri (Card.), de statu libero, 23*; de cultus disparitate, 260.
Gatterer (S. I.), de officiis votivis, 179; de colore in missis de dominica, 216.
Gavanti (R. D.). De expositione SS^mi 64.
Geens J. Opus, 123.
Génicot-Salmans (S. I.), de modo conficiendi vinum pro sacrificio missae, (66); opus, 235.
Genier (O. Pr.). Opus, 40.
Geniesse (R. D.). Opus, 196.
Gennari (Card.), de communione infirmi non ieiuni, (8); de diebus festis, 85; de dispensatione ieiunii in diebus festis, 220.
Goffart F. Opus, 124.
Goyau. Opus, 196.
Gregorius Magnus S., de vocatione religiosa, 263.
Gregorius XIII, de privilegio processionis SS^mi, 203.
Gregorius XVI, et matrimonia mixta Hungariae, 261.
Heiner (R. D.), de trahentibus clericos ad tribunalia iudicum laicorum, 103.
Holzhey (R. D.). Opus improbatum, 272.
Howarth Arth. (R D.). Nominatim excommunicatur, 31.
Humbert. Opus damnatur, 97; eius submissio nuntiatur, 194.
Ingels. Opus, 196.
Innocentius XI, de Orientalium quaestuatione, 242.
Innocentius XII, de abiuratione iansenismi Belgio imposita, 202; de privilegio processionis SS^mi, 203.
Izsóf Alajos. Opus damnatur, 232.
Iulius III, de altari privilegiato, (36).
von Ketteler (Ill. D.), laudatur propter opera et doctrinam, 118, E.
Koch (R. D.), Opus damnatur, 97.
Lagrange (O. Pr.), opera plura seminariis exclusa, 272. 273.
Lahitton (R. D.) et vocatio sacerdotalis, 262-265.
Ledru (O. Pr.). Opus, 40.
Lehmkuhl (S. I.), de trahentibus clericos ad tribunalia iudicum laicorum, 108. 109.

Leo XIII, de bonis temporalibus missionum, (1). (2). (3). (4). (8). (18). (42). (43). (44). (52). (53); de concurrentia festorum, 17; de trahentibus clericos ad tribunalia iudicum laicorum, 106. 107; de condicione Instituti votorum simplicium, (28); de censura librorum religiosorum, 67; de ingressu Orientalium in latina Instituta, 243; de S. Clarae laudibus, 277. 278; de Tertiariis, 285.

Lintelo (S. I.). Opera, 38. 100. 123.

Lugan (R. D.). Opus, 124.

Mahieu, opus, 100.

Malachia Ormanian, opus damnatur, 35.

Malou (S. I.). Opus, 123.

Mathew (R. D.) nominatim excommunicatur, 31.

Melchers (Card.) Privilegium benedicendi crucifixi imagines pro via crucis, 271.

Missiaen B. (O. M. C.). Opus, 124.

Molina (S. I.), de donatione sub modo facto impossibili, (56).

Monin (I. C. L.), de promulgatione legum Ecclesiae, 228; opus, 235.

MONITORE ECCLESIASTICO, de communione infirmi non ieiuni, 8; de diebus festis, 85. 87. 92; de dispensatione ieiunii in diebus festis, 220; de privilegio fori, 228.

Monza (O. F. M.), a Papa Minister generalis Fratrum Minorum renuntiatur, 113. 114.

Muller (S. I.). Opus, 124.

N. N. (S. I.). Opus, 123.

Nicolaus IV, de Tertiariis, 286.

Noldin (S. I.), de communione infirmi non ieiuni (8).

Nols (O. Pr.). Opus, 40.

NOUVELLE REVUE THÉOLOGIQUE, de communione infirmi non ieiuni, 8; de bonis ecclesiasticis usurpatis in Gallia, 1*; de statu libero, 23*; de vino pro sacrificio missae, 62; de dispensatione affinitatis in linea recta, ex copula licita, 238.

Oliviers, opus, 236.

Ottocarus Prohaszka opus damnatur, 97; eius submissio nuntiatur, 194.

Pacheu (R. D.). Opus, 100.

Palmarini opus damnatur, 193.

Palmieri (S. I.). De materia gravi in iustitia, 3.

Pasteur, de modis asservandi vinum, (68).

Pauwels (S. I.). Opera, 123. 196.

Petiot (Dr), de methodis asservandi vinum, (62).

Piacenza (R. D.), de praestantia festorum in occurrentia, (31). (33); de nova breviarii et missalis legibus, 165. 176*. 177*. 178. 210. 212. 213.

Pierlot H. Opus, 40.

S. Pius V, de religiosa professione noviciarum aegrotantium, 288.

Pius VII, de Titulari ecclesiae, (40); de Oratione XL horarum, 64.

Pius IX, de altari privilegiato, (37); de diebus festis, 85; de cultus disparitate, 259.

Pius X, de diebus festis, 85; de praevia censura librorum, 221.

Pollen (S. I.). Opus, 40.

QUESTIONS LITURGIQUES (LES), de oratione pro defunctis in missa, 40; de missis cotidianis de Requiem, 175; de officiis votivis, 179; de orationibus in missa, 214.

Razon y Fe, de ieiunio et abstinentia in pervigilio Nativitatis Dni, 185; de vino pro sacrificio missae, (57).

Reiffenstuel (O. F. M.), de condicione instituti votorum simplicium, (28); de iudicis recusatione, 52.

REVUE D'ORGANISATION ET DE DÉFENSE RELIGIEUSE. De bonis ecclesiasticis usurpatis in Gallia. 1*.

Riganti (R. D.), de dispensanda affinitate in linea recta, ex copula licita, 238.

Rigaux (S. I.). Opus, 236.

Rutten (O. Pr.). Opera, 124. 196.

Schaepman (R. D.). Opus, 235.

Schrevel. Opus, 40.

Schuler (O. F. M.), ex Generali, Archiepiscopus nominatus, eius praescriptae laudes, 114.

Solloway opus, 40.
Stoeckius opus, 40.
Strater opus, 40.
Szembek Al. Opus, 39.
Tablet, de dispositionibus temporariis in nova lege brevarii et missalis, 216.
Thesaurus Resolutionum S. C. C., de affinitate, 238.
Tillmann (R. D.), opus exclusum seminariis, 272.
Thibaut E. (S. I.). Opus, 196.
Tummers (S. I.). Opus, 39.
Turmel (R. D.). Eius submissio nuntiatur, 35.
Urbanus IV, de laudibus S. Clarae, 273 275.
Urbanus VIII, de catalogo festorum 85. 87. 91; de legitima religiosorum expulsione vel dimissione, 47. 51.
Vanderpol opus, 124.
Van Der Stappen (Ill. D.), de concurrentia festorum, 17; de ecclesiis quae in Belgio religiosis concreditae sunt, (15); de expositione SS^mi, 64; de die quasi natalicia cuiuspiam Sancti, 65.
Van Overbergh Cyr. Opus, 196.
Van Velsen opus, 235.
Verhaegen A. Opus, 236.
Verhaegen P. Opus, 236.
Venancio Gonzalez y Sanz opus damnatur, 193; eius submissio nuntiatur, 194.
La Vie diocésaine, de oratione pro defunctis, 175.
Vita (O. S. Ioann. de Deo). Opus, 39.
Vittoria (S. I.), de vino pro sacrificio missae, (57). (58). (64).
Vliebergh E. Opus, 40.
Wecker (Dr O.). Opus damnatur, 97; eius submissio nuntiatur, 194.
Wernz (S. I.), de vi decretorum particularium S. Congr., 228.
Wilkock opus, 40.
Zenner-Wiesmann (S. I.). Opus damnatur, 35; eius submissio nuntiatur, 194.
Zitelli (R. D.), de temporalium bonorum possessione, (45).

MONUMENTORUM & RERUM

INDEX ALPHABETICUS

Numeri = numeri paginarum

Astericus annotationes significat

Linolea interducta (—) = vocabulum in principio positum

Genericis verbis: — Archiconfraternitas, Confraternitas, Basilica, Canonici, Congregatio, Ecclesia, Festa, Ordo, — supposuimus singula Archiconfraternitatum, etc. exempla quae in praesenti volumine occurrunt.

Abiuratio modernismi, 10. 13. 25. — iansenismi relaxatur Belgio et Hollandiae, 201. 202. — schismatis, 232.

Absolutio militum, tempore belli; nigritae concubinarii, (9); reservati casus extra territorium, 251.

Abstinentiae legis declaratio, 96 B*. — obligatio in vigilia festi suppressi, 104. 105; — relaxatio ex facultate episcopali pro regularibus, (21). (22); in America latina, 194; in Dalmatia, 95; in festis praeceptis, 81. 88. 92; in festis suppressis, 92. 115. 218-220; pro Scotia, 30 E.

« A cunctis » oratio et nominatio fundatoris, (16).

Administratio bonorum in missionibus, (52)-(55).

Adoptionis nullitas, 121 D.

Ad quasdam, Decretum S. Rituum Congr. 28 iul. 1911, de diebus festis, 82 ss.

Adulterium, impedimentum criminis, 226.

Aegroti in articulo mortis cooptatio in Congr. votorum simplicium, 6; professio, 288-290.

Aemilianum Institutum a S. Francisco Xaverio, obtinet Vicariatum Ho-Nan Occidentalis, 94.

Affinitas ex copula licita, in linea recta, dispensata, 237.

Aggregatio Instituti ad Tertium Ordinem, 3.

S. Agnetis lectiones, 225; — secundo antiphonae, 161.

Altaris *privilegiati*, historica et condiciones praesentes (36)-(40). 250. 255.

Amantissimi, C. Pii IX, 3 maii 1858.

Americae *latinae* indulta de ieiunio et abstinentia, 194.

Americae Septemtrionalis Status Foederati, et amotio administrativa parochorum, 13. — et confraternitas pro conversione populorum linguae anglicae, 31 F. — et dispensatio affinitatis in linea recta ex copula licita, 238. — et temporales Ecclesiae administrationes, 101.

Anglia et amotio administrativa parochorum, 12. — et bona missionum, (2)-(4). — et dispensatio affinitatis in linea recta, ex copula

licita, 237. — **ae** confraternitas pro *Angliae* conversione, 31 F. — hierarchia ecclesiastica denuo ordinatur, 119 G. — tres sacerdotes excommunicati vitandi, 31 I.

Anniversaria defunctorum in Dominica, 63.

Annuntiatio B. M. V., 83. 89. 90. 170. 189.

Antiphonae, 161.

Antoniana confraternitas, 32 O.

Apostasia *a fide*, ipso facto expellit religiosum, 46. — *ab Ordine*, ipso facto expellit religiosum, 46.

Apostata sacerdos, 197.

« Apostolicae Sedis » C. Pii IX, 12 oct. 1869 de censuris latae sententiae, 105. 106.

Appellatio a sententia interlocutoria, 100_2.

Archiconfraternitas S. Barbarae loci Plaimpied, 33 G; Bogotana Dominae Nostrae a S. Corde Iesu, 191 A; S. Christophori, 229 B; SS. Cordis Iesu Bruxellis, 230 H; ab Infante Iesu, 32 M; Labacensis, 30 A; Mexipolitana, 32 L; S. Missae reparatricis, 118_3; N. D. a S. Corde Iesu in civitate Quebecensi, 230 I; N. Dominae de suprême pardon, 229 C; Paredensis ab Hora sancta, 32 P; Plagense (Schlägl) a S. Maria Reparatrice, in Austria, 96 S; Pragense a S. Maria Reparatrice, 96 S; S. Philomenae fit universalis, 230 N; a prima puerorum communione, 186. 187; Tolosana Horae Sanctae, 193 H.

— *ad honorem* Moiana SS. Rosarii, 193 G.

Archidioecesis Calcuttensis fines, 232 B.

Archisodalicium *Vide Archiconfraternitas.*

Argentina ecclesia S. Dominici, 32 Q.

Armenorum concilium nationale, 118 F. — Ciliciae patriarcha, contra schismaticos protegitur, 231 O.

Assisiensia monasteria seu templa S. Clarae privilegiis decorantur, 278. 279.

Assistentes, *Vide Consiliarii.*

Aturensis episcopi residentia, 232 H.

Aucto, Decr. 8 iun. 1896, S. Rituum C. de missis pro defunctis, (14).

Auctis admodum, decr. 4 nov. 1892, S. C. Ep. et Regul. de dimissione et expulsione religiosorum, 47.

Australia observandum habet decretum « Maxima Cura », 279.

Austria et archiconfraternitas a Maria Reparatrice, 96 S; — et provinciae Fratrum Minorum, 74-76.

Authenticorum decretorum S. R. C. volumen, 246. 247.

Banna, in festis suppressis, 85. 86.

Baptismi caerimoniae, (26). — nigritarum, casus, (10)-(14). (25)-(27). — procurator patrini vel matrinae, (27).

S. Barbarae sodalitas, loci Plaimpied in Gallia, 33 S.

Basilica abbatiae de Pontida, 33 R; S. Amabilis, in urbe Ricomagensi, 229 D; cathedralis ecclesia Pictaviensis, 230 G; Deiparae Gandino, in dioecesi Bergomensi, 96 R; del Pilastrello, 31 K; S. Dominici in Argentina republica, 32 Q; SS. Ferreoli et Ferrutii prope Vesuntionem, 229 E; Ho-Nan occidentalis, 94 F; S. Iacobi, Neapoli, 94 K; S. Ioseph, in civitate Bonaërensi, 193 F; Immaculatae Virginis in oppido Faverney, 229 F; S. Mariae in Monte Sancto, 93 A; S. Mariae in Portiuncula, 31 H; Neuvy S^{t} Sepulchre, 31 B; Protomonasterii S. Clarae, 278; B. Virginis Christianorum adiutricis, Augustae Taurinorum, 118 C.

Beata Clara, litt. Alexandri IV, 10 oct. 1263, Ordinem secundum S. Clarae nomine appellans, 273-275.

Beatificationum causae, 36. 98. 120. 194. 233. 280-282. — sollemnitates, 72. 73. 221-224.

Belgium et abstinentia vel ieiunium in festis suppressis, 219. 220. — et archiconfraternitas SS. Cordis Iesu, 230 H. — et collecta de Spiritu S^{to}, (16). — et dispensata Leodii affinitas in linea recta, ex copula licita, 238. — et decr. C. Caprara, (40). — et fori privilegium, 108. 109. — et iansenismi

abiuratio, 201. 202. — et paroeciae regularium, (15). (16). — et societas S. Raphaëlis pro emigrantibus, 284. — et temporalis clericorum administratio, 238.

Benedictionis *apostolicae*, in fine missionum, Ritus, 42-44.

Beneficii attributio. Causa rotalis, 195 E.

Biblica commissio de periculis ad gradus consequendos, 99.

Biblicum Institutum. Pericula annua, 93 C.

Bibliographia, 38. 100. 123. 196. 234.

Bilio (Card.) delegatus iurisdictioni in monasterium S. Clarae, 228; — Fratrum Minorum de Observantia Protector, 278.

Bona *ecclesiastica*, missionum, (1)-(4). (8). (17)-(21). (41)-(56). — qua administrationis forma tutanda, 101. 102. — usurpata in Gallia: Indultum, et rescriptum de censuris, 1. 2.

Bonaërensis basilica S. Ioseph, 193.

Brasiliae episcopis consilia dat Pontifex, 95 N.

Breviarii romani editiones futurae, 136. 138 ss. — novum psalterium et rubricae, 125-136. — plenior reformatio praeparatur, 208. 209. — recitandi summariae regulae, 180-183.

Bulla Cruciatae, 33 A.

Canone (In), quis nominandus, 205. 206.

Calcuttensis archidioecesis fines, 232 A.

Calendarii ordinatio. Varia dubia de occurrentiis et concurrentiis et translatione festorum, 15-18. 28. 29; de initiis epistolarum, hymnis, etc. 18-22. — particularis reformatio, 265. 266. — universalis maior usus suadetur, 265. 266. — *religiosorum* usus in paroeciis, (15).

Canonicalis praebendae attributio, 195 D.

Canonici Lateranenses, et calendarium ecclesiae, (15).

— **Praemonstratenses** praefecturam occidentalis Uellé obtinent, 194.

Canonicorum privilegia sacerdotibus communicata, 93 A. — suffragia pro seipsis in electione, 231 C.

Canonizationum causae, 36. 98. — sollemnitates, 72-73. 221-224.

Cantus monosyllabae vel vocis hebraicae, 266. 267.

Capitulum et iura parochialia, 37, 3. — et parochus: controversiae coram Rota romana, 195 C.

C. Caprara Ordinatio 9 apr. 1802, de festis, (40). 105.

Cardinales creati, 119 H; in petto, 119 H. — diaconiae administrationem obtinent, 229 A. — recipientes biretum cum allocutione pontificia, 191 C.

Cardinalis Protector Fratrum Minorum de Observantia, 278. — Proto-monasterii S. Clarae, 278.

Carolinensis et Marianensis Vicariatus, 32 N.

Carmelitanus Tertius Ordo, 187-188.

Cathedralis ecclesia S. Ioannis Bapt. in Limerick, 231. — Pictaviensis, 230 G.

Cathedraticum Vicarii Apostolici, (4). (47).

Cautiones ad dispensandum a disparitate cultus, 257-260. — neglectae in matrimoniis mixtis, 260-262.

Censura praevia librorum, 220. 221. 288.

Censurae pro usurpatis bonis in Gallia, 2.

Chilena respublica, et vetita promiscuitas ciborum, 33 B.

Chorus et missa pro defunctis, 252. 255.

Citatio *clerici* ad comparendum in tribunali laico, 105-109. 190. 228. Quid si ut testis, 228.

Citationes edictales Rotae, 99. 122 M.

Clara Claris, Bulla Alexandri IV, 19 oct. alias 26 sept. 1255 de S. Clarae laudibus, 273. 275.

Cleri *Venezuelani* disciplina urgenda, 192.

Clerici militantis condicio in bello, 227. — Orientalis cooptatio in Institutum latinum, 245. — rei vel testis in ius vocatio, 105-109, 190.

228. — temporalem operum administrationem gerentis lex, 238.
Collecta de Spiritu Sancto in Belgio, (16).
— **e** in missis, 134. 175. 176. 206. 215. 253. 256.
Color paramentorum, 60. 61. 62. 63. 134. 203. 204. 205. 207. 208. 216.
S. Clarae filiae laudantur et simul de recto earum spiritu docentur, 275-279.
Commemoratio *S. Cordis* in primis vesperis, 16; — *B. M. V.* in suffragiis. Mutatio versiculi, 19. 21.
— **nes** in Breviario et Missa, 132.
Commissi, C. Clementis XI, 6 dec. 1708, festum Immac. Conc. restituens, 85.
Communicatio indulgentiarum et *privilegiorum* extraordinaria ratione concessa, 77. — applicata regularibus, 288.
Communio infirmi non ieiuni, (8). — ministri laici, 71. 72. 73. — paschalis religiosi Orientalis in Instituto latino, 245. — prima puerorum, 186.
Competentia S. C. Concilii, 11. 260. 261. — S. C. S. Officii, 260. 261. — (Sect. Indulg.), 255*. — S. C. Prop. Fidei, 244. — S. C. Religiosorum, 244. — S. C. Rituum, 255*.
Compositio inter capitulum et archipresbyterum approbatur, 234 B. — inter Ordinarios et religiosos, de bonis missionum, (44). (56).
SS. Conceptionis de Araguaya, Praelatura Nullius, 119 A.
Concilii Tridentini interpretatio, 11.
Concilium Armenorum nationale, 118 F. — Chansinense 1883. 4). — Westmonasteriense II, (2). (3).
Concursus *parochialis* dispositiones Mediolanenses, 231 B
Conditae, C. Leonis XIII, 8 dec. 1900, de Institutis votorum simplicium, (28).
Confessarius religiosorum, (23).
Confraternitas Antoniana, 32 O. — congregationum a S. Elisabeth in dioecesi Varniensi, 230 L. — Missae reparatricis, 119 A. — a prima puerorum communione, 186. 187. — pro puerorum communione, 230 K. — Septem Dolorum B. M. V. 119 B. — Sulpiciana pro conversione Britanniae maioris, 31 F.
Confraternitatis causa in Rota Romana, 121 A. — libri et inscriptio an necessaria, 70. 71. — minimus sociorum numerus, 70. — statuta, quomodo approbanda, (72).
Congi casus matrimoniales, (9)-(14), mixti baptismo, ibidem.
Congi martyres, 280-282. — novae Praefecturae, 97.
Congi Superioris Vicariatus apost., 36 E.
S. Congregatio Cardinalium leges ecclesiasticas suae provinciae authentice interpretatur, 11.
— *Concilii* iudicans causam Regien. iurium, 34 C. — dispensat ab irregularitatibus ex delicto, 197. — respondet de affinitate ex copula licita in linea recta, 238; de passiva parochi assistentia, 261. — de emigrantibus non iam curat, 283.
— *Consistorialis* curae spirituali emigrantium praeficitur, 283.
— *Episcoporum et Regularium*. Resp. 5 dec. 1905, de triennali professione monialium, post decr. « Perpensis », 3 maii 1902, (5). (6). — ordinationes 10 maii 1907 et 18 ian. 1908, de studiis et disciplina seminariorum Italiae.
— *S. Officii* interpretans, 15 iun. 1870, 1 febr. 1871 et 23 ian. 1886, censuram de privilegio fori, 106. 107*. — de cultus disparitate, edens varia decreta, 258-260.
— *Propagandae Fidei*. Facultates quas concessit ante C. *Sapienti* num valent, (6). — et receptio Orientalium in Instituta latina, 244. 246; Eius responsa prudenter utenda, (42). (44). De temporalibus missionum bonis, (1). (4). (44)-(46). (47). (48). — servat curam de emigrantibus Orientalibus, 283.
— *Rituum Congregatio* Eius Decr. *Urbis*, 15 dec. 1899; responsa 11 feb. 1910, 22 mart. 1910, de calendario ecclesiae, (15). Resp. 10 nov. 1906, de missis pro defunctis in oratoriis publicis seminariorum, et ecclesiis, etc. (14). Responsum 17 ian. 1899, 20 mart. 1903,

15 apr. 1905, de organi sonitu, 43. Quaenam eius acta authentica sint, 183. — et novum volumen decretorum, 246. — et valor eius decretorum, 246. 247.
— *Sacramentorum* dispensat ab irregularitate ex defectu, 197.
Congregatio *religiosa*, manens dioecesana post decretum laudis, (28). (29). — dioecesana, (29).
— *Filiarum a Cruce* reformatas Constitutiones approbatas habet, 1202. — et Sorores indigenae, 240. 241.
— *Iesu et Mariae* praeficitur Societati a Corde Matris admirabilis (Tertio Ordini Eudistarum), 94 G.
— *Sororum Iesu et Mariae*, in missionibus, 239-241.
— *Passionistarum* novum sanctuarium in territorio Neptunensi obtinet, cum iuribus parochialibus, 95 Q.
— *SS. Redemptoris* novam praef. apost. de Matadi obtinet, 97 C.
— *S. Spiritus et Immaculati Cordis Mariae* novam praefecturam de de Katanga Septemtrionali obtinet, 97 B.
— *Tertiariarum S. Francisci a Iesu infante* approbatur, 120 B.
Consiliarii separatim suffragium non dant, sed congregati, (6).
— *generales* a Papa designati, 381. — *generales* Ord. FF. Praedicatorum, 74.
Consistorium 27 nov. 1911, 119 H.
Constitutionum approbatio, 36.
Consuetudo celebrandi anniversaria in Dominica, 63. — celebrandi Titularem quasi Patronum, 71. 72. — extendens iura parochialia, 100. — feriandi in festo, 87. — iurisdictionem tribuens in Institutum religiosum, (28). — de praecedentia et exemptione apud Fratres Minores tollitur, 112. — privilegio fori contraria, 109. — tribuens emolumenta sedis vacantis, 231 A.
Conventualis missa pro defunctis, 252. 255.
Conventus translatio, (8).
Conventus seu Coetus *Tertiariorum* normae, praeses, etc. 287. 288.
Cooperatio ad institutionem vel nuptias paganas, (25).
Cooptatio in seminaria Italiae, 291.
S. Cordis Festum, 81. 82. 90. 152. — missa votiva, et preces post missam, (34). 71-73. — primae vesperae, 16.
Coronae viae crucis abolentur, 269. 270.
Corporis Christi dioecesis erectio, 232 E.
Coreanae regionis novus Vicariatus « Tai-Kon », 93 D.
« **Corporation** » eiusque formae variae in America septemtrionali, ad bona possidenda, 101. 102.
SS. Corporis Christi festum, 81. 82. 83. 116. 150. 158. 218. 219. — octava, 82. 116. 117. 150. — vigilia, 105.
Credo in missa, 225. 252. 256.
Crematio necessaria et sepultura ecclesiastica, 9.
Criminis impedimentum, 226.
Cruciatae bulla, 33 A.
Crucifixi imagines benedictae pro via crucis, 269. 270.
Cultus disparitatis dispensatio, 257-260.
Cum a summo, Decretum S. Rituum Congr. 14 aug. 1912, causas introducens martyrum de Uganda, 280-282.
Cum interdum, Breve Gregorii XIII, 11 mart. 1573, processiones SSi. Regularibus permittens, 203.
Cum omnes, Motu Proprio 15 aug. 1912, sectionem de emigrantibus Consistoriali Congri adiciens, 282.
Cum semper, C. Benedicti XIV, 19 aug. 1744, de missa pro populo, 85.
Cum semper, Decretum 29 iul. 1912, S. C. Consistorialis, opera quaedam seminariis excludens, 272. 273.
Custodes Fratrum Minorum, 112.
SS. Cyrilli et Methodii festum 7 iul. 61. 63. 65.
Dalmatiae lex ieiunii et abstinentiae mitigatur, 95 O.
S. Damiani coenobium laudatur et privilegiis ornatur, 277. 278.

Declarationes legis num promulgandae, 228.

Decreta S. C. Concilii de sacerdotibus emigrantibus abolentur, 283. — S. Rituum Congr. 246. 247.

Dedicationis festa, 133. 170.

Definitores, *Vide Consiliarii*.

— generales Fratrum Minorum, 111. 113. 114.

— provinciales Fratrum Minorum, 112.

Defunctis. Anniversaria pro — in dominica, 63. Funera pro — in bello Tripolitano, 184. Missae pro — 83. 89. 90. 134. 207. 208-215. Quid in Quadragesima, 207. 208. Opus piaculare N. D. de Montligeon pro — 93 A. Oratio pro — in missis, (39). 134. 175. 205. 206; *Vide: Altare privilegiatum: Missa exsequialis*.

Defunctorum anniversaria in dominica, 63. — commemoratio 2 nov., 135. 156. 160. 171. 207. 208. — officium, 268.

Delegatio ad assistendum matrimoniis, (22). (23).

Delegatus Apostolicus in Foederatis Americae Statibus, 118 A.

Desmoiniensis dioecesis erigitur, 120 B.

Devotio « Un portrait merveilleux », improbatur, 292.

Diffamationis damna ab Ordine sarcienda, 234 G.

Dimissionis religiosorum sollemnitates, 44-53.

Dioecesana curia romana reformatur, 191 D.

Dioecesanum institutum, de recipiendis alumnis dimissis, (29).

Dioecesis incardinatio, 233 B. — patronus, (40).

— Desmoiniensis erectio, 120 B. — Ratisbonensis et Bambergensis fines mutantur, 120 C. — Pisanae et S. Miniati fines mutantur, 231 C. — Kearneyensis in America erectio, 231 D. — Corporis Christi erectio, 232 E. — Wayne-Castrensis fines, 232 F. — Tarbensis nomen auctum Lapurdensi appellatione, 232 G. — Aturensis residentia, 232 H.

Disparitatis cultus dispensatio, 257-260.

Dispensatio ab affinitate, in linea recta, ex copula licita, 237. — a cultus disparitate, 257-260. — a ieiunio et abstinentia, (21). 218-220; ab irregularitate, 197; a lege distantiae, societatum puerorum SS. Sacramenti, 230 M; tacita a crimine ex adulterio, 226.

Dispersi religiosi cuinam Episcopo subsint, (24). 56.

Distantiae lex aufertur societatibus puerorum SS. Sacramenti, 230 M.

Divino Afflatu, C. 1 nov. 1911, De novo psalterio, 125-128.

Docente Apostolo, Decretum S. C. Consistor. 18 nov. 1910, de vetita clericis temporali administratione, 238. 239.

Dominicae anticipatae officium, 205. 206. 211. 212. — infra octavam Nativitatis officium, 252. 256. — missa, 173. 179. 203. 204. 205. — officium ex novis rubricis, (31). 162. 167. 168. 179. 205. 206. 207. 208. 209. 210.

Dominicae II post Epiphaniam anticipatio, 203. 204. 205. 206. 207. 208. 211. 212.

Dominicarum tabella, 140 ss.

S. Dominici Argentina basilica, 32 Q.

Doxologia, 132. 137. 162. 168.

Dubia de possessione bonorum in missionibus, (44). (47).

Ecclesia et calendarium religiosorum, (15). — quando pro indulgentiis visitanda, 8.

Ecclesia *cathedralis* vel *collegiata*, et dominicalis sollemnitas Corporis Xti, 82; in festis suppressis, 84. 88; in vigilia S. Ioannis B. concurrente cum vigilia SS. Apost. Petri et Pauli, 83; et altare privilegiatum, (36); et Titularis, (40).

— *cathedralis* in Limerick, 231 B; Pictaviensis, 230 G.

— *collegiata* ad honorem, 232 I.

— *parochialis* et privilegium altaris, (36).

Ecclesiastica Hierarchia in Anglia, 119 G.

Ecclesiastici patrimonii addictio, 233 E.

Editiones Breviarii, 136. 138. — librorum liturgicorum, 6. 14. 54. 55. 257. — Missalis, 138, ss. — Psalterii, 137.

S. Elisabeth festum, pro v. « Ora pro nobis », 19.

Emigrantium bono spirituali consulitur, 282-284 ; Iis provident SS. CC. Consistorialis et Propagandae Fidei, 283.

— *sacerdotum* ius decretis S. C. Concilii non iam continetur, 283.

Epiphaniae festum et octava, 116. 117. 149. 162.

Episcopi *Brasiliae* a S. Pontifice consilia obtinent, 95 N. — *Dalmatiae* facultates obtinent relaxandi ieiunium et abstinentiam, 95 O. — *Galliae* incitantur ut dioecesanas missiones promoveant, 94. — *Lusitaniae* gratulationes obtinent, 95 L.

Episcopus casum habens ipsi specialiter, sine censura, a Papa reservatum, 250. 251. — definiens salarium cooperatorum parochi, 122 L. — delegans confraternitatis erectionem, etc., (72). — designandus. Lex secreti, 34 B. — et festa suppressa, 81. 87. 91. — Indorum rationes fovere debet, 264. — iurisdictionem servans in Institutum post decretum laudis, (28). — modernismi abiurationem ante singulos ordines sacros exigere potest, 25. 27. — novas Psalterii editiones non permittit, 137. 138. — regularem a ieiunio et abstinentia dispensans, (21). — religiosam domum permittens, (8). — respuens candidatum ordinationis, 264. — rhytmicas editiones liturgicas permittens, 257. — relationem de Modernismo conficiens, 185. — transferens in Dominicam festum Patronornm, 81. 91. — *Vide* etiam *Ordinarius*.

— *religiosus*, cuinam acquirat, (46). (47).

Episcopus *Titularis*, num in precibus pro Antistite orat, 205. 206.

Erratum in editione typica psalterii, 217.

Erythraeus vicariatus apostolicus, 31 G.

Etsi nos, C. 1 ian. 1912, reformans dioecesanam curiam romanam, 191. 192.

Eucharistici coetus, 119 H.

Eucharisticum foedus lovaniense pauperum senum, 78. 79.

Eudistarum Tertius Ordo, 94 G.

Evangelium in fine Missae, 134.

— *S. Matthaei* et Commissio biblica, 68. 69.

« **Evulgato** » Decr. S. Rituum C. 24 iul. 1911, de diebus festis, 81 ss.

Examinatorum synodalium iuramentum, 188. 189.

Excommunicati *vitandi*, 31 I.

Excommunicatio se separantium a patriarcha Armenorum, 231 O. — violantis privilegium fori, 105-109. 190.

Exemptio violata Regularium, causa nullitatis sententiae, 121 C.

Exemptionis in Ordine Fratrum Minorum, 112. 278.

Exemptum protomonasterium S. Clarae, 278.

Expulsionis religiosorum sollemnitates, 46. 50. 53.

« **Ex quo** », Litterae S. D. Pii Pp. X, 26 dec. 1910, improbantes scriptum Principis Max a Saxonia, 30 G.

Ex-Superiores Fratrum Minorum, 112.

S. Familiae festum, 204. 205. 211.

« **Fee simple** », in America, 101. 102.

Feriae privilegiatae, 134. 140. 205. 206. 252. 253-256.

Feriale officium, 169.

Festorum amotio et translatio, 15-18. 28. 29. 163. 169. 170. 211. — celebratio ob concursum populi, 207. 208. — concurrentia, 131. — imminutio huiusque causae, 218. — novorum petitio vel mutatio ritus, 135. — occurrentiae et translationes, 130. 131. 206. 207. — particularium in dominicis condicio, 136. 204. 206. 207. 209-211 ; reductio, 265. 266. — praeceptorum novus catalogus, 80 ss. 140 ss., leges quid iubeant, 85. — praestantia, (31).

130. 172. — simplificatorum ratio, 252. 256. — suppressio etiam si ex constituto vel ex voto celebranda erant, (32). 84. 87. 104. 105.

Festum *S. Agnetis*, 161. 225. — *Annuntiationis* B. M. V. 83. 89. 90. 170. 189. — *SS. Apostolorum Petri et Pauli*, 83. — *Commemorationis omnium sanctorum Pontificium*, 162. — *SS. Cordis Iesu*, 16. 81. 82. 90. — *SS. Corporis Christi*, 81. 82. 83. 84. 89. 90. 116. — *S. Crucis*, 30 D. — *SS. Cyrilli et Methodii*, 61-63, 65. — *S. Elisabeth*, 19. — *Epiphaniae*, 117. — *S. Familiae*, 204. 205. 211. — *S. Francisci de Paula*, 15. — *B. Gasparis del Bufalo*, 225. — *S. Ioannis ante Portam latinam*, 19. 190. — *S. Ioannis Baptistae*, 71-72. — *B. Ioannis M. Vianney*, 19. — *Immaculatae Conceptionis*, 80. 85. — *SS. Lanceae et Clavorum*, 19. — *S. Ioseph*, 81. 82. 90. 91. — *Nativitatis Domini*, 184. 185. — *SS. Nominis Iesu*, 204. 205; *Mariae*, 252. 256. — *S. Odilonis* in Gallia, 61-62. — *S. Othmari*, abbatis, 93. — *Patrocinii B. M. V.*, 16. — *SS. Patronorum*, 81. 82. 91. 92. — *SS. Philippi et Iacobi*, 190. — *Purificationis B. M. V.*, 170. 219. — *SS. Reliquiarum*, 162. — *SS. Septem Fundatorum*, 61. 62. 65. — *S. Silvestri*, 62. 63. — *Transfigurationis Domini*, 170. — *SS. Trinitatis*, 82. 90.

— universale alicubi die dominica concessum, 162.

Filiarum a Cruce reformatae Constitutiones approbantur, 120 B; — Sorores indigenae in missionibus, 240. 241.

Fori privilegium, 105-109. 190. 228.

Formula abiurandi iansenismi, 201. — iuramenti examinatoris synodalis et parochi consultoris, 189.

S. Francisci de Paula festum in regione neapolitana, 15.

S. Francisci a Iesu infante *Tertiariae* approbantur, 120 B.

Fraus Orientalium, 242.

— paenitentis fugientis reservationem, 251.

Friburgensis dioecesis fines mutantur, 34 A.

Fructus possessori tributi, 233 E.

Fuga, suscepta muliere, expellit religiosum, 46.

Fundatoris nominatio in oratione « a cunctis », (16).

Funus ecclesiasticum post crematione lege impositam, 9. — occisorum in bello Tripolitano in diebus festivis, 184.

— Ius celebrandi — 122 K.

Gallia et decretum C. Caprara, (40). 105. — et dioecesanum Missionum opus, 94 H. — et imperatae sacerdotibus eleemosynarum collectiones, 41. — et varia festa, 61. 62. 63. 71. 72. — et sollemnitates festorum translatorum, 62. 63. — et iansenismi abiuratio, 201. 202. — et missa pro populo, 62. 63. — praedicitur convertenda, 191 C.

Gandino in Bergomensi dioecesi, basilica minor, 96 K.

D. Gasparis del Buffalo festum, 225.

Generalis Superior electus a Papa, 38.

Genuflexio accedentis ad altare, inter vesperas coram SS° exposito, 61. 64. 71-73.

S. Georgii ecclesia assisiensis privilegio votivae missae S. Clarae, 278.

Gradus academici et religiosi, 198.

Guani vicariatus apostolicus, 32 N.

Guardiani Fratrum Minorum, 112.

Hebdomada sancta: conclusio Matutini et inchoatio laudum in triduo sacro, 268. 269.

Hispaniae coetus eucharisticus, 119 H. — consuetudo de emolumentis Sedis vacantis, 231 A. — Ordinariorum iurisdictio in religiosos dispersos et monialium monasteria, 55. 56.

Historia ecclesiastica R. D. Duchesne (103). (104).

Hollandia et iansenismi abiuratio, 201. 202.

Ho-Nan occidentalis Vicariatus, 94 F.

Humilitas filiis S. Clarae commendatur, 276.

Hungariae matrimonia mixta, 261.

Hymni proprii quomodo disponendi

in breviario, 19. — Quid de septem Fundatoribus, 61. 62. 65. — quomodo concludendi, 132. 137. 162. 168. — quomodo coniungendi et recitandi, 19. 21.

Iamdudum in Lusitania, litt. encycl. 24 maii 1911 de iniuriis ibi Ecclesiae factis, 94 L.

Iansenismi abiuratio in Belgio et Hollandia, 201. 202.

Ieiunium in America latina, 194. — et cibi promiscui, 33 B. — dispensatum regulari ex facultate episcopali, (21). — in festis praeceptis, 81. 88. 92. — in festis suppressis, 92. 115. 218-220. — temperatum in Dalmatia, 95. — in vigiliis festorum suppressorum, 104. 105.

Ignoratio reservationis, 251.

Imaginis inscriptio reprobatur, 292.

Immaculatae Conceptionis festum, 80. 85. — in Belgio, 219. — Paramenta caerulea, 98.

Immensa Pastorum, Litt. 22 dec. 1741, Benedicti XIV contra Indorum oppressores, 248.

Impedimentum affinitatis, 237. 238. — criminis ex adulterio, 226.

« Imprimatur » exprimendum in liturgicis libris, 15 ; a quo dandum relationibus conventuum Tertiariorum, 288.

« In articulo » decr. S. C. Religiosorum 7 sept. 1909. de studiis, 25.

Incardinatio in dioecesi, 233 B.

Indorum oppressio exponitur, deploratur, reservatione punitur, 247-251.

Indulgentia altaris privilegiati, (36)-(40). 252. 255. — archiconfr. ab Infante Iesu, 32 M. — communicata ex privil. communicatione, 288. 289. — Congregationum mulierum a S. Elisabeth in dioecesi Varmiensi, 230 L. — Fratrum Minorum in Saxonia, 30 D. — pro invocationibus « Gesu mio, misericordia » et « O Iesu, in sanctissimo sacramento, miserere nobis », 94 I. — plenaria associationi catholicae internationali a patrocinio puellarum, 95 F. — Portiunculae, 57-60. — piae unionis pro communione puerorum, 230 K. — professionis novicii in periculo mortis, 289. — pro sodalicio iuventutis Antonianae, 32. — sodalicii Missae reparatricis, 119 A. — in triduanis supplicationibus in S. Clarae honorem, 279. — viae crucis, 269-271.

— ae lucrandae tempus utile visitandi ecclesias, 8.

Infante Iesu (ab) archisodalicium, 32 M.

S. Infantiae subsidia, a quonam possidentur, (44). (46). (47)$_j$.

Instituti approbatio, 36. — sine votis assimulatio religiosis, pro noviciorum professione, 289. — obligatio spondendi pro culpis sodalium, 234.

Interlocutoria sententia appellationem permittit, 100$_2$.

Interpellatio pro privilegio Paulino, (11).

Interpretatio authentica legum, a S. Congregatione, vel Tribunali romano, 11.

Inter reliquas, 16 ian. 1911, de religiosis militare coactis, 199-201.

S. Ioannis ante Portam lat. 9^a lectio tq. historica legenda est, 19. — Lectiones I Nocturni, 190.

S. Ioannis B. festum, 71. 72. 81. 83. 84. 90. 152. 153. 154. 159. 160. 177*.

B. Ioannis M. Vianney festum, 19.

S. Ioseph festa, 81. 82. 84. 90. 91. 151. 158. 170. — vigilia, 189.

Irregularitatis causa in bello, 227. — dispensatio ad quamnam Congregationem pertineat, 197.

Italiae Fratres Minores, 4. 5. 74-76. — migrantes operarii, 118 D. — Seminaria, 103. 104. 291. — unitatis iniuriosa commemoratio, 119 H.

Iubilaeum. Indulgentia in forma iubilaei, 289.

Iudicis recusatio, 52.

Iuramentum examinatorum synodalium et parochorum consultorum, 188. 189. — suppletorium, 23. 24. — *Vide* etiam *abiuratio*.

Katanga Septemtrionalis Nova Praefectura, 97 B.

Kearneyensis dioecesis fines mutantur, 231 D.

Kietchang Vicariatus fines, 233 B.
Labacensis archiconfraternitas, 30 A.
Lacrymabili, Litt. enc. 7 iun. 1912 de misera Indorum condicione sublevanda, 247.
Laici Ordinum, quod ad professionem, (5).
— sacro inservientes, ubinam communicent, 71. 72. 73. — trahentes clericos ad iudicia laicorum, 105. 109.
Lapurdensis appellatio, Tarbensi adiecta, 232 G.
Lateranenses canonici, *Vide Canonici.*
Latina pronuntiatio Urbis commendatur in cantu, 606.
Laudes in dominica anticipata, 205. 206. — quomodo inchoandae, 177. 177*. 268.
Lectiones Breviarii de initiis epistolarum S. Pauli, 18. 20. — de initiis libri, 298. — appropriatae, 208. — — historicae reformandae, 208. 209. — S. Ioannis ante Portam lat. 9ª pro historica habenda est, 19. — 1 Nocturni, (30). 190. 207. 208. 213. 214. 225. — 3 Nocturni, 61. 63. 65.
Leodiensis causa affinitatis in linea recta, ex copula licita, 238.
Libertatis ad nuptias, documentum, 226.
Libri *liturgici*, 6. 14. 54. 55. 136. 138 ss. — quinam sint, 55.
— a censore alius dioecesis examinati, 220. 221. — *proscripti*, 35. 97. 193. 232. 292. — referentes acta conventuum Tertiariorum, 288. — *religiosorum* et « Imprimatur », 66-68.
Linguae *vernaculae* usus pro precibus liturgicis, 62. 63. 65.
Liturgicae *editiones*, cum signis rhytmicis, 6. — officiorum propriorum, 14. — quibusnam et quomodo permissae, 54. 55.
— *ephemerides* nihil cum S. Rituum Congr. commune habent, 183.
— *preces* in lingua vernacula, 61. 65.
Liturgici cantus et latina pronuntiatio, 267. — libri. *Vide Libri liturgici.*
Lovaniense eucharisticum foedus pauperum senum, 78. 79.
Lumen electricum in ecclesia, 79. 80.
Lusitaniae persecutiones Ecclesiae Pontifex deplorat, 94 L, 1; 119 H. — episcopis gratulatur Pontifex, 95 L, 2.
Manuscripta religiosorum, 67. 68.
B. M. Virginis Patrocinii festum, 16. 17. — in Sabbato, antiphonae, 161. — suffragium, mutato versiculo, 19, 21.
Martyres de Uganda, 280-282.
Matadi nova Praefectura, 97 C.
Matrimonii *attentatio* vel celebratio a religioso, 46.
— *casus* in Congolensi colonia, (9)-(14). (25). — *causae* coram Romana Rota, 36. 37. 99. 121. 194. 195. 233. 234; coram Signatura Apostolica, 37. Negata nova instantia, 195 H.
— *celebratio* cum haeretico cuius dubius baptismus deinde nullus fuisse demonstratur, 99 D; cum haeretico vel schismatico vel infideli sine cautionibus, 260-262. — inter eos qui catholice baptizati extra Ecclesiam adoleverunt, 27.
— ex delegatione, (22).
— inscriptio, 22.
— probatio, 23.
— status liber, quomodo probandus, 22. 23. 225.
— **civilis** dubius valor vel nullitas, (12). (13).
Matutini conclusio, 177*. 213. 214. 268. — lectiones varii casus, (30). 190. 207. 208.
« **Maxima cura** », Decr. 20 aug. 1910, de amotione administrativa parochorum, 12. 13. 188. 189. — in Anglia, 112. — viget in Australia, 279.
Mediolanensis provinciae concursus parochiales, 231 B.
Mexipolitana archiconfraternitas, 32 L.
Migrantes, 282-284. — operarii, 118 D.
« **Militantis Ecclesiae** », C. Urbani VIII, 15 maii 1628, confirmans constitutiones Fr. Min. Conventualium, eosque ab iniuriis vindicans, 5.
Militare servitium clericorum, in bello, 227. — religiosorum, 199-201.

Militum absolutio, tempore belli, 227.
S. Miniati dioecesis fines mutantur, 231 D.
Minister generalis Fratrum Minorum, III. 112. 113.
Ministri provinciales Fratrum Minorum, 112.
Misericors Dei Filius C. 30 maii 1883, Leonis XIII, de Tertio Franciscalium Ordine, 285.
Missalis editiones futurae, 136. 138. 157-161.
Missa conventualis, 135. 176. — dominicae, 173. 179. 203-205; in dominica infra octavam Corporis Christi, 82; — feriae, 173; — festi impediti in dominica, 207. 208. 212. 213.
— pro defunctis: dies quibus prohibetur, 83. 89. 134. 174. 175. 215. 216. 251. Quid, si exsequialis, 89. 90. 184. In choro, 252. 255. In oratoriis, (14). — pro populo, 84. 85. 86. 217; in America, 88; in Gallia, 62. 63. — pro sponsis, 62. 63. 83. 89. 225.
— sine cantu, in expositione XL Horarum, 60. 61.
— sollemnis in festo translato, 91. 92. — in sollemnitatibus beatificationum et canonizationum 221-224.
— *votiva*, 31 H. 993. 174. 207. 208. 225. — de SS. Corde et preces post Missam, (34). 71-73. — de Passione Domini, 19. — de SS. Sacramento, (34). 60. — S. Clarae, 31 H 278. — S. Iacobi de Marchia, 993
Missae minister ubinam communicat, 71. 72. 73. — orationes quomodo concludendae, 19. 22. *Vide* etiam *Orationes*. — rubricae novae, 133-135. — vinum. *Vide* Supplementum XVIII, (57)-(71).
— reparatricis archiconfraternitas, 118 B. 119 A.
Missionariae Franciscanae approbantur, 36.
Missiones apud infideles quid, (43). in Anglia, quid, (3).
Missionum *bona* temporalia a quonam possidentur et administrantur. Suppl. XVII, (1)-(4). (17)-(21). (41)-(56). — Quo animo res deciden-da est, (41). — Quid de oneribus, (20). (21). — Quid de praesumptionibus, (42). — Quid si missio a religiosis deseratur, (43)-(55). (56).
— *casus* de baptismo, (10)-(14). (25)-(27); de cooperatione ad paganismum, (25); de matrimonio, (9)-(14). (25).
— *religiosus* et militare servitium, 199₂-201. — Sorores indigenae, 239-241.
— *opus dioecesanum* in Gallia commendatur, 94 H.
Modernismi *abiuratio*; immunitas professorum Universitatum, 10. — ante beneficii possessionem, 13. — ante ordines sacros, 25.
Moiana archiconfraternitas SS. Rosarii ad honorem, 193 G.
Monasterium S. Clarae Assisiense commendatur et privilegiis ornatur, 277-279.
Monialium dimissio vel expulsio, 46; libri imprimendi, 67; postulatus, 284. — Hispaniae subiectio Ordinariis, 56.
Montligeon (N. D. de), opus piaculare pro defunctis, 93 A.
Nativitatis *Domini* festum, 184. 185.
— *B. M. V.* festum, 252. 256.
— *S. Ioannis Baptistae*, *Vide S. Ioannis B.*
Napolitana regio, pro festo S. Francisci de Paula, 15; reliquiarum Ordinis Minorum, 16.
— **um** templum B. Iacobi, 94 K.
Neptunense sanctuarium novum, 95 Q.
« **Ne temere** », decr. S. C. Conv. 2 aug. 1907, varii casus, 22. 23. 27. (22). 260-262.
Neuvy St-Sepulchre, basilica, 30 B.
Nigeriae Orientalis Praefectura apostolica, 120.
Nigritarum absolutio, (9). — baptismus, (10)-(14). — martyres, 280. — matrimonium, (9)-(14); matrimonium civile, (12). (13). — veracitas seu auctoritas, (10).
Nomina alterius Ordinis S. Francisci, 273-277.
SS. Nominis *Iesu* festum, 204. 205.
— *Mariae* festum, 252. 256.

Non sine magno, Decretum 27 iul. 1890, S. C. C. de sacerdotibus emigrantibus, supprimitur, 283.
Novemdialis supplicationis ad Sp. Sanctum initium, 72.
Noviciatus ubi plurium provinciarum novicii sunt, (7). (8).
Noviciorum cooptatio, (29). — professio in mortis periculo, 288-290.
Nullius *Praelatura* SS. Conceptionis de Araguaya erigitur, 119 A.
Numisma pro scapulari, (5).
Nuptialis benedictio post nuptias celebratas, 62. 63.
Oboedientia canonica episcopo debita, 41. — significanda Papae et generalibus Ministris Franciscalium in conventibus Tertiariorum, 288.
Octava *SS. Corporis Christi*, 81. 82. 89. 116. 117. — *Epiphaniae*, 116. 117. — *S. Ioannis B.* et SS. Apostolorum *Petri et Pauli*. 83. — *Nativitatis B. M. V.* 252. 256. — *Patrocinii S. Ioseph*, 81. 82.
— festorum *duplicis maioris* supprimitur, 137.
— *privilegiata*, 81. 82. 116. 117.
Octiduanae sollemnitates in canonizationibus, 72. 73. 221-224.
S. Odilonis festum in Gallia, 61. 62.
Officii divini concurrentiae et occurrentiae, 15. — dubia varia de initiis epistolarum, de hymnis, etc. 18. 20. 21. — obligatio clerici militantis, 227.
— reformatio, 125-136. 205. 206. Quid de officio quod die dominica hactenus affixum erat, 209-211.
— *additicii* suppressio in choro, 133. 172.
— *proprii* cum cantu editio, 14.
— *votivi* suppressio, 133. 206. 212.
« **Officiorum** » C. 25 ian. 1897, Leonis XIII de prohibitione, et censura librorum, 67. 221.
SS. Oleorum veneratio in Cena Dni, 62. 63.
Optio provinciae italicae facta FF. Minoribus et ex parte revocata, 74-76.
« **Ora pro nobis** », versiculus mutandus in suffragiis B. M. V., 19. 21.
Oratio expositionis XL Horarum, 60. 61.
— cum indulgentiis, 32 M. — imperata seu collecta, 175. 176. — de SS. Sacramento, 176. — pro defunctis in Missa, 134. 175. 205. 206. 250. 253. 255.
— **nes** in Missa, 132. 133. 162. 205. 206. 207. 208. 214. 225. — quomodo concludendae, 22. Casus de postcommunione Missae Lanceae et Clavorum, et de oratione votivae de passione, 19.
Oratoria et calendarium religiosorum, (15). — et indulgentia Portiunculae, 59. — et privilegiatae Missae pro defunctis, (14). — et sollemnitates festorum translatorum, 62. 63.
Ordinarius approbans libros, 220. 221. 257.
— cavens Orientalibus quaestuantibus, 241-243.
— definiens condiciones indulgentiae Portiunculae, 57-60.
— dispensans in abstinentia et ieiunio propter festum, 218. 219; in cultus disparitate, 257-260; in impedimento criminis ex adulterio, dum documentum libertatis tradit, 226.
— praeparans reformandas Breviarii lectiones, 208. 209.
Vide etiam *Episcopus*.
Ordines *religiosi* et expulsio seu dimissio suorum, 44-53. — et laicorum fratrum professio, (5)-(6). — pro subditis delinquentibus damna solvunt, 234 G.
Ordines *sacri* et abiuratio modernismi, 25. 26. — et studia, 25. 26.
Ordo *Clericorum regularium a Matre Dei* lauream doctoralem assequi et conservare permittuntur, 198.
— *Fratrum Minorum* concors esse iubetur, 4. 5. 275. — dividitur in novas austriacas et italicas provincias, 74-76. — interrogat varia de concurrentiis et occurrentiis, 15. — *moderatur* viae crucis exercitium, 269. 270. — obtinet *indulgentias* in Saxonia, pro aedibus sacris, 30 D; *missam votivam* S. Iacobi de Marchia, in ecclesia nea-

politana S. Maria la Nuova, 99; vicariatum Scen-Si septemtrionalis, 93 E. — in socialia Tertii Ordinis opera iurisdictionem suam non protendit, 287. — *reformatur* a SS. D. N. Pio Pp. X, 110-115.
Vide etiam *Tertius Ordo*.
— *Fratrum Minorum capulatorum* obtinet novam praefecturam Sumatra, 97 A; ritum duplicis maioris festo B. Agnelli a Pisis, in prov. Angliae; et usum caerulaeorum paramentorum de Immaculata Virgine, in provincia Catalauniae, 98.
— *Fratrum Minorum Conventualium* probatas ab Urbano VIII constitutiones habet nec ulla nota multari potest; veri filii sunt S. Francisci, 5.
— *Fratrum Minorum secundus*, excitatur ad aemulandas S. Clarae virtutes, et variis huius monasteriis seu templis privilegia obtinet, 273-279; — variis nominibus appellatum, 273. 277.
— *Fratrum Praedicatorum* et Assistentium numerus ac privilegia, 74. — obtinet pro Olomucensi conventu festum B. Ioannis Sarcander; pro Bohemiae ritum *totum duplicem* festi B. Ceslai; pro coenobio Varazze eundem ritum festi S. Iacobi a Voragine et S. Damiani a Fulcherio, 98; — Belgicae Provinciae praefecturam Uellé orientalis obtinet, 194. — et privilegium processionum SSi 202. 203.
— *S. Ioannis de Deo* Priorem et Consiliarios generales nominatos habuit a SS. D. N. Pio Pp. X, p. 38. — religiosis constat duarum classium. Quid de laicorum professione, 10.
— *Servorum B. M. V.*, et hymnus septem Fundatorum, 61. 63. 65.
Organi sonitus, 42. 217.
Orientalis Ecclesia Motu proprio de festis non attingitur, 82. 89.
Orientalium cooptatio in Instituta latina, 243-246. — quaestuatio, 241-242.
Ostensorium: eius tactus, velum, 60. 61. 64.
S. Othmari festum, in paroecia S. Galli suppressa, 93.
Pacis tuendae coetus laudantur, 118.
Pactionis de cura animarum vis, 96 C.
S. Paenitentiariae dispensatio ab in affinitate ex copula licita, 237.
Papae a Tertiariis in conventibus suis oboedientia significanda, 287. 288.
Paramentorum color 62. 63; — qualitas in vesperis, 72. 73.
Paredensis archiconfraternitas ab hora sancta, 32 P.
Parisiense seminarium pro missionibus exteris obtinet Vicariatum Tai-Kou, 93 D.
Parochi amotio administrativa, 12. 13. 188. 189; in Anglia, 12; in Australia, 279. — assistentia matrimonio, 22-24; passiva, 260-262. — capitularis negatio, 37, 3. — consultoris iuramentum, 189. — controversiae cum capitulo, 37, 3; 195 C; cum oeconomo, de pensione, 195 F. — obligatio cavendi statui libero, 22-24; colligendi eleemosynas, 41; monendi de matrimonio vel bigamia, 22-24. — professio fidei, 13. — recursus obstinatus, qui reicitur, 38. — resignatio nondum definitiva, 37, 4.
— *cooperatorum* salarium, 122.
Parochia aditu domus definitur, 121 H. — ob quam iustam causam dismembretur, 37, 5. — **ales** concursus in provincia Mediolanensi, 231 B. — **alia** iura concessa Passionistis in territorio Neptunensi, 95 Q. — iura ex usu, 100.
Paschalis communio Orientalis in Instituto latino, 245.
Passaviensis dioecesis fines, 34 A.
Patriarchae *Lusitaniae* gratulatur Pontifex, 954, 2.
— *Ciliciae* Armenorum scribit improbando schismaticorum consilia, 231 O.
Patrinus baptismi, (27).
Patrocinii *B. M. V.* festum transferendum, 16.
— *S. Ioseph*, festum, 82. 91.

Patroni festum, 80 ss. 91. 92. 133. (40). 170.
Pauperes, quod ad bullam cruciatae, 33 A.
Paupertatis religiosae bona, 276.
Peccati materia gravis, in conducendis bonis usurpatis, 2. 3.
Pensionum causa in Rota Romana, 121 I. 195 F. — in Signatura Apostolica, 122.
« **Perpensis** », Decr. S. C. Episc. et Reg. 3 maii 1902, de simplici monialium professione, (6).
Pervigilium nativitatis, 184. *Vide Vigilia.*
SS. Petri et Pauli festum, 83. 151. 154. 155. 159. 160. — vigilia, 105.
SS. Philippi et Iacobi festum, 190.
Del Pilastrello basilica, 31 K.
Pisanae dioecesis fines mutantur, 231 C.
Plagense (Schlägl) archisodalicium a S. Maria Reparatrice, 96 s.
Pontida (de) ecclesia, 33 R.
Portiunculae, Decr. S. C. S. Officii, 26 maii 1911, omnes concessiones et facultatem Ordinariis factam 11 iun. 1910 prorogans, 57-60.
Portiunculae indulgentia, 57-60.
Possessio fructus tribuens, 233 E.
Postcommunionis missae lanceae et clavorum conclusio, 19.
« **Post editum** », decr. 7 dec. 1906, de communione infirmi non ieiuni, (8).
Postquam virgo, Litt. ap. Leonis XIII, 30 iul. 1880 de S. Clarae reliquis, 277 et monasterio, 278.
Postulans *Monialis*, 284.
— *orientalis* ingressum in Institutum latinum, 243-246.
Praecedentiae in Ordine Fratrum Minorum, 112.
Praefatio missae, 137. 162. 179. 205. 206. 207. 208. 215. 223. 225.
Praefectura *Apostolica* Katanga Septemtrionalis, 97 B; a Korogo, 191 B; Littoris eburnei, 191 B; Matadi, 97 B; Nigeriae orientalis, 120; de Sumatra, 97 A; Transvallensis septemtr., 35 A; Ubanghi-Chari, 35 B; Ubanghi belgici, 35 D; Uellensis occidentalis et orientalis, 194.
Praefectus *Apostolicus* religiosus, cuinam acquirat, (46). (47). — non nominatur in precibus, 205. 206.
Praefectus (Emus) *S. Congregationis.* Vis litterarum, (2). 244. — respondens dubiis, (47). (48).
Praelatus religiosus in precibus per se non nominatur, 205. 206.
Praescriptio debiti admissa, 121 C. — seu peremptio iuris optandi, 195.
Praesentatio B. M. V., 177*.
Praesumptiones de possessione bonorum in missionibus, (42). (44).
Pragense archisodalicium a S. Maria Reparatrice, 96 s.
Preces liturgicae, ad Primam, 162. 172. — feriales, 172. 225. — quaenam in lingua vulgari, 62. 63. 65. — post Missam votivam SS. Cordis, (34). 71-73.
Primae, in officio, preces, 162. — versus, 132. 137. 162.
Primaria confraternitas, Unio, *Vide Archiconfraternitas.*
Privilegia canonicorum sacerdotibus communicata, 93 A. — eucharistici foederis Lovaniensis pauperum senum, 78, 79. — processionum SSi, 202. 203. — societatis Ursulinarum, 77. — tridui vel octidui beatificatorum vel canonizatorum, 221-224.
— **ium** altaris. Origo et historia, (36). (37). Condiciones, (37)-(40).
Processio SS. Corporis Christi quandonam peragenda est, 89. 218. 219. — et privil. FF. Praedicatorum, 202. 203. — regularium ex privilegio, 121 E.
Procurator in baptismo (27).
— generalis Fratrum Minorum, 111. 112. 113.
Professio religiosa fratrum laicorum, (5). 10. — novicii periculose decumbentis, 288-290. — simplex monialium, (5). (6); moribundi, 6. — sodalis militare coacti, 199-201.
— *nulla*, et affectus iurisdictionis, (23).
Promiscuitas ciborum in America

latina, 194; in Chilena republica, 33 B; pro Indis et Nigritis, ibidem; in festis suppressis, 91. 220.
— pinguedinis et piscium in epulis, 96 B.
Promulgari debent declarationes legis dubiae, 228.
Propagationis Fidei subsidia cuinam cedunt, (44). (46). (47).
Proto-monasterium secundi Ordinis Franciscalis laudatur et privilegiis donatur, 277. 278.
Provinciae FF. Minorum dividuntur in Austria et Italia, facta religiosis facultate optionis, 74-76.
Provincialis an ius servat in novicios vel suos in alieno noviciatu, vel in alienos in suo, (7). (8).
— *Seraphicae provinciae a S. Clara* fit Vicarius natus Card. Protectoris protomonasterii, 278.
— *titularis*, 74.
Pascendi, Litt. enc. 8 sept. 1907, de modernismo, 185. 221.
Psalmi *feriales* in Dominica anticipata, 205. 206.
Psalmodiae ratio, occurrente monosyllaba vel hebraico voce, 266. 267.
Psalterii nova dispositio, 125-136. — editiones, 137. 138.
Puerorum communio prima, 186. 187. — pia unio pro communione, 230 K. — societates SS. Sacramenti, 230 M.
Pulvinaris usus reservatus Praelato, 61.
Purificatio B. M. V., 170. — in Belgio, 219.
Quadragesima et missae defunctorum, 207. 208.
Quaestuatio Orientalium, 241. 242. — Religiosorum et Sororum, 243.
Quamquam septimo, Breve 9 aug. 1912, privilegia conferens monasterius quibusdam S. Clarae et huius spiritum commendans, 273-279.
Quantavis diligentia, Motu proprio 9 oct. 1911 de privilegio fori, 105-109.
Qui Christi Domini, Bulla Pii VII, 29 nov. 1801 de nova ecclesiarum ordinatione, (40).
Quo magis, Motu proprio 23 oct. 1911, Fratres Minores reformans, 110-115.
Quo propositum, Decr. 15 aug. 1912, S. C. Religiosorum, de postulatu Monialium, 284.
S. Raphaelis belgica societas pro emigrantibus, 284.
Ratisbonensis dioecesis fines, 34 A; augetur loco « Hub », 120 C.
Reformationes dioecesanae curiae romanae, 191 D. — Ordinis Fratrum Minorum, 111-114.
Regiminis apostolici, C. Alexandri VII, 15 feb. 1665, de formula abiurandi iansenismum, 202.
Regularium ex facultate episcopali, dispensatio a ieiunio et abstinentia, (21). (22). — patronus loci, (40). — processiones SSi, 202-203. — Titularis ecclesiae cathedralis, (40).
Vide etiam *Religiosorum.*
Religiosorum aggregatio Tertio Ordini, 3. — bona in missionibus. *Vide* Supplementum XVII, pp. (1)-(5). (17)-(21). (41)-(57). — calendarium in aliena ecclesia, (15). — collecta de Spiritu Sancto in Belgio, (16). — confessarius, (23). — dimissio vel expulsio, 44-53. — dispersorum episcopo subiectio, (24). — Hispaniae subiectio episcopis, 56. — laurea doctoralis, 198. — libri approbandi, 66-68. — servitium militare, 199-201. — suspensio propter expulsionem vel dimissionem, 46.
Reservatio oppressionis Indorum, 250. 251.
Restitutio in integrum negata, 234 C.
Rhytmicae editiones librorum liturgicorum, 6. 257.
Ritus religiosi Orientalis in Instituto latino, 245.
Romanae dioecesanae curiae reformatio, 191 D.
« **Romanos Pontifices** », C. Leonis XIII, 8 maii 1881, de mutuis episcoporum et regularium iuribus. Eius vis, (1); summa, quod ad bona, (2)-(4). — extenditur ad Canadenses regiones, 33 T. — de domus religiosae translatione vel mutatione, (8).

SS. Romanorum Pontificum commemoratio, 225.

Rubricae reformatae Missalis et Breviarii, 128-136. 161-183. — varii casus de istis rubricis, (29)-(36). 161-183. 203-217. 224. 225. 251-257. 268. 269.

Sacerdos apostata, 197. — nullus, potius quam non probatus, 193 E.

« **Sacrorum Antistitum** », Motu proprio 1 sept. 1910, de abiuratione modernismi, 10. 13. 25. 26. 185.

« **Sacrosancta** », Decr. S. C. Religiosorum, de laicis Ordinum. Casus. (5). (6).

Sanationes ascriptionum, 119 B. 120 A. — dispensationum impedimenti ex adulterio, 226.

Sanctissimi S^ti benedictio, 60. 61. — expositio, 60. 61. 62. 63. 64. 66. 71-73. — cum te Deum, 222. 224. — missa votiva, 60. (34)-(36).

— societates puerorum lege distantiae eximuntur, 230 M.

Sanctissimus, Breve 6 febr. 1694, Innocentii XII de abiurando iansenismo, 202.

—, Decretum S. Officii 26 ian. 1911, de tempore lucrandis indulgentiis utili, cum ecclesia visitanda est, 8.

« **Sapienti Consilio** », C. SS. D. N. Pii Pp. X, 29 iun. 1908, Curiam romanam reformans, et authentica legum interpretatio, 11. — competentias definiens, 244. 255*. 260. 261.

Saxoniae Fratres Minores indulgentias obtinent, 30 D.

Scapulare-Numisma, (5).

Scen-Si Septemtrionalis Vicariatus, 93 E.

Schismatica molimina contra Armenorum patriarcham, 231 O.

« **Schlägl** » (Plagense) archisodalicium a S. Maria Reparatrice, 96 S.

Scholae a religiosis sine episcopi licentia aperiri non possunt, (8).

Scotiae indultum de abstinentia, 30 E.

Secretum in designandis episcopis, 34 B.

Seminaria et historia Ecclesiae R. D. Duchesne, 103. 104. et varia alia opera exclusa, 272. 273.

— *Italiae* de ratione studiorum et disciplinae, 291.

Septem Dolorum B. M. V. Confraternitas, 119 B.

SS. Septem Fundatorum hymnus, 61. 62. 65.

Septimo iam pleno, Litt. 4 oct. 1909 de S. Francisci Ordinis iubilaeo et spiritu, 275. 285.

Sepultura ecclesiastica post crematione lege impositam, 9.

Signaturae Apostolicae regulae in iudiciis servandae, 234 A.

S. Silvestri vesperae, 62. 63.

Societas *internationalis a patrocinio puellarum*, 95 P.

— *Puerorum a comitatu SS. Sacramenti*, 95 M.

— a *Corde Matris Admirabilis*, 94 G.

Societatis Iesu bona in missionibus, (45).

Sodalicium, *Vide Confraternitas.*

Sororum dimissio vel expulsio, 44-53. — dispersarum communitas cuinam episcopo subsit, (24). — indigenarum in missionibus condicio, 239-241. — libri imprimendi, 67. — Orientalium cooptatio in Institutum latinum, 245.

Spirituali consolationi, Decr. S. C. Religiosorum 10 sept. 1912, de professione noviciorum in mortis periculo, 288-290.

Spiritus Sancti collecta in Belgio, (16). — novemdialis devotio initium, 72. 73.

Status liberi pro matrimonio, probatio, 22. 24.

Statuta confraternitatis, quomodo approbanda, (72).

Stolae color, 60. 61. 62-63. — delatio in vesperis, 62. 63. 66.

Studia ante ordinationes, 25. 26. — in seminariis Italiae, 291.

Sua nobis, C. Innocent, XII, 29 febr. 1696, de processionibus SS^i quas faciant regulares, 203.

Sublimem divi Petri, breve 4 ian. 1912 de pia unione a prima puerorum communione, 186.

Suffragia officii, pro mutatione versiculi, 19. 21. — sanctorum in novo Psalterio, 133, 162. 163. 171. 172. 205. 206. 214.

Suffragium eligentis pro se ipso, 231 C.
Sumatra nova praefectura, 97 A.
Summi sacerdotii, C. 23 aug. 1570, S. Pii V de noviciarum S. Dominici professione, 288.
Superioris religiosi ius reiciendi candidatum, 264. — munus in reformandis calendariis particularibus, 208. 209 ; in suppressione petenda festorum particularium non propriorum, 265. 266. — obligatio erga candidatos Orientales, 243-245. — potestas territorialis vel personalis, (7).
Supremi disciplinae, Motu Proprio 2 iul. 1911 de diebus festis, 80 ss. 219.
Symbolum *athanasianum*, 133. 162. 172. — (**Credo**) in missa, 225. 252. 256.
Sutchuen. Vicariatus fines, 233 B.
Synodus, *Vide Concilium.*
Tabellae occurrentiae et concurrentiae, (34)-(36). 143-145. 253. 256.
« **Tai-Kou** » novus Vicariatus, 93 D.
Tarbensis episcopus dicitur simul Lapurdensis, 232 G.
« **Te Deum** » et orationes ac versiculi, 72. 73. — coram SS° exposito, 222. 224.
Testamenti vis, non obstante alia voluntatis declaratione, 96 A.
Testis clericus et fori privilegium, 228.
Thibetani Vicariatus fines, 232 A.
Titulares Superiores, 112.
Titularis festum, (41). 71. 72. 133. 170.
Tolosana archiconfraternitas Horae Sanctae, 193.
Transitus congr. Tertiariorum ab una ad alteram oboedientiam, 187. — Orientalis ad ritum latinum, 245.
Transvallensis praef. apostolica, 35 A.
Tribunalia Romana ius authentice interpretandi leges non habent, sed ius faciunt inter partes, 11. 12.
Triduanae sollemnitates in altero S. Francisci Ordine, 279. — in beatificationibus, 72. 73. 221-224.
SS. Trinitatis festum, 82. 90. 150.
Tertiariorum coetus, 187. 188. — conventus, 287. — devotio ad S. Pontificem, 288. — opera misericordiae, 286. — opera socialia, 286. — spiritus concordiae et paenitentiae, 285. 286. — transitus ab una ad alteram oboedientiam, 187. 188.
Tertia *Sororum* classis in Missionibus, 239-241.
Tertium Franciscalium, epistola SS. D. N. Pii Pp. X, 8 sept. 1912, de Tertii Ordinis natura et congressibus, 285-288.
Tertius Ordo aggregat sibi Institutum, non singulos religiosos, 3. — et variae oboedientiae, 187-188.
— *Carmelitanus*, 187-188.
— *Franciscalis* aggregat sibi Ursulinarum societatem, 77. — cooptationum sanationem obtinet, 120 A. — in quem finem exsistat et cuius sit naturae, 285-288. — quisnam coetus administret, 188. — quomodo ab erigente primo Ordine dependeat, 187. — quomodo ab una ad alteram oboedientiam transeatur, 187. 188. — quo pacto conventus seu congressus habendi sint, 287. 288.
Ubanghi (de). Vicariatus apost., 35 B. — Praefectura apost., 35 C. 35 D.
Uganda (de) Martyres, 280-282.
Universa, C. Urbani VIII, 13 sept. 1642 de festis, 85.
Urbani VIII Decr. 21 sept. 1624, de expulsione regularium, 47. — Decr. 13 sept. 1642, de festis, 85.
Ursulinarum societas aggregata Tertio Franciscali Ordini, 77.
Ut erga, C. 19 maii 1759, de privilegio altaris, (36).
Vacante Sede episcopali, cuiusnam sunt emolumenta, 231 A.
Vasa sacra, contactus, 64.
Venezuelanae rei publicae disciplina clericalis instauranda, 192 E.
Versus proprius ad Primam, 132. 137. 162.
Vesperae coram SS° exposito, 62. 63. 66. 71-73. — de Dominica infra octavam epiphaniae, 162. — in festo Domini secundario concurrente sabbato cum primario Virginis, 163. — infra octavam Nativitatis, (32). — votivae, 92.

Viae crucis indulgentiarum concessiones et coronae, 269. 270.

B. I. M. Vianney 6ª lectio, quaenam genuina, 19.

Vicariatus apostolicus Carolinensis Marranensis, 32 N. — Congi superioris, 36 E. — Coreanus Tai-Kou, 93 D. — Scen-si Septemtrionalis, 93 E. — Littoris Eburnei, 191 B. — Erythraeus, 31 G. — insulae Guani, 32 N. — Sutchuensis et Kietchang fines, 233 B. — Thibetanus: eius fines, 232 A. — de Ubanghi, 35 B.

Vicarius apostolicus, cathedraticam exigens, (4). (47). — non nominatur in precibus, 205. 206. — quaenam bona missionum administret? (4). (46)-(48). (52)-(54).

— religiosus, cuinam acquirat, (46). (47).

Vicarius *capitularis* electus proprio suffragio, 231 C. Capituli convocatio pro eius electione, 231 A.

— Cardinalis Protectoris, 278.

— *generalis* statuta confraternitatis approbans, (72).

— parochi cooperator, quod ad salarium, 122.

Vigilia *Annuntiationis et S. Ioseph*, 189. — *S. Ioannis B.*, 83; concurrens cum vigilia SS. Petri et Pauli, 83. — *Nativitatis* D^ni, 184.

— *festorum* suppressorum, 104. 105. 189.

Vini natura, (57); substantiales alterationes, (59). (70). (71). De vini pro missa natura et confectione, *Vide Supplementum* XVIII, pp. (57)-(72).

— emptio pro missa, (71).

Visitatio ecclesiae pro indulgentiis, 8.

Vocatio sacerdotalis, 262-265.

Vota religiosa sodalis militare coacti, 199-201. — sororum indigenarum in missionibus, 239-241.

Votiva *Missa. Vide Missa.*

— *officia*, suppressa, 133. 206.

Wayne-Castrensis dioecesis fines, 232 F.

Westmonasteriensis Concilii normae de bonis temporalibus missionum in Anglia, (2); valor praesumptionum ibidem propositarum, (42).

ERRATA

Pag. 117, l. 24, Epiphaniae, *lege:* Corporis Christi.
» 165, l. 37, infra b) et c), *lege:* infra 1, a) et b); et 2, b) et c.
Praeterea festum SS. Philippi et Iacobi et festum S. Ioannis ante Portam Latinam interdum de Scriptura occurrente lectiones I Nocturni habent.
» 272, l. 4, Decretum 29 iul. *lege:* 29 iun.
» 295, l. 7, **Quantavis diligentia,** 3 oct. *lege:* 9 oct.
» » l. 34, 1921, *lege:* 1911.
» ult. lin. 3, *lege:* 30.
» 297, l. 43, *adde:* (17 feb. 1912).
» 298, l. 38, Litterae, *adde:* S. C. Concilii.
» » l. 45, 1912, *lege:* 1911.
» 299, l. 16, 12 dec. *lege:* 22 dec.
» » l. 26, 15 ian. *lege:* 25 ian.
» » l. 38, 251, *lege:* 231.
» » l. 52, 19 iun. *lege:* 29 iun.
» 300, l. 36, *adde:* (summatim).
» 310, l. 26, 29 iul. *lege:* 29 iun.
» 323, l. 41, 29 iul. *lege:* 29 iun.

10225
Periodica de re morali
v.6
CBPac

v.6 10225

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709